



UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 00015690 1

UNIV. OF  
TORONTO  
LIBRARY











PATRES QUINTI ECCLESIAE SÆCULI.

—

SANCTUS  
**AUGUSTINUS.**

TOMUS XXIV BIS.

S. -CLODOALDI, E. TYPOGRAPHEO BFLIN-MANDAR.



~~1233C~~

SANCTI  
AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

OPERA OMNIA,

MULTIS SERMONIBUS INEDITIS AUCTA ET LOCUPLETATA.

---

**EDITIO NOVA,**

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURGENSI.

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS.

---

TOMUS VICESIMUS QUARTUS BIS.



PARISIIS,  
APUD PAUL MELLIER, BIBLIOPOLAM,  
PLACE SAINT-ANDRÉ DES ARTS, 11.

1842.

1000

19233C

Saint Augustine

Opera omnia

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

(HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERUM

PARS IV.

OPERA ORATORIA.

---

CLASSIS VI.

SERMONES INEDITI.

(SUPPLEMENTUM II.)

PARS II.

BR  
65  
R5  
1835  
t.24  
1802

SANCTI AURELII  
AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI  
SERMONUM INEDITORUM  
CLASSIS III.

---

SERMONES  
DE SANCTIS.

---

SERMO LXIII.

In Cathedram sancti Petri apostoli.

*Hoc fragmentum, quod educitur ex duobus codicibus florentinis, nempe uno Bibl. Laurent., Plut. xx, cod. II, fol. 120, et altero Bibl. Ædil. cod. CXLIII, fol. 300, nullibi reperi, quamvis sanctæ Romanæ Ecclesiæ gloriosum. Ubique nomen habet sancti Augustini, cui tribuendum recte videtur. Locus ejus post sermonem Maurinensem CCLXII.*

SYNOPSIS.

Cathedræ sancti Petri maxima laudatur auctoritas.

NATALE primæ cathedræ sancti Petri apostoli hodie est, quod pia devotione sancta celebrat Ecclesia. Atta-

men prius credere, quam scire nos convenit, quia omne quod catholica fides suscepit venerandum, in nullo otiosum, sed est semper in omnibus fructuosum. Ille enim, cui a Christo claves datæ sunt regni cœlorum, cui ligandi solvendi que potestas a Deo commissa est, tam magnum privilegium specialiter in sua persona suscepit, ut tamen hoc generaliter in Dei Ecclesiam sua virtute transmitteret. Unde diem, quo apostolatam vel episcopatum ore Christi adeptus (1) est, hunc esse, quo ei cathedra commissa est, non inconvenienter accipimus. Cathedra quoque ista non est (2) pestilentiae<sup>1</sup>, sed sanæ doctrinæ, ex qua credituri vocantur ad fidem; ex qua morbidi recipiunt sanitatem; ex qua dissoluti recipiunt disciplinam; ex qua discipuli vivendi suscipiunt normam. Ex hac cathedra nostræ Ecclesiæ, id est, catholicæ, prolatam hanc institutionem cognoscimus, congaudemus, credimus et confitemur. Hic nempe beatissimus Petrus ex captura piscium electus ad homines salubriter capiendos assumitur (3).

<sup>1</sup> Psal. 1, 1.

(1) Cod. *indeptus*. — (2) Sic cod. CXLIII; cod. II, *quoque non est illa*. — (3) Cod. CXLIII addit: *Beati illi qui de nefandis actibus, tanquam de marinis fluctibus*, et sic concluditur; unde videtur hoc non esse nisi fragmentum.

## SERMO LXIV.

## In Natali Sancti Vincentii III.

*Prologus qui subsequitur et educitur ex cod. Cassin. XII, fol. 318, nec apud sanctum Augustinum, nec in passione sancti Vincentii edita a D. Prudentio, nec in D. Ruinart, nec in Bollandianis reperitur. Sententiæ et stylus omnino videntur Augustiniana. Locus ejus post sermonem primi nostri Supplementi XLVIII, cum numero in Natali sancti Vincentii VII.*

## SYNOPSIS.

I. Difficile prorsus tantum martyrem laudare. II. Daciani vani ad eum vincendum conatus. III. Daciani objurgatio.

I. VIRTUS gloriosissimæ passionis, et sermo suavissimæ relationis, solo fateor potest compensari silentio; et vellem sequi prudentissimi Salomonis illud consilium quod dictum est: « Noli te extendere, pauper, contra divitem<sup>1</sup>. » Sed cum non possis occurrere, sensu vero tuo contine te. Quid enim dicam post tanta? Qualia (1) dicam post talia? Quando talia enarrabo? quando pertingam ad finem? Postremo quid repetam quod nuper audistis? Bonum est tamen spectaculi speciem in recenti recolere, ne excidat sensus et in oblivionem virtus. « Arcta etenim via est et » angusta, quæ ducit ad vitam, » et multi audiunt eam, « sed pauci sunt qui pergunt per eam<sup>2</sup>. » Non enim aliud

<sup>1</sup> Eccli. IV, 32. — <sup>2</sup> Matth. VI, 14.

(1) Edit. *quali*.

proponitur Christiano venienti ad martyrium, nisi virtus Martyrum. Sint (1) nobis documento exempla Sanctorum. Imitemur saltem fidem, quorum (2) imitari non possumus passionem.

II. Non enim, ut inimicus tantum, minatus est, sed ut non, etiam blanditus est (3). In uno quippe Daciano conspeximus et tempus belli (4), et tempus quietis. Nam et terruit, et promisit. Voluit primo a fide divellere terrendo, postea dejicere blandiendo. Rursus rediit ad pœnas; item a pœnis, regressus ad beneficia, induit tanquam in ludicro (5) spectaculo multas personas. Exiit ipse varius; sed stetit ille solidius. Ille sedebat, iste pendebat; iste torquebatur, ille torquebat; sed ille fatigabatur, iste vincebat (6). Leo rugiens, canis esuriens, serpens blandiens, lupus subdole (7) agens, vulpis nequitia occulens, quid egit? Diu laboravit; et tamen Vincentius vicit. Denique torquetur, ut exerceatur; tunditur, ut solidetur; flagellatur, ut erudiatur; exuritur, ut purgetur; et tamen Vincentius a Daciano non vincitur. Certat cum vivo, insultat et mortuo; seipsum reprehendit etiam in mortuo.

III. Irascitur et confitetur: Vincere nec mortuum possum. Quem? utique Vincentium. Abstulisti terrenam vitam; numquid post mortem abstulisti æternam gloriam? Vicisti carnem, numquid potuisti vincere spiritum? At (8) forte non vicisti vel (9) carnem. Nam quod in mare mersisti, priusquam mersum audisti, in littore invenisti. «Vanum est ergo tibi contra stimulum calcitrare<sup>1</sup>.» Sic

<sup>1</sup> Act. ix, 5.

(1) Cod. *sit*. — (2) Id. *quos*, et deinde *passione*. — (3) Id. *sine sensu non enim inimicus tantum, sed ut non etiam blanditus est*. Ut potuimus, corrigere studuimus. — (4) Deunt in cod. hæc verba *et tempus belli*. — (5) Cod. *illudicro*. — (6) Vide Serm. 275, n. 1 et 276. — (7) Cod. *subdolen*. — (8) Id. *au*. — (9) Id. *nec*.



enim Vincentio non fuit certamen adversus hominem; in te Vincentius diabolum vicit; tu in Vincentio Christum vincere non potuisti. Ille quem in te vinceret, intellexit; tu qui in isto vinceret (1), non sapuisti. Quam comparationem hominis (2) addam? Quid proficit caro ad sanguinem? « Omnis caro fœnum; et gloria carnis flos fœni. Aruit » fœnum; flos decidit » in te; « Verbum autem Domini » mansit in æternum<sup>4</sup> » in Vincentio. Tu certe sedebas, et illè exutus stabat (3); tu judicabas, ille judicabatur; tu non superabas, ille superabat. Da comparationem. Ubi tu (4) a sede hac? Et ille: Ubi a pœna hac. Dic, si sapis; aut si non sapis, si sentis; aut si non sentis, audi. Post mortem a tali sede, tu ubi? nescio. Si enim talis mansisti, periisti; si autem (5) talis non mansisti, forsitan permansisti. Sunt enim qui eum referunt credidisse. Hoc de eo dicitur, hoc refertur, hoc confirmatur, quod et ipse crediderit. Nec miremur si « Ubi abundavit peccatum, » superabundavit (6) gratia<sup>2</sup>. » Ille ergo ubi? aut verum est quod dicitur, et non novimus; aut si utcumque incertum est, non scimus. Numquid de Vincentio nostro, unde et quo nescimus? Qualiter cucurrerit, quam auguste ambulaverit, quemadmodum perseveraverit, quatenus post finem gloriosus extiterit, bene audivimus. Gratulati sumus, quod amodo concertavimus, et in Vincentio simul omnes vicimus, et insultanti non cessimus, et cedenti insultavimus (7), quod post certamen modo audivimus, quod (8) adjuvit certantem, coronavit vincentem, quia « Pretiosa est (9) in conspectu Domini mors sanctorum ejus<sup>3</sup>. »

<sup>1</sup> Isaï, xl, 6-8. — <sup>2</sup> Rom, v, 20. — <sup>3</sup> Psal. cxv, 15.

(1) Cod. *vincere*. — (2) Id. *quæ comparatio homini*. — (3) Id. *exultabat*. — (4) Deest *tu* in cod. — (5) Cod. *enim*. — (6) Cod. *abundabit gratiam*. — (7) Id. *insultabimus*. — (8) Id. *quo*. — (9) Vide Serm. 329, n. 2.

## SERMO LXV.

## In Natali Martyris Quadrati (1).

Habitus a S. Augustino XII Calendas Septembris, ubi explanatur quod dicit  
Apostolus : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae* <sup>1</sup>.

*Hic sermo , qui eruitur ex Cod. Cass. xvii, fol. 318, ita Augustinum sapit, ejusque cogitationes et dicendi modum refert, ut ne dubitandi quidem locus supersit quin sit genuinus beati Doctoris fructus. Non solum codex nomen habet, sed et tempus indicat, quo dictus est; omnes sententiæ Scripturarum citantur modo conformi cæteris sancti Augustini citationibus; omnia beati Doctoris circa delectationem in peccando, solitaque verborum pugnae passim deprehenduntur. Ponatur hic sermo post sermonem Maurinensem cclxxxv.*

## SYNOPSIS.

I. Gaudet beatus Doctor fideles, utpote peregrinationis comites, videndo. II. Tria Deus odit: remanentem, redeuntem, aberrantem. III. Exemplo Pauli ostenditur proficiendi necessitas. IV. Idem explicare pergit, viam perfectionis ostendens.

<sup>1</sup> Rom. vi, 19.

(1) S. Quadratus, Eusebio, necnon et B. Hieronymo teste, « Apostolorum » discipulus, Episcopus Atheniensis, Prophetiæ dono illustris, pro defensione religionis christianæ Adriano imperatori libellum apologeticum obtulit, valde utilem plenumque rationis et fidei, et Apostolica doctrina dignum, et tantæ admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium. » (Hieron. de viris illustr. c. xix; Euseb. Hist. Eccles. lib. iv, cap. 23, ubi et Dyonisii Corinthiorum episcopi affert auctoritatem).

V. Perfectus martyr Quadratus, ut ipsius nomine insinuatur.  
 VI. Exhibendum Deo idem ad minus servitium ac iniquitati.  
 VII. Plus facere debemus cum Quadrato. VIII. Christus publice confitendus. IX. Contemnendus timor humanus. X. Ex illo vano timore obstaculum ponitur Paganorum conversioni.  
 XI. Timendus potissimum Deus qui erubescens se erubescet.

I. PRÆSTITIT Dominus Deus noster, cui gratias simul agimus, ut videremus vos, et videremur a vobis, et si hoc est unde « Impletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione<sup>1</sup>, » quia vidimus invicem in carne mortali, quale erit gaudium nostrum quando ibi nos videbimus, ubi nihil de nobis invicem timeamus? Apostolus dicit: « Spe gaudentes<sup>2</sup>; » gaudium ergo nostrum quod nunc est in spe, nondum in re. « Spes autem, quæ videtur, non est, ait, spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus<sup>3</sup>. » Si autem peregrinantes comites gaudent ad invicem in via, quale gaudium consequuntur in patria! In hac vita martyres certaverunt, et certando ambulaverunt, ambulando non hæserunt; ambulant enim qui amant; non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus.

II. Via ergo nostra ambulantes quærit; tria sunt hominum genera, quæ odit, remanentem, retro redeuntem, aberrantem. Ab his tribus generibus malis, Domino adjuvante, vindicetur et defendatur gressus noster. Jam vero cum ambulantes sudamus (1), alius tardius ambulat, alius celerius, ambo tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi sunt, errantes in viam ducendi: tardi exhortandi, ce-

<sup>1</sup> Psal. cxxv, 2. — <sup>2</sup> Rom. xii, 2. — <sup>3</sup> Id. viii, 24, 25.

(1) Sic codex; credo quod legeudum sit, non sudamus, sed sunt duo.

leres imitandi. Qui non proficit, remansit in via; qui forte a meliore proposito declinat ad id quod deterius reliquerat, reversus est retro; qui fidem deserit, a via aberravit... (1).

III. Quis est qui non proficit? Qui se putaverit esse sapientem, qui dixerit: « Sufficit mihi quod sum; » qui non attenderit eum, qui dixit: « Quæ retro oblitus, in ea » quæ ante sunt extentus (2), secundum intentionem (3) » sequar ad palmam vocationis supernæ Dei in Christo » Jesu<sup>1</sup>. » Currentem se dixit, sequentem se dixit, non remansit, non retro respexit; absit ut erraverit, qui viam ipsam docebat, qui et tenebat, et ostendebat. Celeritatem autem ejus ut imitaremur, ait: « Imitatores » mei estote, sicut et ego Christi<sup>2</sup>. » Arbitramur ergo nos, fratres charissimi, in via vobiscum ambulare. Si tardi sumus, prævenite nos, non invidemus; quærimus quos sequamur. Si autem nos existimatis celeriter ingredi, currite nobiscum. Unum est ad quod omnes festinamus, et qui tardius, et qui celerius ambulamus. Hoc ait ipse Apostolus: « Unum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ » ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad » palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. » Ordo verborum est: Unum autem, unum sequor. Ut autem hoc diceret, supra quid dixit? « Fratres, ego me ipsum » non arbitror apprehendisse<sup>3</sup>. » Ecce qui non remanet,

<sup>1</sup> Philip. III, 13 et 14. — <sup>2</sup> I Cor. IV, 16. — <sup>3</sup> I Cor. XV, 10.

(1) Hic leguntur quædam verba, quæ utpote mutila aut immutata nullum sensum afferunt, videlicet: *Cum tardis sit nobis, sed a celeribus ratio cum ambulantis. Tamen.* — (2) Cod. male *extent.* — (3) Sic B. Augustinus citat hanc Apostoli sententiam, ut videre est Serm. CLIV, n. 4; Tract. IV in Epist. Joan. cap. 3, n. 6; Enar. in Psal. XXXVIII, n. 6; Enar. in Psal. XXXIX, n. 3; Enar. in Psal. CXLIX, n. 8; Contra duas Epist. Pelagian. lib. III, n. 22; Serm. CCLXI, n. 3; Serm. CV, n. 7; Serm. CCLV, n. 6. In his omnibus locis semper legitur *extentus*, et *secundum intentionem*.

qui non se arbitratur apprehendisse ; ecce qui non peregrinatur (1), ecce qui non errat in via , ecce qui gaudebit in patria. « Ego , » inquit. Quis ego ? « Qui plus omnibus illis laboravi (2) ? » Et tamen ubi ait : « Plus » illis omnibus laboravi , » non dixit : « Ego non me ar- » tror apprehendisse. » Bene ibi Ego , ubi humilitatis locus est , non elationis (3). Ego , inquit , quantum ad me attinet , non me arbitror apprehendisse. Hoc ipse ubi ait : « Plus omnibus illis laboravi , » sequitur : « Non » ego autem , sed gratia Dei mecum<sup>4</sup>. » Numquid Dei gratia non apprehendit ? Merito ibi Ego ; non apprehendere enim nostræ infirmitatis est , apprehendere ad- jutorii est gratiæ divinæ , non infirmitatis humanæ (4).

IV. Quis ergo est , qui ostendat nobis , quis est qui doceat nos , quis est qui digne insinuet nobis , quomodo verum sit , quod tamen sine dubitatione verum est , non esse in nobis nostrum , nisi peccatum ? Hoc noverit pietas , hoc in se accuset infirmitas , hoc sanari appetat charitas. « Non quia jam acceperim , ait (1) , aut jam » perfectus sim (2). » Et tunc subjecit : « Fratres , ego me » ipsum non arbitror apprehendisse. » Et cum exhortaretur ad currendum , et ad ea quæ ante sunt cor extendendum ; « Quotquot autem perfecti , ait , hoc sapiamus<sup>1</sup>. » Supra dixerat : « Non quia jam acceperim , aut jam per- » fectus sim ; » et postea dicit : « Quotquot autem per- » fecti (2) , hoc sapiamus. » Se ipsum tam magnum Apostolum dixerat esse imperfectum , modo jam plures perfectos invenisse dicit : « Quotquot autem perfecti hoc » sapiamus. » Est ergo perfectio , et perfectio est perfec-

<sup>1</sup> 1 Cor. xv, 10. — <sup>2</sup> Philip. iix, 12. — <sup>3</sup> Ibid. 15.

(1) Cod. *peregrinari*. — (2) Vide Serm. cclxi, n. 3. — (3) Vide Tract. 1v, in Epist. Joan. cap. iiii, n. 6. — (4) Vide lib. de Gratia et libero Arbitrio, n. 1, et Contra duas Epistolas Petiliani, lib. iii, n. 22.

tus viator. Qui nondum perfectus est perventor, perfectus viator bene accedit, bene ambulat, viam tenet; sed tamen viator nondum apprehendit. Nam utique si ambulat, et in via ambulat, aliquo ambulat, et ad aliquid pervenire conatur; quo ergo pervenire conabatur? Apostolus nondum apprehenderat; et hortatur perfectos, ut scirent imperfectionem suam; perfectio viatoris est; novit enim quantum transgressus est, quantum illi remaneat. Sciamus ergo nos non esse perfectos, quotquot simus perfecti, ne remaneamus imperfecti.

V. Quid dicemus, fratres, perfectus martyr Quadratus, quid quadrato perfectius? Paria sunt latera, undique æqualis est forma, quocumque verterit, statio est, non ruina. O nomen pulchrum! demonstrans figuram et indicans rem futuram! Jam Quadratus et antea vocabatur, et nondum coronabatur, nondum in tentatione apparuerat, per quam esset ille quadratus, et tamen quando vocabatur, pronuntiabatur prædestinatus ante mundi constitutionem, et ut hoc vocaretur, hoc in illo compatitur, ut impleretur; et tamen ambulabat, et tamen adhuc in via erat; et quandiu erat in corpore totum, timebatur, et ne remaneret, et ne retro rediret, et ne exorbitaret. Nunc vero cucurrit viam, finivit, in solido stetit, coædificatus est ab artifice arcæ Dominicæ, quæ in figura jussa est ædificari de lignis quadratis (1). Modo jam nullam tentationem timet, audivit vocatorem, audivit illum, et ille invocatorem secutus est (2); secutus est Salvatorem, portat habitatorem; contempsit mundum blandientem, vicit terrentem, evasit furentem. Magna

(1) Hæc in Scriptura sacra non leguntur secundum Vulgatam; dicitur solummodo arcam fieri debuisse ex lignis setim. Exod. xxv, 10. — (2) Hæc forte redundant ex copistarum errore, melius legeretur: *Audivit vocatorem, secutus est salvatorem.*

est, fratres, Martyrum gloria; prima in Ecclesia; quæcumque sunt aliæ, sequentes sunt; non enim frustra dictum est quibusdam (1): « Nondum usque ad sanguinem adversus peccatum certastis<sup>1</sup>. » Quando tolerat, quando sustinet mundum sævientem, qui spernere non potest blandientem?

VI. Ait idem Apostolus: « Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut exhibuistis membra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiæ in sanctificationem<sup>2</sup>. » Magnum est valde quod videtur hortatus; metiatur se unusquisque in his verbis Apostoli; non adulatorie palpet se, appendat se, et dicat sibi verum, quod (2) a me expectat audire. Ipse sibi dicat: Ego disposui speculum proponere, ubi se quisque attendat; non sum ego speculi fulgor, qui faciem suam intuenti renuntiem; facies enim illas dico modo, quas habemus intus; ipsas per aurem convenire possum, videre non possum. Speculum sane propono; attendat se unusquisque, et renuntiet sibi ipsa verba Apostoli, quæ commemoravi. Indicem speculi accipite: « Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiæ in sanctificationem. » Quid est « Sic? » Sicut illud, ita et illud (3). Quando exhibebas membra tua arma iniquitatis peccato ad immunditiam delectabat te? Interrogo, attende, responde: Delectabat te? Audi respondentem, et jam tacentem; non enim faceres, nisi delectaret. « Sicut ergo exhibuisti membra tua deservire immunditiæ

<sup>1</sup> Hebr. XII, 4. — <sup>2</sup> Rom. VI, 19.

(1) Vide Serm. CCCXVIII, n. 11. — (2) Cod. *quid*. — (3) Vide Serm. CLIX, n. 6 et 7, et Epist. CXLV ad Anastasium, n. 5.

» ad iniquitatem , » cum delectatione ista fecisti , ita delectet te aliquando justitia. Nolo timore facias , dicit tibi Deus ; numquid enim timore faciebas ? « Sic, inquit, sic. » Sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ » ad iniquitatem , sic nunc exhibete membra vestra de » servire justitiæ ad sanctificationem. » Ad justitiam timore compelleris , ad immunditiam amore currebas. Quid pulchrius sapientia ? Rogo vos ; digna est vel sic amari , quomodo amata est immunditia ; quando currebas ad immunditiam , prohibebaris , et ibas ; patrem offendebas , et currebas ; paratus eras exhæreditari , et ab illius pravitate non separari. Quid dicturus es ? Hoc a te exigit justitia , quod de te habuit immunditia. Audistis Evangelium : « Non veni pacem mittere in terram , sed gladium<sup>1</sup>. » Dixit se (1) separaturum filios a parentibus. Ergo attende illam machæram ; forte vis Deo servire , et pater prohibet. Quando immunditiam diligebas , etiam patre prohibente currebas ; modo te prohibet justitia amatorem suum. Invenisti et hîc patrem prohibentem ; exere libertatem tuam , qui exeruisti tunc cupiditatem tuam. Paratus eras tunc exhæreditari , et ab illius immunditiæ pravitate non separari ; paratus esto exhæredari , et a justitiæ pulchritudine non separari. Magnum est , sed justum est. Quis est qui audeat dicere : Sed plus debuit amari immunditia , quam justitia ?

VII. Interim justitia gradum tibi facit : Certe , inquit , dissimilis sum ; certe plurimum distat inter illius immunditiæ tenebras , et lucem meam , inter illam pravitatem et pulchritudinem meam , inter illius decus et decus meum. Certe plurimum distat ; interim gradum pono ; sic volo ; nam plus debeo , plus omnino debeo ;

<sup>1</sup> Matth. x, 34.

(1) Cod. male non habet *se*.



quantum disto, tantum debeo; sed humanum dico, divinum differo; quare divinum differo? « Humanum dico » propter infirmitatem carnis vestrae; » ideo sic quia parco adhuc infirmitati; ideo, « Sicut exhibuistis membra vestra » deservire immunditiae ad iniquitatem, sic, » nunc plus quidem debetis, sed saltem sic ambulate; ad hoc pervenite, sed exhinc transite. Interim « Humanum dico, » sed sicut illud, ita et hoc. Numquid quadratus sic? non plane sic, sed plus; et digne plus. Attendite enim illas immunditias, et videte quid plus de vobis exigit pietas et charitas, et justitiae pulchritudo, et sanctificationis dulcedo. Quid de vobis plus exigit, attendite.

VIII. Amator immunditiae facta sua mala sciri non vult, timet ne inde damnetur, timet inde carcerem, timet judicem, timet carnificem. Uxor alienae pudicitiam appetit, maritum fallit, tenebras quaerit, conscium perhorrescit, judicem metuit; timet sciri, quia timet inde puniri. Jam vero illud plus quod sibi exigit (1) pulchritudo justitiae. Quid interim distulit Apostolus cum diceret: « Humanum dico propter infirmitatem carnis » vestrae? » Audi hoc a Domino: « Quod dico vobis in » tenebris, » hoc est in occulto, « dicite in luce, et » quod in aure auditis, super tecta praedicate<sup>1</sup>. » Numquid praedicat super tectum adulter flagitium suum; sed ille non solum non praedicat super tectum, sed quaerit occultari tecto. Quare hoc ille? quia tunc usque potuit amor immunditiae; timet enim detegi, timet puniri. Hi vero amatores illius invisibilis pulchritudinis, amatores illius decoris, ubi est ille « Speciosus forma prae filiis » hominum<sup>2</sup>, » amatores ergo illius pulchritudinis, unde non timent praedicare super tecta, quod in aure audie-

<sup>1</sup> Matth. x, 27. — <sup>2</sup> Ibid. 28.

(1) Cod. male quod sibi exigit plus.

rant ? quære unde timeat ille ; ne (1) cognoscatur , et puniatur ; quære unde iste non timeat ; ipse Dominus secutus adjunxit. Cum enim dixisset. « Quæ dico vobis » in tenebris , dicite in lumine . et quod in aure auditis , » super tecta prædicare ; nolite . inquit , timere eos qui » corpus occidunt , » ut quæ auditis in tenebris , in lumine dicatis , et quod in aure auditis . super tecta prædicetis. « Nolite timere eos qui corpus occidunt. » Timeat adulter eos qui corpus occidunt ; cum enim adulter ille perdidit corpus , voluptatum perdidit officinam ; ille timeat perdere corpus , qui vivit ex corpore ; totum enim quod concupiscit , per corpus operatur. Ideo in illo voluptas non sufficit ; inardescit cupiditate , quoadusque perveniat ad corporis immundissimam voluptatem.

IX. Tu autem , homo Dei , si habes oculos cordis , unde videas pulchritudinem pietatis , unde videas pulchritudinem charitatis , si habes oculos cordis , vide unde fruaris anima tua ; ut enim ea fruaris , non membra corporis quæris. Timeat perimi corpus amator sordidæ voluptatis , sed « Pax in terra (2) hominibus bonæ voluntatis<sup>1</sup>. » Quam longe es ab hoc amore , o Christiane ! Utinam usque ad illud « Humanum » pervenias , et cum delectatione benefacias , sicut antea cum delectatione peccabas ; si enim cum delectatione benefacis , si cum delectatione in Christum credis , si cum delectatione sapientia ejus prava capacitate perfrueris , si cum delectatione præceptum audis et facis , cœpit in te esse illud « Humanum propter infirmitatem tuam ; » jam cœpisti habere « Bonum datum<sup>2</sup>, » sed necdum implesti quadratum ; sed sicut dixi , supervenisti , accede ; adhuc via est ; noli remanere ; est adhuc quod facias , noli ti-

<sup>1</sup> Luc. xi, 13.

(1) Cod. male nec — <sup>2</sup> Id. in hominibus.

mere ; noli (1) abscondere bona facta tua , timendo reprehensores , exagitatores (2). Quid tibi dicit magnus Apostolus ? de cœlo tibi pudet. Petunt (3) unde venis , et times dicere de Ecclesia ; ne dicat tibi : « Non te pudet, barbate, ire quo eunt viduæ et aniculæ. » Ne audias. Times dicere : In Ecclesia fui. Quomodo ferres persecutorem , qui horrescis insultatorem ? Et certe tempus est pacis. Illi erubescere debuerunt ; erubescunt tam multi qui accesserunt , et non erubescunt tam pauci qui remanserunt. Et hi accesserunt : Quo ? Illi remanserunt : Ubi (4) ? Accesserunt hi ad lucem pacis , remanserunt illi in tenebris confusionis. Non erubescitis glorianda (5) erubescere ; non erubescunt illi pudenda , et vos erubescitis glorianda ? Et ubi est quod audistis : « Accedite ad » eum et illuminamini , et vultus vestri non erubescant<sup>1</sup> ?

X. Hæc dixi , fratres mei , quoniam scio et plurimum doleo timeri linguas paucorum Paganorum , non sævientium , sed tantum insultantium , et teneri animos credere volentium , cum non acquiescunt in exhortationibus Christianorum. Et quid plura ? Aut quid ego dicturus sum ? Vides exagitari nescio quem Paganum , ne fiat Christianus ; et qui Christianus , taces ; pro magno habes , quia tibi parcit , id est , quia tibi non insultat. Quando illum deterret , dicis in corde tuo : « Deo gratias , nihil dixit. » Fugis non carne , sed mente ; ibi stas et fugis ; times ne in te lingua maledica convertatur , et non subvenis ei quem debes Christo lucrifacere ; non subvenis ;

<sup>1</sup> Psal. xxxiii, 6.

(1) Deest in cod. vox *noli* bis repetita , quam exigit sensus. — (2) He mendum irrepisse crediderim , vellemque legendum . *timendo reprehensores , excogita quid tibi dicat Apostolus*, etc. — (3) Codex videlicet : *De cœlo tibi pendent pedes*. — (4) Cod. malam habet panctorum dispositionem , nempe : *Et hi accesserunt , quo illi remanserunt ; accesserunt hi ad lucem* , etc. — (5) Cod. male *gloriando*.

taces; ut dixi, non carne, sed mente fugis. Mercenarius es; vides hunc venientem, et fugis.

XI. Et quid plus ego dicturus sum? Modo audivimus omnes; Dominus terreat; qui amandus est, ipse metuendus. «Qui me, inquit, confusus(1) fuerit coram hominibus<sup>1</sup>;» et videte quando ista dicebat, quando mundus non credebat, sed fremebat; «qui me confusus fuerit coram hominibus, confundam eum coram Patre meo, qui in caelis est. Qui autem me confessus fuerit coram hominibus, confitebor illum et ego coram Patre meo, qui in caelis est<sup>2</sup>.» Vis negari a Christo, an vis confiteri a Christo? Longe habebis insultatorem, quando tui Christum inveneris negatorem. Veniet (2) quod pollicitur. Qui tanta exhibuit, de solo die iudicii fallax invenietur? Absit; habeant illi perfidiam suam, imo vero et ipsi careant perfidia sua: sed proponite vos illis ad confessionem imitandos, non ad silentium superandos; illi enim si invenerint Christianos fortiores, infirmorum defensores, assertores (3) fidei libertate confitendi, prudentia (4) docendi, charitate instruendi, silebunt, credite. Quid enim dicant, non habent (5). Vox inanis est, cymbalum tinnit. Quod destitit in templis ipsorum, remansit in ore ipsorum.

<sup>1</sup> Marc. viii, 38. — <sup>2</sup> Luc. xii, 8.

(1) Id. *confessus* — (2) Id. *perperam veni, et quod pollicitur*. — (3) Id. *assertiones*. — (4) Id. *prudentiæ*. — (5) Id. *quid enim dicent non habent*.

## SERMO LXVII.

## In Natali Joannis Baptistæ III.

*Hic sermo qui eruitur ex cod. Cass. CXXIII, f. 145, multam affinitatem habet, licet brevior existat, cum sermone CCCLXXX inter dubios, de quo annotant Maurini plurimos versus reperiri qui in suo loco non collocantur, unde illos immutare sunt coacti. Nec illis obstantibus curis sermo videtur in pluribus parum connexus, unde centonem potius representat quam verum sermonem. Noster autem ille, multo connexior, verum melius sancti Augustini factum redolet, nisi, ut probabilius crediderim, utrumque ad beatum Doctorem pertinere dixerimus, ita ut ex eodem argumento loquens ad easdem fere sententias eademque verba memoriter retenta quasi invitus redierit. Quod eo verisimilius evadit, quod in plerisque de sancto Joanne Baptista sermonibus in easdem sæpius cogitationes recidat. Unde hujus nostri sermonis locus in editis post sermonem primi supplementi nostri LXVI, cum numero in Natali sancti Joannis Baptistæ X.*

## SYNOPSIS.

I. Breve exordium. II. Visio Angeli, et ejus allocutio ad Zachariam. III. Elisabeth gravis et pariens. IV. Joannis in utero matris exultatio. V. Comparantur generationes Mariæ et Elisabeth. VI. Joannis humilitas. VII. Joannes martyr veritatis, et in ipso martyrio humilis.

I. GRATIAS agimus Domino Deo nostro, fratres charissimi, qui nos ad videndum sanctitatem vestram SUA

miseratione perduxit, et donavit nobis hoc gaudium, quod de mutuo invicem habemus affectu. In cuius vos (1) ergo nomine salutamus, ipse debet esse auctor nostri sermonis, qui est largitor nostræ salutis. Nam de quo alio loquamur vobis, nisi de illo, qui modo ex Evangelio loquebatur vobis?

II. Zacharias itaque sacerdos Dei summus, cum in ordine vicis suæ sacerdotio fungeretur, intravit in Sancta sanctorum. Et populus sequebatur eum, ut cum illo Dominum orarent in templo. Cumque sacris altaribus assistens Deo munera devotus offerret, apparuit illi Angelus Domini stans a dextris altaris in illa hora supplicationis. Cumque Zacharias, viso eo, formidine turbaretur; ait illi Angelus: « Ne timeas, Zacharia, exaudita » est deprecatio tua; ecce enim Elisabeth uxor tua concipiet, et pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus » Joannem. Et Zacharias respondit: Unde hoc mihi? » Ego sum senex, et uxor mea sterilis, et processit in » diebus suis<sup>1</sup>. » Angelus a Domino mittitur. Nuntiat Zachariæ filium nasciturum, et ille se suamque conjugem sciens ætate provector, dubitat esse futurum. Et cum hoc negat ætati, non credidit majestati; oblitus quippe nihil impossibile Deo. Cui Angelus respondit dicens: « Quoniam non credidisti verbis meis, quæ implebun- » tur in tempore suo, ecce eris mutus, nec loqui poteris, » donec impleatur verbum Dei<sup>2</sup>. » Quid putamus (2), fratres charissimi? quia sacerdos ille ideo intraverat in Sancta sanctorum, ut filius precaretur a Domino? Absit. Dicit aliquis, unde hoc probas? Unum est quod breviter dico. Si petiisset filium, crederet annuntiatum. Angelus

<sup>1</sup> Luc. 1, 8-18. — <sup>2</sup> Ibid. 19 et 20.

(1) Cod. male *in cuiusvis ergo nomine vos*. — (2) Vide Sermon. cccxci. n. 3.

autem Domini ei dicit , quod ei sit filius nasciturus, ille non credidit. Quis rogat sine spe? aut quis non credit in spe? Si non speras , quare petis? Si speras , quare non credis?

III. Interea Elisabeth conceptum portabat infantem ; in publicum pro pudore muneris egredi nolebat , quia quod habuit erubescerat. Sed pudor eam revocabat ad provectum ætatis. Munus juventutis tempus protulit senectutis. Non peperit tempore quo volebat ; sed genuit ætate , quando nolebat. Lactavit infantem in senectute , quæ fuit sterilis in juventute. Hoc non fuit communis carnis affectio , sed erat divinæ majestatis promissio ; Zacharias enim filium ex se nasci non credebat ; Deus autem Prophetam mittere disponebat. Natus ergo Joannes ex semine virili , sed præcepto verbi divini. Natus , inquit, Prophetæ , non sine patris invidia , quem suæ mentis præpedivit perfidia. Non credidit divino præcepto , et vincus est linguæ impedimento.

IV. Infans in utero matris exultavit , et de ventre prophetavit. « Unde hoc mihi , ut veniat Mater Domini mei » ad me<sup>1</sup>? » Magua humilitas , fratres mei , quia Mater Salvatoris venit ad matrem Præcursoris. Salutabat Christum Joannes , et ambo non videbantur in carne. Christus enim in utero Mariæ hospitabatur , et Joannes in ventre Elisabeth portabatur. Denique et de ipso vox prophetica ex persona Christi cecinit dicens : « Priusquam te » formarem in utero , novi te ; et antequam exires de ventre , sanctificavi te , et Prophetam in gentibus posui te<sup>2</sup>. » Beatæ sunt talium matres , quæ Sanctorum et Dominorum factæ sunt genitrices ; et beatæ semper erunt quæ talium matres dici meruerunt.

V. Agnoscamus itaque amborum nativitates , et discer-

namus singulorum admirabiles generationes (1). Is de sterili, ille de virgine. Sterilitas conversa est in foecunditatem; Virginitas mansit post foecunditatem. Sterilis genuit Praeconem, virgo genuit Judicem. Elisabeth genuit Joannem baptizantem, Maria peperit Christum Salvatorem. Hi duo, Christus et Joannes, Dominus et servus, humilitas et claritas, Deus humilis in claritate, homo humilis in infirmitate, Deus humilis propter hominem, homo humilis propter se hominem. Deus enim humilis, ut prodesset homini; homo humilis, ut non obesset sibi (2).

VI. Agnoscat servus humilitatem suam, ostendat Dominus majestatem suam. Dicat idem Joannes: « Non sum » dignus corrigiam calceamentorum ejus solvere<sup>4</sup>. » Multum se humiliaverat, si diceret: Dignus sum. Quid enim si diceret, Dignus sum? Numquid sederet in iudicio ad dexteram Patris? numquid veniret ad iudicandum vivos et mortuos? Sed quid dicit? « Me oportet minui, illum » autem crescere<sup>2</sup>. Qui post me venit, ante me factus » est<sup>3</sup>, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere<sup>4</sup>. » Magna humilitas, et hoc est dignus amicus sponsi (3). Dicturus enim erat amicum se esse sponsi. Et ne illa amicitia aequalitas forte ab aliquo imprudente intelligeretur, dicit se amicum propter amorem, dejecit se ad vestigia propter timorem.

VII. Et in ipsa differentia passionum intelligamus, quid est « Illum oportet crescere, me autem minui. » Legimus Joannem passum, et martyrem pro Legis veritate, non pro Christi nomine. Non omnino pro ipso

<sup>1</sup> Luc. III, 16. — <sup>2</sup> Joan. III, 30. — <sup>3</sup> Id. I, 15. — <sup>4</sup> Luc. III, 16.

(1) Vide Serm. CCXCIII, n. 1. — (2) Vide Serm. CCGLXXX, n. 7. — (3) Vide Serm. CCLXXXVII, n. 3, et Serm. CCXC, n. 3, et Serm. CCCLXXX, n. 6.



nomine Christi, quia non enim ideo decollatus est Joannes quoniam confessus est Christum, aut quoniam cogebatur negare Christum; sed quoniam monebat temperantiam, monebat justitiam, et dicebat Herodi: «Non tibi licet habere uxorem Philippi fratris tui<sup>1</sup>,» ideoque occisus est. Si ergo occiditur non pro Christi nomine, tamen pro Legis veritate, quia veritas Christus est. Loquantur ergo istæ ambæ passionēs: «Illum oportet crescere, me autem minui<sup>2</sup>.» Illum dicat in Cruce exaltari, se autem capite decollari. Ille crevit in ligno, hic est diminutus in gladio. Hæc amborum locutæ sunt passionēs. Hoc mysterium loquantur et dies (1). Nascitur Christus, et augentur dies, nascitur Joannes, et minuuntur dies. Minuatur ergo honor hominis, et augeatur honor Dei, ut honor hominis inveniatur in honorem Dei.

<sup>1</sup> Marc. vi, 18. — <sup>2</sup> Joan. iii, 30.

(1) Vide Serm. cclxxxvii, n.<sup>o</sup> 4. et Serm. cxcvii Append. n. 2, et Serm. cclxxx, inter dubios, n. 8.

## SERMO LXVIII.

## In Natali Joannis Baptistæ IV.

*Hic sermo ex eodem cod. Cass. cxxiii, fol. 148, erutus in multis sanctum redolet Augustinum, cui tribuitur sicut et præcedens. Nihil occurrit quod hujus authenticitati obstare videatur. Codex in pluribus deficiens deprehenditur; menda corrigere, ut licuit, tentavimus; Lector judicabit. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali Joannis Baptistæ xi.*

## SYNOPSIS.

I. Joannes vox Domini in deserto. II. Vox parandas Dei semitas fortiter insinuans. III. Zacharias mutus ob incredulitatem, generata Voce, vocem recipit. IV. De Synagoga et Ecclesia mysterium.

1. «Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia<sup>1</sup>.» Vox Domini humanæ sapientiæ contereus cedros, de contractis seni visceribus, et vitio sterilitatis adustus, hodie in deserto (1) sonuit, quæ per sæculum totum viribus summis increpuit; et obsurdescentem mundum, atque terram marcore (2) solutam, nunc mellifluo pulsavit sonitu, nunc clamore fortissimo suscitavit. Hic est enim Joannes, de quo nuntians Propheta dicit: «Vox clamantis in deserto<sup>2</sup>.» O vastum sæculi desertum!

<sup>1</sup> Psal. xxviii, 4. — <sup>2</sup> Isai. xi, 3.

(1) Cod. male *indelectio*. — (2) Id. pessime *tenerum marco resolutum*.

O formidolosa utrobique viantibus solitudo! Nullus namque jam Hebræam terram Patriarcha, nullus Propheta calcavit. Patulas fauces (1) ad perniciem Judæus paratus et itinera cruenta servabat, in quibus sæpe veridicos viatores oppresserat. Universa quoque Gentium terra sine rege Christo, sine accola Verbo, infœcundis lignis, et duris lapidibus abundabat, quia hoc erat quod colebat. Texerant eam undique sylvæ vitiorum, atque crescentium ex se criminum rupes. Terra aspera facie spinosæ fœditatis horrebat; non illa falcem legis senserat, non illi vomer cœlestis agricolæ sulcos rectiores induxerat. Nullum semen gratiæ Christi Salvatoris (2) fœcunda manus sparserat, sed sicut canitur in Psalmo: «Terra erat» deserta, et sine via, et sine aqua<sup>1</sup>. » Non enim erat apud Gentes antea, aut aqua, aut via, ubi homines falsus error, incerta semper confusus varietate fallebat; ubi nullus imber ardentia scelera undis succurrentibus restinguebat.

II. In hac ergo eremo Judæorum seu Gentium, senticosa vox (3) clamavit; Præco imminentis judicis venit (4) Salvatorem, et ipse occidendus, annuntians, homines ad viam disciplinæ melioris exhortans: «Parate,» inquit, viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri; » omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis humiliabitur<sup>2</sup>; » id est, omnis humilis exaltabitur, et omnis altus elidetur (5), quia «Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur<sup>3</sup>; » et «Erunt» quæ prava sunt in directa, et aspera in vias planas<sup>4</sup>; »

<sup>1</sup> Psal. lxxv, 3. — <sup>2</sup> Luc. iii, 4, 5. — <sup>3</sup> Id. xiv, 11. — <sup>4</sup> Id. iii, 5.

(1) Cod. habet sine sensu *patulæ fauces* — (2) Cod. *Christi talis*. — (3) *Senticosa* vox, id est aspera; sic apud Lucil. *Senticosa verba*. Vide Serm. cxcvi, Append., n. 1. — (4) Cod. male *invenit*. — (5) Cod. *eliditur*.

scilicet ut quidquid tortuosi serpentis anfractuosus et lubricus error invexit, quidquid scabrosæ naturæ claudiosa (*sic*) durities operuit (1). rectæ et inoffensæ viæ, ac securioris semitæ fidelis planities adæquaret. Hoc ergo ista vox clamat, hoc universo mundo Præco tantus insinuat: « Parate, inquit, viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri<sup>1</sup>. » Jam siquidem Maria Spiritu sancto ante conceperat; jam sine alieno semine impollutus Virginis venter excreverat. Jam hîc Evangelistarum currebat quadriga cadentis alvi plenum Deo cursum per orbem ducta, cantum resonabat (2). Ideo vox judicem, tuba præibat regem, ut seculum conveniret, et mundus totus audiret, terrificisque clangoribus surdas aures hominum sonus gravissimus aperiret.

III. Cum igitur sacerdos Zacharias astartet altaribus, annuntiato Christi Præcone, confestim incredulus pater obmutuit. Sensit vox genuina silentium, vetus lingua conticuit Judæorum. Zacharias sacerdos a sacrificio revertitur mutus, quia verus erat Sacerdos illico nasciturus. Torpuerunt in cubili suo membra verborum; vox in suis succisa radicibus aruit, atque in ipsis conatibus victa defecit; nihil aperto ore sonabat, quia intra cæcum uteri dehiscents chaos absorptus et interceptus sermo perierat. Ante Verbum vox nascitur. Perdidit itaque Judæa sermonem patrum, et vis novæ vocis transivit ad filium, quia Joannes Christo erat exhibiturus obsequium. Verum incredulus ille pater, qui Gabrieli a thronis regalibus venienti noluit accommodare fidem, post incarcerationam vocem, quam vasta faucium profunditas, et iulca viscerum secreta receperant, ubi mater naturæ vincula et nodosa

<sup>1</sup> Luc. iii, 4.

(1) Cod. *aperiit*. — (2) Sic cod. Forte pro *alvi* legendum est *ævi*, et virgularum mutandus ordo; Lector viderit.

uteri implicamenta resolvit , generata voce pater recepit vocem (1). Fundit novum partum anus sterilis , et soluta sunt ora patris. O mira rerum, et naturæ conversio ! Hic residuo calore virescunt et mortua ævo viscera ; hic arescit lingua , hic concipitur vox. Sed cum nascitur quod concipitur, confestim solvitur quod ligatur.

IV. Ad mysterium (2) redeamus. Erat igitur Ecclesia priscis temporibus infœcunda , de qua dicitur : « Lætare » sterilis , quæ non parit ; erumpe et clama quæ non parituris , quia multi filii desertæ , magis quam ejus quæ » habet virum <sup>1</sup>. » Quæ posteaquam divino repleto munere salutis Spiritum parturivit , sicut scriptum est : « Propter timorem tuum utero accepimus et parturivimus » Spiritum (3) salutis <sup>2</sup> , » obstupuit lingua quæ genuit , id est , Synagogæ propheticus sermo defecit : idcirco Judæus , quem incredulitas fecerat (4) mutum , vox nata perducit ad Verbum , ut in partu suo agnoscat fidem , qui noluit agnoscere annuntiatum sibi Dominum Salvatorem. Minuantur hinc dies , crescant noctes. Humilietur in carne Deus , excipiat tenebrosos in Cruce Judæos. Necessè est ut dies resurgendo iterum crescat in luce , et nox victa in sua permaneat cæcitate.

<sup>1</sup> Isai. LIV, 1. — <sup>2</sup> Id. LXVI, 18.

(1) Vide Serm. CCXC, n. 4. — (2) Cod. male *ministerium*. — (3) In Vulgata legitur : *Parturivimus Spiritum ; salutes non fecimus in terra*, etc. — (4) Cod. *fecerit*.

## SERMO LXIX.

## In Natali sancti Joannis Baptistæ V.

*Eruiitur hic sermo e.c. Bibl. Laurent., Plut. XIII, cod. VIII, fol. 199, ubi nomen habet sancti Augustini. Memoratur pariter in Bibl. Venet. catalogo, cod. LXIX, fol. 256. Sit locus ejus post præcedentem cum numero in Natali sancti Joannis Baptistæ XII.*

## SYNOPSIS.

I. Cur Patriarcharum et Prophetarum nativitas non celebretur. II. Joannes, celebratus a Christianis, Veteris Legis finis et Novæ exordium. III. Desertum est gentilis populus, in quo Sancti floruerunt, sicut lilia. IV. Ecclesia incœpit per verbum Dei positum in ore Joannis pœnitentiam prædicantis. V. Exhortatio ad pœnitentiam amplectendam.

I. CUM et Patriarchas pariter, et Prophetas, et universos denique Sanctos, qui sub antiqua Lege vixerunt, Ecclesia Christi sancto honore veneretur, scire vos convenit, dilectissimi, cur solius tantum Joannis Prophetæ nativitatis diem colat populus christianus, præsertim cum multos Prophetarum passos et interfectos pro Dei nomine atque honore manifestum sit, secundum illud Domini, quo per Stephanum Judæos increpat, dicens: « Quem » Prophetarum non sunt persecuti patres vestri<sup>1</sup>. » Cum ergo agnoscamus etiam tunc Sanctos Dei persecutionem sustinuisse atque martyrium, quid est quod Ecclesia

<sup>1</sup> Act. VII, 52.

Christi non defert his natalitiis solemnitatem, quorum suscipit atque amplectitur passionem? Illud est scilicet, dilectissimi, quia iidem populi dies illos, quibus Prophetas persecuti sunt et interfecerunt, tradere cultui et memoriae noluerunt, scilicet ne religiosa posteritas, dum actiones Sanctorum coleret, scelus persecutorum semper horreret, et sic obliterando martyrum dies, fecerunt memoriam Sanctorum natalium non esse diuturnam, dum timent recordationem malorum suorum esse perpetuam. Sed nihil etiam tamen egerunt hæc faciendo. Quid enim eis prodest, quod dies martyrii eorum ignoramus, dum ipsos Martyres novimus. Nihil ergo profecerunt. Natalis quidem omnium Sanctorum pro Christo passorum scire non possumus, sed tamen quotidie Prophetas, qui pro Deo passi sunt, honoramus; ac sic grandi compendio detrimenta exigua pensantur, cum, quibus singuli dies sublati sunt per oblivionem, omne tempus tribuitur per honorem.

II. Quid ergo est, cum hæc ita sint (1), quid est, quod natale tantum sancti Joannis, aut per odium, aut per negligentiam Judæorum, fidelibus non delevit oblivio? Illud est scilicet, quia ex tempore quo beatus Joannes passus et interfectus est, jam cœperat nasci populus christianus, et ideo cultum Martyris, quem neglectum Judæorum fecerat impietas, Christianorum pietas consecravit; maxime quia licet eum sub Veteri Lege Christus direxerit, non tam Judæorum Prophetam quam suum esse Martyrem indicavit, quia prædicans fidem Christi, ejus utique confessor fuit, cujus præcursor advenerat. Et jam doctrinam evangelicam prius inchoans, pro eo utique passus est martyrium, cujus annuntiavit adven-

(1) Cod. *sunt.*

tum. Nec immerito Legem ac Prophetas usque ad Joannem Baptistam legimus<sup>1</sup>; quia in eo utique Lex Vetus desiit, atque prædicatio primum novella surrexit. Quod si vultis plenius intelligere, videte Evangelistam qui lectus est, principium sacrae Scripturae beatissimi sancti Joannis prædicatione sumentem. Videte quam congrue usque ad Joannem Lex esse memoretur. Rectè finis esse Veteris Legis dicitur, quia exordium est Evangelii. Nec solum hoc. Quid enim Evangelista subjungit: « Fuit, » inquit, Joannes in deserto baptizans et prædicans<sup>2</sup>. »

III. Hoc quod in deserto sanctus Joannes scribitur prædicasse, notissimum est, dilectissimi. In deserto enim hoc, et in occulto, Gentilis populus designatur, qui utique adhuc tunc solitarius et sine Deo errans, ferino penitus ac belluino more vivebat. Joannes ergo missus ad prædicandum Verbum Dei, et ad annuntiandum omnibus fidem Christi, ideo civitates Judæorum reliquerat, secundum illud: « Lætetur desertum et floreat, sicut lili- » lium<sup>3</sup>. » In deserto ergo, ut diximus, dilectissimi, populus Gentilis, in liliis sancti quidem homines ac dilectissimi designantur. Et ideo, inquit, « Lætetur desertum, » et floreat, sicut lilium. » Bene lilio Sanctos Scriptura comparat; habentes utique nitorem et suavitatem ex mansione (1). Sancti enim quasi lilia sunt, dilectissimi, et odoris boni, et candoris eximii; candorem quidem habentes ex puritate, odorem ex suavitate, sicut Apostolus ait, quia « Christi bonus odor sumus Deo<sup>4</sup>. » Hæc ergo lilia in deserto, id est, in Ecclesia, Prophetis atque Apostolis inserentibus nata, mutuo sibi in pace et charitate

<sup>1</sup> Luc. XVI, 16. — <sup>2</sup> Marc. I, 4. — <sup>3</sup> Isaï. XXXV, 1. — <sup>4</sup> 2 Cor. II, 15.

(1) Sic cod. Forte legendum *ex religione*, nisi per *mansionem* intelligas *fortitudinem*, qua in Dei manserint *servitio*.



conjuncta, coronam Christi candidam contexuerunt (1), secundum illud Apostoli, quo ait Sanctos coronam suam esse, dicens: « Fratres, gaudium et corona mea, » sic state in Domino<sup>1</sup>. »

IV. « Fuit ergo, inquit, Joannes prædicans in deserto. » Utique, sicut et alius Evangelista dixit: « Factum est » Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in (2) » deserto<sup>2</sup>. » Bene Evangelista volens incipientis Ecclesiæ demonstrare primordia, licet prædicare in Jordane dixerit, Verbum tamen Dei in prædicantem venisse memoravit, ut intelligeremus scilicet Ecclesiam non tam ab homine quam a Divinitate cœpisse. « Factum est enim, inquit, » Verbum Domini super Joannem. » Ergo licet Joannes tunc prædicaverit, a Verbo Dei cœpit, significans Ecclesiam in Verbo Dei et fide Christi fundatam. « Fuit ergo, inquit, » Joannes prædicans baptismum pœnitentiæ. » Plenius hoc jam, dilectissimi. et apertius typus Ecclesiæ demonstratur. « Erat enim, inquit, prædicans baptismum » pœnitentiæ, et baptizabantur ab eo confitentes peccata » sua. » Visibiliter hæc quidem, dilectissimi, agi in Judæorum populo videbantur; figura tamen rei ipsius ad Ecclesiam pertinebat. Qui enim agunt pœnitentiam, nisi Ecclesiæ tantum filii et Christiani homines ab errore conversi? Numquid hanc confidis Judæis prodesse, qui non modo se ante errasse non pœnitent, sed quotidie errores suos augent? Quomodo namque peccatorum suorum pœnitentiam agunt, qui Christum hodie persequuntur? « Baptizabantur (3) ergo, inquit, confitentes peccata sua. » Judæus itaque populus tunc baptizabatur, sed terra jam sanctæ Ecclesiæ purgabatur.

<sup>1</sup> Philip. iv, 1. — <sup>2</sup> Luc. iiii, 2.

(1) Cod. *contexerunt*. — (2) Id. *in desertum*. — (3) Id. *baptizantur*.

V. Videmus (1) ergo, dilectissimi, hæc Christianis et Sanctis tantummodo convenire, qui peccata sua in baptismo confitentur et post baptismum emendare satagunt, quorum propositum poenitentia est, quorum vita confessio, quia incessabiliter se purificantes, quotidiano baptismo lavantur; quod ut faciatis hortor et obsecro, et quasi prepositus vester salubriter admoneo, quasi pater amabiliter suadeo.

---

SERMO LXX.

III Nativitate sancti Joannis Baptistæ VI.

*Legitur hic sermo in Bibl. Laurent., Plut. XIII, cod. VIII, secunda parte, fol. 205 b, et Cod. Cass. CXXIII, fol. 149, cum nomine sancti Augustini. De eo fit etiam mentio in Bibl. Venet. catalogo, cod. LXIX, fol. 258. Stylus paulisper durus; hunc tamen sancto Augustino penitus abnegare non audeo. Locus ejus post præcedentem cum numero in Natali sancti Joannis Baptistæ XIII.*

SYNOPSIS.

I. Superstitiones in nativitate sancti Joannis Baptistæ. II. Christus et Joannes æquinoxiorum tempore concepti, et nati tempore solstitiorum. III. Pagani ad baptismum invitantur. IV. Christiani ad celebrandam baptismi memoriam.

I. PERSUASUM habet hactenus error dubiæ vetustatis religionem divinam superstitionibus fingere, usu (2) si-

(1) Cod. videns — (2) Cod. vix vix insimulore.

mulare, rationem (1) decolorare, quin etiam mendacii verisimilibus veritatem protegere (2). Nam ut nox prosequitur (3) diem, dies vicissim noctem suscipiens dissipat et excludit: ita remissam paululum veritatem densus error astrorum insequitur, humanis ingeniis tenebras infusus; sed cum splendens refulsit (4) ratio, veritas propellit errorem. Nam hic vel maxime dies, cum Joannis Baptistæ natalis sit, tantis erroribus dehonestatur (5), et paganica credulitate (6) vana polluitur, ut sacri baptismatis indigeant vel etiam stagna vel flumina puritate mundari (7). O fama, quantum adjuvas fidem, quæ dum incognita pervagaris, natalem diem sancti Joannis Baptistæ Gentibus publicasti (8), et a nondum Christianis celebrari fecisti! Quid enim (9) tibi loquar, fama, nescio (10), quæ res verisimiles compellis testimonium dicere veritati (11). Videmus namque diluculo, priusquam solis ortus irrumpat, redire nudos (12) a fontibus ephebos (13); videmus quoque (14) superstisiosis matrum manibus gestari velatis capitibus unctos infantes. Sic, catechumeni (15), temeratis quod sanctum (16) est! Sic, fideles, erratis! Ignosco Gentibus, quod ignorant; vobis autem non ignosco Christianis, quod optime scitis. Gentes enim quod nesciunt, simulant; vos quod colitis, profanatis (17).

(1) Cod. *ratione*. — (2) Deest hoc verbum in cod. cxxiii. — (3) Id. cod. *persequitur*. — (4) Cod. viii *refulsisset*. — (5) Cod. cxxiii *oneratur*. — (6) Cod. viii *crudelitate*; hoc phrasis membrum deest in cod. cxxiii. — (7) Cod. cxxiii *gestiant stagni vel fluminis aquis puritatem mundare*. — (8) Id. male: *quantum titubas fidem, quæ dum in contagia pervagaris natalem diem sancti Baptistæ*, etc. — (9) Deest enim in cod. cxxiii. — (10) Ambo cod. *non liceat*. — (11) Cod. cxxiii *quæ rei verisimiles adisti testimonium dicere veritati*. Cod. autem viii non habet vocem *veritati*, sed legit reliqua ut scripsimus. — (12) Cod. cxxiii *unctos*. — (13) De hac pagana superstitione loquitur sanctus Augustinus Serm. cxcvi, num. 4. — (14) Sic cod. viii; *alii namque*. — (15) Cod. cxxiii *catechumenis*. — (16) Cod. viii *scriptum*. — (17) Sic cod. cxxiii; cod. viii male *vos colitis quos profanatis*.

Apostolus Paulus (1) hoc dicit : « Gentes quæ legem » non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt : hujus- » modi legem non habentes sibimetipsis sunt lex ; » qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis ; » testimonium sibi reddente conscientia sua<sup>1</sup>. » Populum autem christianum sic corrigit (2) ab errore : « Qui » abominaris idola, sacrilegium facis ; qui in lege glo- » riaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. » Nomen enim Dei per vos blasphematur in Gentibus<sup>2</sup>. »

II. Sed ut Baptistam Joannem hodie natum esse perdoceam, jannas temporum et metas breviter explicabo. Duo sunt anni solstitia, æquinoxiis duobus interpositis separata. Unum solstitium hodie geritur ; alterum autem (3) octavo Kalendarum Januarii (4) die similiter celebratur. Æquinoxium vero unum est octavo Kalendarum Octobris die (5) ; aliud octavo Kalendarum Aprilis reperitur. His ergo quatuor anni cardinibus constitutis (6), Joannes et Dominus noster Jesus Christus singulis æquinoxiis concepti sunt (7), ut solstitiis singulis nascerentur. Utriusque autem conceptum (8) natalitas indicat singulorum. Nam Joannes hodie natus, octavo Kalendarum Octobris die videtur esse conceptus ; Christus autem, Filius Dei, octavo Kalendarum Aprilis, verbo maritante, conceptus, ut octavo Kalendarum Januarii die legitime nasceretur. Tempora sunt obsecuta naturæ (9)

<sup>1</sup> Rom. II, 14, 15. — <sup>2</sup> Ibid. 22 24.

(1) De hoc sancti Pauli testimonio vide lib. IV contra Pelag. n. 23. — (2) Cod. CXXIII *corrigit*. — (3) Cod. VII *male ante*. — (4) Cod. CXXIII *Kalendarum januariarum* ; cod. VII *kalendas... dies natalis Domini celebratur similiter*. — (5) Cod. CXXIII *kalendarum octobrium*, et non habet *die* ; cod. VII *kalendas*, et sic deinceps. — (6) Cod. CXXIII *constitutis*. — (7) Vide sancti Augustin. Serm. CXCVI, num. 4. — (8) Cod. CXXIII *male conceptus*. — (9) Sic cod. CXXIII ; cod. VII *tempora etiam obsequuntur*.

pro meritis singulorum (1). Joannes cum dies inchoat (2) minui, natus est; ut Christus, Dei Filius, cum dies crescere incipit, nasceretur, eodem Joanne dicente: « Ipsum quidem oportuit crescere, me autem minui<sup>1</sup>. » Recte Joannes Christum ut diem constituit, quem prior David propheta psalmographus diei comparavit: « Hic » est, inquit, dies quem fecit Dominus, exulemus et » jucundemur in eo<sup>2</sup>. » Dies quem memorat, Christus est; qui et natus est, et occisus est, et post obitum resurrexit.

III. Audite hoc, vulgi sapientes; si alia vobis temporum ratio est, nostræ tamen fidei rationem accipite. Baptistam Joannem nos hodie natum (3) colimus, cum (4) vos solem (5) miramini æquipondio contineri; et si vobis nulla (6) temporum ratio rationi aut religio (7) religioni consentiat, audite vos (8) quoque, qui corpora vestra gurgitibus fluminum matutinis horis (9) lustratis. Nolite hoc in irritum (10) facere; nolite fingere, quæ nescitis. Quod si aliqua vobis hujus purgationis est fides, sacrosanctam Ecclesiæ aquam petite, errores abjicite, et accipite veritatem.

IV. Vos autem, Christiani, hunc diem non solum natalem (11) Joannis Baptistæ, sed natalem quoque baptismatis existimate (12). Joannes enim Baptista hodie natus est, a quo idem baptizatus est Christus (13). Magnus quidem iste (14), qui dare potuit baptismum; sed

<sup>1</sup> Joan. III, 30. — <sup>2</sup> Psal. cxvii, 24.

(1) Sic cod. viii; cod. cxxiii hæc sunt merita singulorum. — (2) Cod. cxxiii incipit. — (3) Cod. cxxiii tantum. — (4) Codd. quem. — (5) Cod. cxxiii, quem vos hodie natum solem. — (6) Codd. nulla. — (7) Cod. cxxiii aut; cod. viii arte. — (8) Sic cod. cxviii; cod. viii nos. — (9) Cod. cxxiii non habet horis. — (10) Id. male hæc irritum. — (11) Deest vox natalem in cod. viii; deest autem vox Joannis in cod. cxxiii. — (12) Cod. cxxiii æstimat. — (13) Deest vox Christus in cod. viii. — (14) Deest iste in cod. cxxiii, qui deinde habet baptisma.

major est ille qui suscepit (1). Denique humilitatem dantis advertite, ut accipientis possitis agnoscere veritatem, eodem Joanne (2) dicente: « Qui post me venit (3), » fortior me est; cujus non sum dignus solvere corrigiam » calceamenti. Ego quidem baptizo vos in aqua; ipse autem baptizabit vos in Spiritu sancto<sup>1</sup>. » Postquam igitur venit Christus ad Joannem, idem Joannes hoc dixit (4): « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic » est de quo dixi: Post me venit (5) vir, qui ante me » factus est, quia prior me erat<sup>2</sup>. » Et postquam (6) venit Jesus ad Jordanem, ut baptizaretur a Joanne (7), respondit ei Joannes dicens (8): « Ego a te debeo baptizari, » et tu venis ad me. Et dixit ei Jesus: Sine modo; sic » enim decet nos implere omnem justitiam<sup>3</sup>. » Tunc deposuit illum in aquam (9), et baptizatus (10) Jesus » Ascendit (11) de aqua, et aperti sunt ei (12) cœli, et » ecce Spiritus sanctus descendit de cœlo tanquam co- » lumba, et mansit super (13) eum, et vox de cœlo » audita est: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi » bene complacui<sup>4</sup>. » Hic est ergo natalis dies Joannis, datoris sacri baptismatis (14), quem omnes Christianos decet honorare (15). Tenete, fratres, hanc fidem, et (16)

<sup>1</sup> Luc. III, 16. — <sup>2</sup> Joan. I, 29, 30 — <sup>3</sup> Matth. III, 14, 15. — <sup>4</sup> Ibid. 16, 17.

(1) Cod. VIII sumpsit. — (2) Id. evangelista. — (3) Id. addit inquit Joannes. — (4) Hic mendose habet cod. CXXIII venit Johes, idem Johes: ecce. — (5) Cod. CXXIII veniet. — (6) Id. et paulo post. — (7) Deest hoc membrum in cod. CXXIII, qui addit et ante respondit. — (8) Deest vox dicens in cod. CXXIII. — (9) Cod. CXXIII in aqua. — (10) Cod. VIII male addit est. — (11) Id. male descendit. — (12) Deest ei in cod. CXXIII, et deinde sanctus. — 13 Cod. CXXIII in eum. — (14) Cod. CXXIII hic est ergo baptismatis sacri dies. — 15) Id. male deceat adorare. — (16) Cod. CXXIII et ne aliquis vos a fidei deficiat ratione. Hic est, inquam, sacri baptismatis dies, quem vos omnes ignorantes aquis mendacibus exercetis. Det vobis sacrosancti baptismatis Dominus veniam, quia ignorantes quod verum sit, facili simplicitate peccatis.

SERMO LXXI, IN NATALI SANCTOR. AP. PETRI, ETC. 37  
ne aliquid (*sic*) dubitetis, estote Christianæ fidei sub-  
jecti, quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat  
trinus et unus Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

---

## SERMO LXXI.

In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli II.

*Hic sermo legitur in tribus codicibus, nempe uno Cassi-  
nensi, cix, fol. 30; altero autem Bibl. Laurent., videlicet Plut.  
xx, cod. II, fol. 119; et ultimo Bibl. Ædil., cod. cXLIII, fol.  
199 b. Omnes habent sancti Augustini nomen, et revera multa  
sunt quæ cum aliis ejusdem Doctoris sermonibus conforman-  
tur, ut suo loco quæque præsignantur. Sit ejus locus post  
sermonem primi nostri supplementi LVIII cum numero in  
Natali Apostolorum VII.*

### SYNOPSIS.

I. Fides Petri. II. Petrus et Paulus, Apostolorum primus  
et novissimus, eodem die coronantur. III. Nomen eorum ubi-  
que, corpora Romæ.

I. AUDIAMUS, fratres charissimi, hunc piscatorem prin-  
cipem omnium Apostolorum, qui fidei responso meruit  
janitorem esse regni cœlorum. Accepit solvendi ligandi-  
que potestatem, quia invenit latentem Domini majesta-  
tem. In persona hominis interrogat Dominus Christus  
Discipulos suos (1), quid de eo vulgi æstimaret opinio,

(1) Vide Augustin. Serm. LXXVI, NUM. 14

dicens : « Quem dicunt homines esse Filium hominis <sup>1</sup>? » At ille divino ignitus Spiritu respondit, non quod fuerat interrogatus, sed quod desuper fuerat inspiratus : « Tu » es, inquit, Christus filius Dei vivi <sup>2</sup>. » Cui Dominus ait : « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis » non revelavit tibi (1), sed Pater meus, qui in cœlis » est <sup>3</sup>. » Incarnationis mysterium et tam profundi altitudinem sacramenti humanus sensus et carnis sapientia non potest intueri, nisi a (2) Deo fuerit revelatum. Ecce, fratres, Apostolus humilis et pauper invenit investigabiles divitias Domini per confessionem nominis Christi. Invenit divitias cœlestes credendo, non discutiendo. Semper enim credidit, nec aliquando discussit, ejus fides tantam gratiam meruit, ut etiam per mare Dominum sequeretur. Quomodo (3) autem hic undam calcasset, si humanam rationem tractasset? quomodo liquido elemento vestigia solidæ carnis imprimeret, nisi verbis Domini credidisset? Non ergo discussit, sed credidit, et ideo illi alta (4) Dei mysteria revelata sunt. Revelavit Dominus Discipulis suis ineffabilia fidei (5) sacramenta, et manifestavit eis odorem notitiæ suæ. Manifestavit se piscatoribus Dominus, ut universus mundus Evangelii retibus caperetur. Ecce ubique docent piscatores sapientiam, et errant grammatici et oratores sequentes stultitiam. In simplicitate cordis Dominum quæramus, fratres, et ejus adventum tanquam quotidie (6) venturum esse credamus, ut correcti a vitiis, vanam spem sæculi relinquentes, ad palmam supernæ vocationis attingere mereamur.

<sup>1</sup> Matth. xvi, 13. — <sup>2</sup> Ibid. 16. — <sup>3</sup> Ibid. 17.

(1) Vide Augustin. Serm. cclxx, num. 2. — (2) Cod. II a Domino. — (3) Codd. *quando* et sic deinceps. — (4) Sic cod. II; cod. cix male *ideo alia*. — (5) Sic cod. cxliii; cod. cix *Dei*; cod. II hoc omittit. — (6) Sic codd. cix et cxliii; hoc verbum in cod. II desideratur.



II. Natalem igitur celebramus sanctorum Apostolorum primi et novissimi. Scio quidem vos scire quod dixi; sed numquid quia vos scitis, nos silere debemus? ut reddentibus vobis quod vestrum est, nos remaneamus innoxii. Vos enim reddidistis solemnem processionem, et nos debemus facere qualemcumque sermonem, ut omnes pariter celebremus sanctam devotionem (1). Petrus itaque primus est Apostolorum, et Paulus novissimus Apostolorum. Deus autem qui eos in (2) sua vocatione sanctificavit, ipse illos in passione coronavit qui est primus et novissimus<sup>1</sup>; primus, videlicet ante quem nihil, novissimus, post quem nihil (3); nec originem ejus aliquis antecedit, nec finem excedit. Origo ejus non habet initium, finis non habet finem. Ita ergo ille qui se primum et novissimum aeternitate perpetua commendavit, ipse Apostolos suos primum et novissimum aequaliter coronavit. Vita eorum praedicat charitatem; mors eorum consecrat solemnitatem. Una dies illis occurrit coronandis, civitas una tamen laudandis. Non sunt in terris corpora eorum separata, quorum merita sunt in caelis coaequata. Viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sermone suo, morientes pro Christo rigaverunt sanguine suo, adjuvant nos orantes pro merito suo. Bene sibi occurrerunt ad unum diem; ut quibus fuit communis praedicatio civitatis (4), una esset sors individuae charitatis. Sane (5) sicut traditum est habemus. Primus beatus Petrus passus est; oportebat enim vocationis ordinem et in morte servari, deinde

<sup>1</sup> Apoc. xxi, 13.

(1) Sic codd. civ et cxliii; cod. ii non habet *sanctam devotionem*. — (2) Sic codd. ii et cxliii; cod. cix non habet *in*. — (3) Vide Augustin. Serm. ccxcviii, num. 1, et ccxcix, num. 2. — (4) Sic codd. Forte legendum *veritatis*. — (5) Haec et sequentia leguntur in cod. cix, sed desunt in caeteris codd., usque ad haec verba *elegerunt umbo*.

beatissimus Paulus, novissimus quidem Apostolorum, sed magister Gentium. Paulus ergo parvus, tanquam Domini fimbria vestimenti, sed tamen quæ possit salvare tangentes.

III. Elegerunt ambo Roman, principem Romani nominis civitatem; Petrus, propter primatum Apostolorum; Paulus, propter magisterium Gentium; sed illic (1) tantum corpora posuerunt, ubique autem merita sua disperserunt, sicut modo cantavimus (2): « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis » terræ verba eorum<sup>1</sup>. » Quicumque hominum in quacumque parte terrarum novit Jesum Christum Dominum nostrum, necesse est Petrum sciat et Paulum; hoc est « In omnem terram exivit sonus eorum. » Quocumque enim non venerint viventes pedibus suis, mortui pervenerunt litteris suis; ex quibus nobis quotidie apostolica verba recitantur, ut de ipsis instruantur Catholici, inde confutentur inimici. Quia ergo non potuimus ubique corpora eorum habere, eloquia eorum possumus tenere. Corpora enim (3) eorum necesse fuerat, ut uno loco componerentur (4), sed virtutes eorum ubique exercentur in Christo Jesu Domino nostro, qui vivit (5) et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Psal. XVIII, 5.

(1) Sic codd. CIX et CXLIII; cod. II illi.— (2) Sic cod. CIX; cæteri non habent *sicut modo cantavimus*. — (3) Sic cod. CIX; *enim* deest in cæteris. — (4) Sic cod. CIX; cæteri codd. *ponerentur*. — (5) Sic cod. CIX; cæteri nihil addunt.

SERMO LXXII.

In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli III.

*Extrahitur hic Sermo ex Bibl. Laurent., Plut. XIII, cod. VIII, cum nomine sancti Augustini, cui nihil vetat ne tribuatur. Laudatur etiam in Bibl. Venet., cod. LXIX, fol. 269 b, ut legitur in catalogo, fol. 50. Ejus locus post præcedentem cum numero in Natali Apostolorum VIII.*

SYNOPSIS.

I. Petrus et Paulus, merito pares, eodem die, licet non eodem anno, martyrium passi sunt. II. Mira Petri potestas et gloria. III. Pauli conversio et merita. IV. Conclusio.

I. FORTIS et humilis, maximus et minimus, princeps et novissimus, Petrus et Paulus, facti sunt meritorum æqualitate consortes, Apostolatus honore pares, Christiani populi per Evangelium genitores, gregis Domini pastores, in fide et prædicatione concordēs, in virtute consimiles, et in morte victores. Approbat hoc, quod cum sit in eorum passione anni diversitas (1), est tamen in uno die geminata festivitas. Occurrit enim idem dies alteri ad pugnam, qui unum jam perduxerat ad coronam; ut et istum faceret dies ille victorem, et duo triumphis

(1) Communis est sententia sanctos Apostolos eodem anno, sicut et eodem die passos fuisse. Vide tamen eandem opinionem in Append. Serm. ccv, num. 4.

perillustres (1) communem sibi sacrarent diem, in quo vicerunt mundum, et regem secuti sunt Christum.

II. O mira potentia et ineffabilis gratia Salvatoris! Quis persecutorem Saulum martyrem crederet esse futurum? quis plebeium piscatorem Apostolorum fore (2) crederet principem, et regibus obsistere, reges sanctificare, regnis omnibus imperare, mundum sanare legibus, dæmones calcare sub pedibus, imperare virtutibus, cœlum hominibus aperire cum vellet, claudere cum placeret, immortale regnum conversis donare, negare perversis, merita mundi cognoscere, culpas et crimina hominibus relaxare? O inæstimabilis et immensa potestas! Hominem in terra positum, cœlum tenere. Ecce nunc ad nutum Petri, divini regni claustra patescunt. Accepit enim a Christo claves regni cœlorum, ut solutis vinculis delictorum, aperiret credentibus cœlum. O quam vicina et profunda remedia! Juxta se habet mundus Dei regnum, si currat ad Petrum: nullæ (3) machinæ quærentur ad nubes, quia ascensum præparat sola fides. Non ad aures Domini longa est precantibus via, quia ipse Christus credentibus factus est via. Posuit ad vicem suam in sæculo cœlestis regni clavicularium Petrum, ne difficilem sibi aditum quispiam existimaret.

III. Paulus vero cœlesti voce prostratus, dum fuit ad caulas, et lupina rabie, exosum sibi nomen innocentis agni persequitur; dum quærit discerpere aut vexare gregem, percussus est, et erectus, cæcatus est et illuminatus ab eo, qui « Erigit elisos, et illuminat cæcos<sup>1</sup>. » Factus est subito ex lupo agnus, ex persecutore Apostolus, ex prædone captivus. Cœpit prædicare Christum,

<sup>1</sup> Psal. CXLIV, 14, et CXLV, 8.

(1) Cod. *perhibentes*. — (2) Id. *facile*. — (3) Id. *non hæc*.

cui antea resistebat ; pati pro eo quem ante expugnabat ; flagellorum ictibus verberari, duris lapidibus conquassari, bestiis subigi, ignibus abjici, catenis inseri, carceribus obserari, ad postremum suscepit pro eo mortem, pro quo aliis intulerat necem ; et dum quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum confessorum. Dum intrat rapax stabula quieti corporis (1), subito et ipse factus est ovis.

IV. Quis nunc jam desperet de humilitate generis, aut de magnitudine criminis, cum videat sic mundasse cœlestis gratiæ fontem, ut et piscatorem regibus præponeret, et persecutorem Apostolibus coæquaret. Ille enim dum pauperiem suam curat, et alimenta quotidiani victus quærit in pelago, factus est dives in Christo, cui reges et nationes famulantur in sæculo. Paulus vero dum urget gladiis cœtum Sanctorum, fidei suscepit jugum, et magister factus est Gentium, forma martyrum, formido dæmonum, indultor criminum fonsque virtutum. Utrique igitur in sæculo victoriæ palmam, et gloriosam in cœlo meruerunt coronam.

(1) Foris pastoris.

## SERMO LXXIII.

In Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli IV.

*Hic Sermo eruitur ex Bibl. Ædil., cod. CCXLIII, ubi brevior est, et ex cod. Cassin. CIX, fol. 57 verso, ubi nomine sancti Augustini inscribitur, et longior est. Nil occurrit quod a sancti Doctoris sententiis dissonet. Hinc sit locus ejus post præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Petri fides non defecit in mare. II. Fides tenenda. III. Pauli conversio.

I. FRATRES charissimi, aut erroris est, aut delicti reus (1), qui Petro apostolo, hoc est, Ecclesiæ fundamento, aliquid infidelitatis ascribit; sicut (2) temerarium est enim (3), dilectissimi, eum incredulitatis arguere, cui solvendorum et ligandorum criminum potestas est pro meritis divinitus attributa. Aut quis potest alius erga timorem Dei (4) jam idoneus inveniri, si in (5) Apostolo culpa innuitur; si Petro præcipue, cui ipse Dominus testimonium perhibuit (6), quod sit culpabile (7) irrogatur? Multi enim sensu indociles (8), qui rei gestæ

(1) Deest reus in codd. — (2) Cod. CIX sic. — (3) Sic cod. CIX; enim deest in cod. CXLIII. — (4) Hæc verba *erga timorem Dei* desunt in cod. CIX. — (5) Deest in apud codd. — (6) Sic cod. CIX; cod. CXLIII reddidit; deinde cod. CIX male *quod si*. — (7) Sic cod. CIX; cod. CXLIII *culpabilis*. — (8) Cod. CIX male *indocibilis*.

rationem ignorant, laqueos non minimæ offensionis incur-  
runt, ut credant hoc loco fidem certam et solidam (1)  
in Apostolo non fuisse, ubi et dicitur a Domino: « Mo-  
» dicæ fidei, quare dubitasti<sup>1</sup>? » Non considerantes mag-  
nitudinem ipsius fidei, qua dictum est a Petro: « Do-  
» mine, si tu es, jube me venire ad te super aquas<sup>2</sup>. »  
Utique, qui dicit: « Jube, » credidit potestati. Ingens  
ergo huic (2) credulitas fuit, ut audaci saltu et de  
navi intrepido descensu, profundo se crederet ele-  
mento, et inusitatam gressibus viam securus intraret,  
non metuens, quod et onerosum esset (3) humani  
corporis pondus, et (4) liquidum maris solidum non  
portaret ingressum Tantum enim fiduciæ Domini verbo  
conceperat dicentis: « Veni<sup>3</sup>, » ut crederet vestigiis  
suis non pelagi infidam mobilitatem sublitam, sed tan-  
quam terrenam soliditatem esse subjectam Nam cum  
Dominus supra mare iter ageret, ita ei (5) subditum pe-  
dibus obtemperabat elementum, ut nec se mare sub-  
traheret, et venerandas Domini plantas non tangeret. Nec  
mirum, charissimi, si ei (6) natura æquoris serviebat,  
cujus est arbitrio et dispositione perfecta. Soli ergo Christo  
debitum erat, ut siccis per aquam vestigiis ambularet,  
et fragilitatis humanæ ratio postulabat, ut Petrum tur-  
baret ventus, pluvia terreret. Inde est ergo quod ex  
parte aliqua mersus est, ne inter Deum et hominem  
nihil inciperet discrepare, essetque inter homines non  
minima dubitatio, si Petrum hîc vidissent fecisse quod  
Christum; nec honor debitus Deo redderetur (7), quia

<sup>1</sup> Matth. xiv, 31. — <sup>2</sup> Ibid. 28. — <sup>3</sup> Ibid. 29.

(1) Sic cod. cix; hæc verba *et solidam* desunt in cod. cxliii. — (2) Sic  
cod. cix; cod. cxliii *hic*. — (3) Cod. cix addit iterum *et* ante *humani*.  
— (4) Cod. cxliii *in*. — (5) Sic cod. cxliii; cod. cix *et*. — (6) Sic cod.  
cix; cod. cxliii *et sine si*. — (7) Sic cod. cix; cod. cxliii *redderet*.

non esset mirum a Deo gestum, quod et ab homine videbatur effectum.

II. Et quia in hoc sæculo tanquam in aliquo mari positi sumus, in quo utique et spiritualium nequitiarum turbines (1) sustineamus, omni sollicitudine naufragium declinantes, teneamus fidei nostræ solida et stabilita vestigia, ut sæculum hoc (2), quod Dominus noster Jesus Christus pedum suorum, hoc est, adventus sui virtute calcavit, nulla nos ex parte præcipitet vel demergat. Certe si aliqua nos velut ingruentia (3) periculorum tentare cœperit, exemplo Apostolorum clamemus ad Dominum, dicentes: « Domine, libera nos, quia (4) perimus<sup>1</sup>. » Melius enim est nobis interpellando Dominum (5) liberari, quam dissimulando et non orando periculum mortis incurrere. Sed ut ad cœpta redeamus, plurimum ergo sibi humana usurpatio licentiæ daret, si virtutem cum Deo cœpisset habere communem. Idcirco ergo Petrus apostolus visus est hominibus in fluctibus dubitasse, ut sciremus nihil dandum esse nostro actui, sed totum quod recte gerimus divinæ ascribendum esse virtuti.

III. Et quia dignum (6) et congruum est, fratres, ut gaudia nostra cum sanctis Apostolis conferamus, et his annuntiemus Dominicæ resurrectionis gloriam, qui consortes sunt Dominicæ passionis. Nam ipse quem vas electionis suæ esse dignatus est, et voluit magistrum Gentibus (7) dare, non solum fidelium animas a pietatis proposito revocavit, sed etiam nolentes a Christo discedere,

<sup>1</sup> Matth. VIII, 25.

(1) Cod. CIX *turbidinem*. — (2) Sic cod. CXLIII; cod. CIX *salum hoc*, quod et quodam modo admitti posset ex Cicer. pro Cæcina cap. 30. — (3) Sic cod. CIX; cod. CXLIII *ingruentium*. — (4) Sic cod. CXLIII; cod. CIX *peribimus*. — (5) Sic cod. CXLIII; cod. CIX *a Domino*. — (6) Hæc et sequentia usque ad glorificationem non leguntur in cod. CXLIII. — (7) Cod. *Gentium*.



lapidibus obruebat. Hunc nobis ipse Dominus Apostolum condonavit, tribuitque nobis ex Saulo Paulum, et ex apostata fecit Apostolum, et dedit Ecclesiæ ex persecutore doctorem. Amator passionis factus est, qui persecutionis auctor extiterat, et qui in alienis afflictionibus prius gratulabatur, in suis postmodum persecutionibus lætabatur. Ipse qui tunc in Apostolo suo virtutem istam exercuit, ipse nunc de ipso inferorum conclavi, et ex ipsis draconum faucibus animarum nostrarum captivitatem eripuit, et nobis a tenebris ad lucem remeantibus, æternæ vitæ januas patefecit, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, laus et gloria per infinita sæculorum sæcula (1). Amen.

---

SERMO LXXIV.

De Lapsu Petri II.

*Sermo hic eductus ex quatuor codicibus, nempe: 1<sup>o</sup> ex Bibl. Laurent., Plut. xvii, cod. xli, fol. 105; 2<sup>o</sup> ex eadem Bibl., Plut. xxxi sinist., cod. xxxiii, fol. 54 b; 3<sup>o</sup> ex Bibl. Ædil., cod. cxliii, fol. 254; 4<sup>o</sup> ex Bibl. Fesulan., cod. xxv, fol. 251, in primo et tertio nomen habet sancti Ambrosii, in secundo autem et quarto nomen sancti Augustini. Cui ex duobus potius sit tribuendus non satis constat; sed alterutro dignus est. Unde propter horum nominum reverentiam, et dubium non prorsus inane ejus authenticitatis quod spectat ad Doctorem nostrum, non in appendicem rejiciendum illum*

(1) Cod. cxliii cui est honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen.

*putavimus, sed hinc ponere operæ pretium duximus. Sit locus ejus post sermonem nostri primi supplementi LX.*

### SYNOPSIS.

I. Petrus, ut Adam, a femina deceptus. II. Citius subvenitur Petro quam protoplasto. III. Petri lacrymæ. IV. Ejusdem in Christum amor.

I. SCIMUS, fratres, quod ad similitudinem Evæ, beatum Petrum ostiaria quoque (1) mulier deceperit (2), et sicut Adam (3) mulier circumscripsit, ita et Apostolum foemina circumvenerit. Usitatus (4) enim ad decipiendum sexus est; fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus (5) recognovit. Fides viros non nisi per mulierem oppugnare consuevit. Ibi Adam per Evam superat, hinc Petrum vincit per ostiariam. Fuit enim, sicut legimus, in Paradiso (6) deliciarum diabolus; nec defuit, sicut intelligimus, in prætorio Judæorum. Ibi minabatur (7) Sathanas serpens, hinc Judas coluber perurgebat. Est ergo eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ in Adam fuit, quoniam eadem (8) est et similitudo mandati. Accepit (9) ergo a Domino uterque mandatum, Adam ne tangeret, Apostolus ne negaret (10); ille ne lignum scientiæ præsumeret, hic ne crucem sapientiæ præteriret. Sed transgrediens (11) uterque præceptum, rari (12)

(1) Sic cod. CXLIII; cæteri *queque*. Antea cod. IV non habet *beatum*. — (2) Sic e d. IV; cæteri *decepisset*. — (3) Sic cod. CXLIII; cæteri *in Adam*. — (4) Sic cod. CXLIII; cæteri *usitatum*, et antea *circumvenit*. — (5) Sic cod. IV; cæteri pessime *Dominus*. — (6) Sic cod. IV; cæteri *paradisum*. — (7) Cod. IV *in vinebat*; cæteri *minabatur*. — (8) Sic cod. CXLIII; cæteri male *eandem*. — (9) Sic cod. IV; cæteri *acceperunt*. Cod. XXV, *accipit enim*. — (10) Sic cod. CXLIII; hæc desunt in cæteris. — (11) Sic cod. IV; cæteri *transgredientis*. — (12) Sic cod. CXLIII; cæteri *patri*.

modo deliquit (1). Gustavit (2) ille quod non licebat, loquitur iste quod non decet; et tamen facilius negatio Petri, quam Adæ prævaricatio.

II. Citius enim Apostolo, quam protoplasto (3) subvenitur. Hunc enim Deus ad vesperum requirit errantem, illum Dominus pullorum cantu denegantem (4). Adam reus facti, nudus erubuit; Petrus conscius dicti (5), correptus ingemuit. Ille tanquam deprehensus confugit (6) ad latebras (7); hic tanquam emendatus prorupit (8) ad lacrymas. Illi velut latenti et celanti se a divinitate dicitur: « Adam, ubi es<sup>1</sup>? » non quod Adam a conspectu Domini latere potuerit, sed (9) quod peccatrici conscientiae nullus locus tutus certus sit (10), metuit deprehendi. Respexit Dominus, et apertis oculis, ejus emendavit (11) errorem. Recte oculis emendavit (12) Petrum, quia scriptum est: « Oculi Domini super justos, » et aures ejus ad preces (13) eorum<sup>2</sup>. »

III. Ergo Petrus prorumpit (14) ad lacrymas, et nihil voce precatur. Invenio enim, quod fleverit, non invenio quod dixerit. Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego. Recte plane Petrus flevit et tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari; et quod defendi non potest,

<sup>1</sup> Gen. III, 9. — <sup>2</sup> Psal. XXXIII, 16.

(1) Sic legendum; codd. *delinquant*. — (2) Sic omnes codd., excepto cod. IV, qui habet *gustat*, et deinde *licet*. — (3) Sic cod. CXLIII; cæteri male *protoplausto*. — (4) Sic cod. IV; cæteri male *illum Domino pullorum cantu denegaret*. — (5) Sic cod. IV; deest vox *dicti* in cæteris. — (6) Sic omnes codd. excepto cod. IV, qui habet *festinat*. — (7) Sic cod. IV; cæteri *latebram*. — (8) Sic cod. IV; cæteri *erupit*. — (9) Sic cod. IV, qui antea ponit *certus*; sed evidenter *certus* bis repetitus hic est pro *sed*. — (10) Sic cod. IV; cæteri *nullus certus locus sit*. — (11) Sic cod. CXLIII; cæteri male *emendatum*. — (12) Sic cod. IV; et deinde omnes codd. male *Petrus*. — (13) Sic cod. CXXI et cæteri; cod. IV solus *in preces*. — (14) Cod. IV solus *prorumpit*, et deinde *precatus*.

ablui potest. Lavant enim lacrymæ (1) delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrymæ ergo (2) verecundiæ pariter consulunt et salutem, nec erubescunt in petendo (3), et impetrant in rogando. Lacrymæ, inquam, tacitæ quodam modo (4) preces sunt, veniam non postulant, sed (5) merentur, causam non dicunt, sed (6) misericordiam consequuntur; nisi quod utiliores lacrymarum preces sunt, quam (7) sermonum; quia sermo in precando fallit forte, lacryma (8) omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit (9) affectum. Et ideo Petrus jam non utitur sermone quo (10) fefellerat, quo peccaverat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo usus fuerat ad negandum. Ac per hoc magis vult causam suam flere, quam dicere, et (11) quod voce negaverat, lacrymis confiteri. Invenio autem et aliud cur tacuerit Petrus, ne tam cita veniæ postulatio (12) per impudentiam plus offenderet, quam impetraret. Solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur. In omni igitur culpa ante flendum est, quam (13) precandum. Scimus autem (14) hoc jam exemplo (15), quemadmodum nostra peccata curemus. Ecce nihil nobis Apostolus nocuit, quod negavit, et plurimum profuit (16), quod emendavit.

(1) Cod. IV solus *lavat enim lacryma*. — (2) Sic cod. IV; cæteri *enim*. — (3) Sic cod. IV; cod. XLII *impedendo*; cod. CXLIII *impedendo*. — (4) Sic cod. IV; cæteri *quemadmodum*. — (5) Sic omnes codd.; cod. IV *et*. — (6) Sic prorsus legendum; codd. *et*. — (7) Sic cod. IV; cæteri male *tanquam*. — (8) Sic cod. CXLIII; cæteri *lacrymas*. — (9) Sic cod. CXLIII; cæteri male *lacrymas... perdit*. — (10) Sic cod. IV; cæteri *quod*. — (11) Sic cod. XXV bene; cæteri non habent *et*. — (12) Sic cod. IV, excepto quod habet *cito pro cita*; cæteri *cito... postulatione*. — (13) Sic cod. IV; cæteri *et sic*. — (14) Sic cod. IV; cæteri non habent *autem*. — (15) Sic cod. CXLIII; cæteri male *exemplum*. — (16) Sic cod. CXLIII; cæteri *profugit*.

IV. Denique imitemur eum dicentem alibi. Cum enim tertio interrogaretur a Domino : « Simon, amas me<sup>1</sup> ? » respondit tertio : « Domine, tu scis quia diligo te. Ait » Dominus, Pasce oves meas<sup>2</sup>. » Et hoc tertio; quod dictum est (1), ad compensationem prioris (2) profecit erroris. Qui (3) enim Dominum tertio negaverat, tertio confitetur; et quoties culpam delinquendo contraxerat, toties gratiam diligendo conquirat (4). Videte ergo quantum fletus profuerit (5) Petro; antequam fle- ret, lapsus est; posteaquam fleuit, erectus est; et qui ante lacrymas prævaricator extitit, post lacrymas pastor assumptus est, et alios regendos accepit, qui prius se ipsum non rexit; ipso adjuvante, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

---

SERMO LXXVI.

In Solemnitate Martyrum Machabæorum.

*Eductus hic Sermo ex Cod. Cass. XII in omnibus sancto convenit Augustino, cujus præ se fert nomen. Locus ejus post sermonem Maurinensem CCCI cum numero in solemnitate martyrum Machabæorum III.*

SYNOPSIS.

I. Quos natura simul edere non potuit mundo, hi simul fide

<sup>1</sup> Joan. XXI, 17. — <sup>2</sup> Ibid.

(1) Sic cod. XII et cæteri; cod. XXV non habet *est*. — (2) Cod. male *comparationem*. — (3) Sic cod. IV, qui male addit *a Domino*; cæteri non habent *a Domino*, et habent *apud*. Cod. CXLIII habet solus, *quod enim Domino*. — (4) Sic cod. IV; cæteri *conquiret*. — (5) Sic codd omnes, excepto cod. CXLIII qui male habet *profuit*.

gignuntur caelo. II. Machabæorum matris felicitas. III. Eiusdem fortitudo filios alloquentis. IV. Mirabilior adhuc in ultimo filiorum offerendo. V. Conclusio.

I. Si velimus, fratres dilectissimi, de singulis istis sanctis ac beatissimis septem fratribus, qui die una cum sua gloriosa matre passi sunt, laudes dicere, nec nos duramus loquendo, nec vos toleratis audiendo. Postremo, fratres, etsi vestra in audiendo persistat aviditas, nostra tamen dicendo fatigatur infirmitas. Quis enim, dilectissimi, sufficiat digne laudare, digne prædicare, etsi non die una natos, tamen per confessionem die una coronatos? Hoc eis sancta fecit confessio, quod non potest facere humana parturitio; hoc, inquam, fecit divina gratia, quod non potest humana natura. Non enim potest quæcumque mulier die una generare septem fratres, quomodo hæc beata et gloriosa Machabæa genuit Christo per fidem una die septem Martyres confessores. Gaudeamus, fratres charissimi, quia fides facit quod naturalis progenies nunquam fecit. Gaudeamus ad Dei mirabilia, lætemur ad Dei magnalia, quia quos (1) non potuit simul edere uterus carnis, simul coronavit hodie Dominus majestatis.

II. O felix mater quæ genuit tales, hoc est carne et charitate, mundo et Deo, sæculo et Christo, terræ et caelo. Sed quos primo cum tristitia et gemitu carne generaverat, nunc sicut Abraham tanquam holocaustum Deo in ara fidei, cum lætitia singulos ad victimam offerebat. O felix mater, quæ nullum filiorum suorum Deum negantem, plane Christum, nullum titubantem aspexit, nullum dæmoniis sacrificantem congemuit. In singulis enim et ipsa patiebatur, sed in omnibus vincentibus pro

(1) Cod. *qui quod.*

se et pro illis magnifice lætabatur. O mulier bona, quæ facta est arbor bona; sic enim Dominus dicit: « Arbor » bona bonos fructus facit<sup>1</sup>. » Folia et fructus istius arboris, fratres, verba sancta et bona facta sunt. De tali sancta arbore dicit Propheta: « Filii tui sicut novellæ » olivarum in circuitu mensæ tuæ<sup>2</sup>. » Item, intenti estote, fratres; arbor olivæ in hyeme invenitur fructuosa, in æstate opaca; in hyeme agricolam pascit, in æstate ei refrigerium facit: oleo impinguat caput ejus, umbraculo defendit corpus ejus. Sic namque (1) dicit Propheta: « Impinguasti in oleo caput meum<sup>3</sup>; » et iterum orat et dicit: « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Do- » mini<sup>4</sup>. » Hunc olivæ surculum columba invenit, et ad arcam tempore diluvii cum fructu revolavit (2). Isti ergo septem filii septem fructuosi sunt rami, qui tempore persecutionis inclinari non potuerunt.

III. Cum ergo videret filios suos pro fide torqueri, frigi, incendi, et sigillatim eorum membra abscindi, trucidari et in vento disseminari, non timuit, non expavit, non saltem palluit. Intrepide enim stabat, quam Deus pro sua lege pugnantem fortiter corroborabat. O quæ Deus huic beatæ mulieri concessit, fratres! quæ (3) nata est in ordine temporis prior filiis, simul cum eis juncta fuit (4) Angelis, et quæ fuerat mater, sancta est soror in agone certaminis; et quæ prior nata viderat solem, una die cum filiis passa, conspicit Salvatorem. Ideoque cum unus junior septem fratrum (5) remansisset, vocavit eum item perditus rex, et ei cœpit oblectando, multa etiam promittendo insidiari (6), ut a viâ recta

<sup>1</sup> Matth. VII, 17. — <sup>2</sup> Psal. CXXVII, 3. — <sup>3</sup> Id. XXII, 5. — <sup>4</sup> Id. LI, 10.

(1) Cod. *denique*. — (2) Id. *revocavit*. — (3) Id. *ut quæ*. — (4) Id. *fuisse*. — (5) Id. *fratres*. — (6) Deest vox *insidiari* in cod.

eum traduceret, et a suis sanctis fratribus subdole separaret. Promisit primum divitias, honores, dignitates, promisit aurum, argentum, regnum, imperium. Ille (1) autem omnia irrisit, omnia conculcavit, quia Deum toto corde dilexit. Præparatæ sunt minæ, et cuncta genera tormentorum, nec sic timuit, nec ad munera declinare potuit, nec minas crudelissimi regis expavit. Cumque vidisset Antiochus rex ubique se victum et ab omnibus superatum, vocavit matrem pueri, ut persuaderet filio suo, ne et ipse sicut fratres ejus ad majora tormenta perveniret. Dixit mulieri ut persuaderet filio suo; sed quid habuit persuadere illi qui remanserat, nisi quod persuaserat illis, quos jam ad Dominum præmiserat. Jam enim primo dixerat filiis suis: « Fili, nescio quo-  
 » modo in ventrem meum apparuistis, nec ego spiritum  
 » et animam dedi vobis, non vultus et membra plasmavi,  
 » sed Deus, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia  
 » quæ in eis sunt et omnium invenit originem (2), ipse  
 » spiritum et animam donavit, ipse vultus et membra  
 » plasmavit, et quia modo propter sanctas leges ejus  
 » traditis corpora vestra, sed ipse iterum vos restituet in  
 » sua misericordia<sup>1</sup>. » Mater enim erat, hoc noverat præstare filiis suis, quæ toto corde diligebat Deum.

IV. Si miramur, fratres, Abraham sanctum, qui Deo obtulit filium, quanto magis hæc mirabilior extitit, quæ una die septem filios martyres ad Deum cum tota devotione præmisit. Igitur et in isto minimo filio, qui remanserat, dicebat: Tu, fili, superes mihi, tu summa votorum meorum, tu postremus clausisti partus meos; rogo et obsecro, comple gaudium meum. Misericordia

<sup>1</sup> 2 Mach. vii, 22, 23.

(1) Cod. *ita*. — (2) Cod. absque sensu *inquit tactuum*.



mihî, inquit, mi fili, quæ te in utero meo tot mensium spatio portavi; ne uno momento confundas senectutem meam, ne decolores tot fratrum tuorum trophæa, ne sacrum eorum comitatum relinquant, ne consortium deseras; aspice, inquit, fili, in cœlum, unde spiritum et animam accepisti; aspice in terram, quæ tibi alimoniam salutis subministravit; aspice fratres, qui collegam expectant; aspice matrem quæ tibi lac per triennium (1) dedit. Redde mercedem pii sanguinis; noli a fratribus separari, hortante (2), quæ te parturivit, matre debili. Rogo, fili, temporales tibi divitias promittit Antiochus rex, temporales honores, sed omnia vide et proba, quia vana sunt, temporalia et inania, et æterna non sunt; solus Deus æternus promittit, qui neminem decipit, neminem fallit. Fili, recordare verba Domini Dei tui, recordare, inquam, quæ legisti vel audisti, quid Deus dicat per Prophetam: « Vanitas vanitatum, omnia vanitas<sup>1</sup>. » O fili, noli timere Antiochum regem, qui tuum corpus ad tempus occidit, sed time Deum tuum, qui corpus et animam cum tuis fratribus resuscitabit. Vos itaque mihi septem dierum lumina Deus dedit, jam sextum diem conclusi; quia sextum hunc fratrem (3) ad Dominum præmisi, et omnium opera valde bona vidi; debes et tu, fili, ut quæ in illis sex laboravi, in te septimo requiescam. Quia et Dominus Deus, ad quem curritis et pergitis, septimo die requievit ab omnibus operibus suis, et ego requiescam ab omnibus lacrymis meis. Tali ergo et isto materno hortamento (4) admonitus, repletus Spiritu sancto, ait: « Quem speratis? » quem sustinetis? non consentio neque obedio imperio

<sup>1</sup> Eceli. 1, 2.

(1) Cod. male addit *tempus*. — (2) Cod. *ætate*. — (3) Cod. *sextum hos fratres*. — (4) Cod. *ornamento*.

» falsi regis , sed obedio Deo <sup>1</sup>. » et cætera quæ audistis. ðigitur et iste mundus et purus spiritum tradidit. Post omnes mortua est mater , mortua in mundo , sed vivit Deo ; non enim mori potuit , quæ filios suos pro amore Dei martyrium perpeti fecit. Omnes enim vivunt sub ara cœlorum , quia non est Deus mortuorum , sed vivorum.

V. Ergo , fratres , antiqui justi pro illis divinis sacramentis passi sunt. Si tres pueros et Daniëlem laudamus et prædicamus , quia de mensa regis contaminari noluerunt , si istos Machabæos , de quibus tanta locuti sumus , et cum ingenti admiratione et fama proferimus , qui cibum vel escam , quibus nunc Christiani licite utuntur , ipsi accipere noluerunt , nos pro Christo , pro baptismo Christi , pro eucharistia Christi , et pro signo Christi . quæ pati aut quæ tolerare debemus ? Nam (1) illæ fuerunt promissiones rerum complendarum , hæc sunt indicia completarum. Tunc enim erat fides occulta , modo manifesta. Nam eadem credebant , eademque sperabant omnes sancti et justi. Sustineamus ergo et nos , fratres , quæ illi pro Deo sustinuerunt , contemnamus quæ contempserunt , ut cum ipsis accipiamus vitam æternam quam speramus.

<sup>2</sup> Mach. vii, 30, etc.

(1) Cod. *cum*.

## SERMO LXXVII.

## In Natali Beati Laurentii Martyris I.

*Erutus hic Sermo ex Cod. Cassin. cix, fol. 92, et Bibl. Laurent., Plut. XIII, Cod. VIII, fol. 226 b, nihil habet quod sancto Augustino repugnet, cujus nomen præ se fert, imo et multas ejusdem sententias continet et dictiones. In Catal. Bibl. Venet. sancti Marci tom. 2, fol. 51, pariter indicatur, et asterisco distinguitur, tanquam nondum editus. Sit post sermonem Benedictinorum cccv cum numero in Natali sancti Laurentii v.*

## SYNOPSIS.

I. Sancti Laurentii victoria de mundo relata. II. Fortitudo ejus imitanda.

I. INTER laurigeros confessores, quos ad cœlum pro-  
 vexit perennis gloria triumphatorum, sanctus Laurentius  
 vario decoris fulgore coruscat; quoniam et leviticam can-  
 didam et martyralem sortitus est in passione coronam.  
 Quosdam igitur sanguis roseus cruentavit, alios flamma  
 tanquam in fornace succendit; in his (1) rutilus, in istis  
 purpureus color refulsit. Inter omnes beatus Lauren-  
 tius palmis versicoloribus radiavit, sicque verbera, ignis,  
 et gladius, et omnis officina sævitæ laudis titulos marty-  
 ribus pepererunt, quoniam non sunt in certamine victi  
 sed ascenderunt e sæculo coronati. Quid igitur dolor?  
 quid poena? quid mors hominis terrestris? Vicit vos fides,  
 superavit vos martyrum fortitudo. Jam non potestis ti-  
 meri post finem. Provēxistis martyres, non vicistis. Eva-

(1) Sic cod. VIII; cod. cix illis.

nuit virtus vestra. Facta sunt de vobis lucrativa commercia, ut per vos iretur ad gloriam, quia tenuerunt Martyres in passione constantiam. « En (1) ubi est, mors, » victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus<sup>1</sup>? » Totum frangit qui mori (2) non timet; totum superat qui ad Christum moriendo festinat. Non enim potest formidare pœnam qui se scit a morte transiturum ad vitam. Quomodo (3) igitur beatus Laurentius illa supplicia, illa incendia superaret, nisi cuperet ad cœlorum palatia læta migrare? Noverat namque victurum (4) se esse post funus, post ignem refrigeria reperiturum. Solvebatur namque corpus ejus, et defluebat ardentibus prunis; exustum ibat in cineres et favillas, quod de terra fuerat procreatum. Reddebat miseræ genitrici partum suum, refundebat limosæ matri vasculum suum. Quod de terra acceperat, terræ reddebat; quod de humo increverat, flamma conflabat. Quid igitur inter hæc tormenta spiritus faciebat, nisi ad cœli partes subvolabat (5)? Non enim poterat anima igne terreri, quia in carne non poterat superari. Vox ergo (6) omnium Martyrum illa est, quæ canitur in Psalmo: « Anima nostra sicut passer liberata est de » muscipula venantium. Muscipula contrita est (7), et » nos liberati sumus (8). Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram<sup>1</sup>. » Cremata igitur est angusta et fragilis corporis cavea, et sicut passer de vinculis evasis, Martyris anima liberata est, receptura in fine corpus suum, quia Deus artifex, qui dignatus est hominis annumerare capillos, spondit nihil eidem ipsi corpori periturum: « Capillus, inquit, de » capite vestro non peribit<sup>3</sup>. »

<sup>1</sup> 1 Cor. xv, 55. — <sup>2</sup> Psal. cxxiii, 7, 8. — <sup>3</sup> Luc. xxi, 18.

(1) Cod. viii, *heu!* — (2) Sic cod. viii; deest *mori* in cod. cix. — (3) Codd. male *quando*. — (4) Sic cod. viii; cod. cix *victorem*. — (5) Desunt hæc in cod. cix. — (6) Cod. viii *igitur*. — (7) Id. *muscipulæ contritæ sunt*. — (8) Vide August. Enarrat. in Psal. cxxiii, num. 12, ubi eadem utitur versione.

II. Erubescere jam, incredule Manichæe, qui resurrectionem futuram esse diffidis. Christus dixit, Deus dixit (1), Veritas dixit, quæ (2) mentiri non potuit, hominis nequidem capillum esse periturum. Non potest discuti, quod Omnipotens voluit polliceri. Nec est animarum, ut Plato putavit, in alia corpora (3) transitus, quia non potest esse homo asinus aut camelus, sed (4) erit unusquisque hominum in suo corpore judicandus. Ut video, perfide, quia (5) non vis credere, times resurgere. Sed velis nolis, necesse est ut resurgas, et agnoscas vera esse quæ negas (6). Cedo paci ejus, præteriens contradictionis vetustissimam fecem. Tunc, homo, compendio vadis ad cœlum, si nolueris declinare martyrium. Seu velis, seu nolis, eris in isto sæculo moriturus. Quid igitur dubitas pati pro Christo, qui te nosti minime duraturum in mundo (7). Laudemus ergo, fratres charissimi, et honoremus Laurentium sanctum, qui pretiosam fidei margaritam etiam inter fumiferas flammam servavit illæsam. Omnes igitur divitiæ, et omnis census, gemmarumque decor et lapidum multicolor pulchritudo, aut ante mortem eripitur, aut certe, si usque ad mortem servatur, tamen in ipsa morte penitus non tenetur. Thesaurus vero fidei, cui nullæ opes potuerunt comparari, in baptismo acquiritur, in passione servatur (8), post passionem immortaliter possidetur. Hic igitur aurum, inter (9) tormenta si confessus fueris, perdis; si negaveris, servas. Ibi Christum inter uncatos torvosque (10) carnifices tunc perdis, si negaveris; si vero confitearis, acquiris (11) martyrii palmam.

(1) Desunt hæc in cod. VIII. — (2) Cod. CIX *qui*. — (3) Sic cod. VIII; cod. CIX *corporum*. — (4) Sic cod. VIII; cod. CIX *sic*. — (5) Cod. VIII *qui*. — (6) Desunt hæc in cod. VIII, et sequens sententia in cod. CIX. — (7) Cod. male *mundum*. — (8) Desunt hæc in cod. CIX. — (9) Sic cod. VIII; cod. CIX *in*. — (10) Cod. VIII *inter nocuos*. — (11) Sequentia desunt in cod. VIII.

## SERMO LXXVIII.

## In Natali Beati Laurentii Martyris II.

*Idem dicendum videtur de hoc Sermone ac de præcedenti, utpote qui legatur in eodem Cod. Cass. cix, fol. 93 a tergo. Sit locus ejus post præcedentem cum numero in Natali beati Laurentii vi.*

## SYNOPSIS.

Sancti Laurentii invicta fortitudo.

Post Apostolorum victoriam, lætus Laurentius aggressus est pugnam, et consecutus est coronam; erat enim in Ecclesia præditus officio Levitarum. Cum ei passionis gloriosum tempus advenisset, cumque ab eo sacrilegus judex opes Ecclesiæ inquireret deferendas, statim beatus Laurentius pauperes jussit adduci, quorum manus, collocato in cælo thesauro, crebris transmissionibus adimplebat. Ille vero insaniam suæ ira commotus, in auxilium sævitiam suæ flammam advocat; et commenta perquirat, atque diversis pœnis affectum, ignibus beatum Martyrem præcipit concremari. Torquetur, tunditur, exurit, et distentis membris crescit ad pœnam. Quid agis? quid laboras? quid æstuas, judex? Primum, si potes, animum qui ardet extingue, et tunc demum Martyris corpus incende. Quid carnem persequeris confitentis? Puni, si potes, fortitudinem tolerantis. Præstas, et nescis; consulis, et ignoras. Nam deposita sarcina cor-

poris, Martyr noster expeditior volat ad cœlum, cui, dum caro paulatim absumitur, animi vires augentur. Adminiculum ergo Martyri præstas; namque optat depouere carnem, quam se novit cum mortalibus habere communem. Legimus autem, fratres charissimi, quod vasa figuli probat fornax<sup>1</sup>. Vere iste in se Christi fabricam custodivit, qui super fornacis incendia securus occubuit. Ardebat caro ejus, sed vigilabat interior spiritus ejus. Vas illud sanctum, quod hauserat de fonte secretum, etiam in igne gestabat. Nam dum se coctum ex una parte corporis prævidisset, et aliam validam offerre (1) festinabat. Cupiens videlicet per arma justitiæ dextra lævaque probari<sup>2</sup>, sic ait: Girate me, et comedite, quia coctum est. Magna virtus fidei, fratres; sed intrinsecus forma charitatis ardebat, qui sic de incendio suo (2) illato ridebat. Nam attaminare non potuit persecutor, quod Dominicæ mensæ fuerat consecratum; et jejuna remansit impietas, quia Christi fidem eorum abnegaverat vanitas. Gloriosum autem et extremum cum fide direxit spiritum, quem passio atque victoria levavit ad Jesum Christum Dominum nostrum.

<sup>1</sup> Eccli. xxvii, 6. — <sup>2</sup> 2 Cor. vi, 7.

(1) Deest verbum *offerre* in cod. — (2) Forte *sibi*.

## SERMO LXXIX.

## In Decollatione Sancti Joannis Baptistæ I.

*Sermo iste legitur in Cod. Cass. cxxiii, fol. 150, sine titulo et sine nomine. Sed precedens ad sanctum Augustinum refertur, et sequens qui idem argumentum cum eodem stylo iisdemque sententiis tractat, beato Doctori pariter tribuitur. Passim aliunde occurrunt sententiarum membra Augustiniano more inter se opposita, quanquam et quedam solito elegantiora hinc et inde appareant. Incipites diutius hæsimus, utrum hunc fortum Augustini diceremus necne; sed re attentius perpensa, propter locum quem in manuscripto occupat inter duos sancti Augustini sermones, eorumque similitudinem in scribendo, illum authenticum habere satius duximus, cum præsertim beato Doctore non indignis sententiis scaturiat. Mendosus codex et in multis corrigendus; quin et in aliquo deficiens. Locus ejus in editis post sermonem Maurinensem cccviii cum numero in Decollatione sancti Joannis Baptistæ iii.*

## SYNOPSIS.

I. Dies natalis Joannis potius quam Herodis. II. Convivii apparatus. III. Regis et ipsius convivarum turpis ebrietas. IV. Saltans Herodiadis filia caput Joannis abscindi procurat. V. Epilogus.

I. NATALI autem facto Herodis (1), saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi. Dies, qua genitus

(1) Cod. male *Herodes*.



est, non ipsi sceleratissimo tantum grata fuit quantum Joanni Baptistæ, qui tum passus est. Plus est enim Deo renasci, quam diabolo generari. Non ergo fuit natalis regis impii, sed Prophetæ, quia illo die manifestum est Baptistam æternitatem consecutum fuisse, quo passus est, et Herodem mortem incidisse, quo natus est. Lugubris homini et acerba plurimum dies, quæ illum et in lucem primitus produxit, et usque ad id temporis reservavit, in quo non misericordiæ aut mansuetudinis honestaretur testimonio, sed horrendæ crudelitatis deformaretur exemplo. Incluso Joanne in carcere, tanquam injustæ increpationis persona religata, quia amara sunt male viventibus præcepta justitiæ, Herodes quia vetiti admissi nemo eum redargueret (1), lætabatur. Quis autem Propheta damnato, qui factum notabat illicitum, Tetrarcham superbum libere aut reprehenderet, aut admoneret, cum et poena esset proposita libertati, et moris sit contra fas et decus etiam iniquis regibus adulari?

II. Nec longum tempus; ecce dies regii natalis adventat; gaudere Herodes, libenter accipere vitæ suæ cursum tendi, annorum spatia propagari. Nescia hominum mens, quæ dum aut præsentibus oblectatur, aut prosperis, nec futura prævidet, nec adversa. Continuo regali luxu splendida domus exornatur interius, ac mediis tectis cruenta convivia præparantur; velantur postes festis frondibus, pinguntur parietes floribus, et coronis renidebant atria funesta et horrida (2), virebant tecta nemorosa. Sic omnia vernabant composita per artem, ut naturalem gratiam mentirentur. Non fuerunt hæc deliciae Herodis, sed Joannis. Hæc bene olentium florum amœni-

(1) Cod. male *redarguere*; legendum manifeste *redargueret*, nisi forte desit aliquod verbum, v. g. *redarguere audebat*. — (2) Cod. *horbida*; forte *herbida*.

tas non regi procurata (1), sed martyri; instruit itaque (2) ample magnificeque triclinium Judaïcæ gentis tyrannus, ne tanto (3)... minus fieret jucunda solemnitas, si divitias suas atque opes detractasset publicare conviviis. Multa et lauta supellex constituitur in aspectu; stupendi quoque ponderis (4) et artificii vasa exponuntur (5), ut Herodes se non solum luxuriosum proderet, verum et ostenderet copiosum, nec solum amicorum et clientum suorum famem opimis eximeret alimentis, sed diversarum rerum pulchritudine oculos satiaret; tunc demum convivium probaretur, ubi et cibus expleretur corpus, et variis miraculis recumbentium pasceret obtutus. Igitur ubi invitati frequentes per limina læta conveniunt solito maturius, quia et famem metiebatur diabolus, et humanum sanguinem sitiabat, discubere cuncti, superbum et ostrum pictis promitur in thoris; inferuntur escæ officio ministrorum, mensæ dapibus onerantur, et quamvis nutritæ omnibus elementis epulæ non deessent, adhuc inopis Herodis convivium sordebat egenum, quia crudelitas quod devoraret aut ederet non habebat.

III. Jacet ipse rex inter primos alto strato recumbens, feralis prolixitate convivii cubito jam defesso, poculis ingurgitatus innumeris, in quo nec mens, nec pes suum officium gereret si consurgere voluisset. Omnes enim videntur bene sobrii dum recumbunt, venas corporis mero, non sanguine plenas gerentes, quorum hebetaretur sensus, et, vino oculis lacrymantibus, caligaret aspectus. Quis enim potest credere Herodem honestos habuisse consor-

(1) In cod. perperam; *desunt verba non regi* — (2) Cod. male *instrui*, *ita quod*, etc. — (3) Deest verbum in manuscripto forte *ipsis*. — (4) Cod. *stupidi ponderis*. — (5) Hic sine ratione répetitur in codice *et ponderis*, quod evidenter amanuensis errore abundat.

tes, cum alius e convivis regalem vomeret in mensam, alius esculentis frustis vinum redolentibus triclinium regis impleret, nonnulli jacerent sepulti somno et vino, nec mentis compotes, nec salutis; inter alios praelium gereretur pro ebrietatis victoria, non pro æmulatione virtutis; cum ille in amicum scyphum jaceret, hic adversus convivas magno cratere (1) pugnaret? Mirum est spectaculum certaminis vinolenti, non in domo regis, sed in popina cauponis. Credo, egregius judaicae gentis praepositus militibus suis hujusmodi concesserat potestatem, ut non telis dimicarent ipso praesente, sed poculis, et qui bellum hostile non noverat, domesticam sibi pugnam de temulentis civibus exhibebat. Quanta in illo convivio turpitudine? Quae procacitas obscœna verborum, cum maderent pavimenta vino, et personarent omnia vocibus ebriorum? Quis enim conviva (2), quis famulus, aut regis meminisset, aut domini? Cum auctor verecundiae dissolvitur in lasciviam, manifestum est quod nemo teneat disciplinam.

IV. Inter hæc inverecundiae ludicra, filia Herodiadis ingreditur tota mollis, et fracta, ut non cohiberet luxuriam, sed doceret. Nihil ex matre adultera vel probum didicerat, vel pudicum. Rex virginem, etsi corpore, non pudore, adhortatur ut saltet, immemor regiae gravitatis, paterni rigoris oblitus; cujus partes erant licentiam puellarem pro imperio coercere. ipse dissolutionis faces et fomitem ministrabat, largiturum se cum juramento pollicens quod petiisset. Illecta praemiis puella. non differt; matre (3) connivente dissolvitur; statim torquetur ad insanos circuitus, celeres vertitur in rotatus (4),

(1) Cod. male *crate repugnaret.* — (2) Id. *perperam convivia.* — (3) Id. *patre.* — (4) Id. *irroratus.*

nunc flexo ad pedes latere (1) incurvata, nunc supino in tergum capite recurva, cum delicatos sinus, et vestem gereret corporis creditricem (2), per sublime alternatis brachiis cymbala rauca (3) circumferens, et vix loco staret, vix pedum vestigiis inhæreret. incompositos jactata per motus. Infelix virgo, insana dementia comprehensa, et mente insaniebat et corpore, quæ non ageretur proprio membrorum flexu, sed diaboli circumferretur instinctu. Nemo saltat sobrius, nisi forte insanit (4). infinita Herodiadis (5) culpa; nisi furens, filia ipsius non placebat. Exultat rex; in proprio dedecore lætatur. Ubi honestates legum? ubi pudoris jura verecunda? In convivio regis laudem meretur omnium vitiorum comes extrema exaltatio; puella arte non placuit, sed furore: neque enim usus per intus (*sic*) insani tenax promissi rex, et conditionis propositæ, fidei mercedem abjurare potuit consilium meretricis, tanquam si evaderet crimen, cum abstulisset necessariæ increpationis auctorem (6). Aurum luxuriosa virgo non postulat, cum utique melius convivii paternis commendari possit. Ornata dum saltat, nihil de omnibus, nihil de facultatibus concupiscit. Cupiditatem avaritiæ atque ambitum puellarem crudelitas vicit, transcendit immanitas. Igitur in Joannis caput, humanum insidiatur (7) in sanguinem, eo quod gravis erat diabolo metator Christi, prædicator pœnitentiæ, petitor incesti. Malorum veterum fama, non emendatione aliqua exinguitur, sed atrociori scelere cumulatur. Haud (8) invitus Herodes consensit ad homicidium, quia

(1) Cod. male *flexos ad pedes lateres*. — (2) *Creditricem*; forte *redditricem*, id est, quæ corporis formas ostentando reddebat — (3) Cod. *racua*. — (4) Cicer. in Orat. pro Murena: *Nemo fere saltat sobrius, nisi insanus*. — (5) Cod. male *Herodis*. — (6) Sic cod. in quo aliquid necessario desideratur. — (7) Cod. *initiatur*. — (8) Id. male *aut*

cum uxore fratris temere meditabatur incestum. Solum, inquam, Joannis caput saltatrix puella, instigata monitu matris, expostulat. Quid «caput viri qui Christus est,» luxuriosa insequitur Synagoga? Gladio spiculatoris abscissum Baptistæ caput ad triclinium carnificis affertur, adhuc quodammodo Christum prædicans, adhuc Herodem moribunda lingua castigans. Ictu subiti vulneris color confusus (1) errabat in vultu, nec totum ruborem viventis excluserat pallor occisi. Nam si integrum hominem repentina mors diripuerat, in ore Joannis non nihil residebat ex vita.

V. O mensam execrabilem! o convivium detestandum, ubi hominis morte luditur, ubi Prophetæ interneccione saltatur, et pretium voluptatis sanguis humanus est, Prophetæ caput ad epularum vicem convivantibus exhibetur, et sitiens non vino proluitur, sed cruore! Furiosa cæcitas! Joannes sanctus in hoc martyrio vitæ æternæ præmium meruit, et Herodes ad exolvenda Martyribus inflicta (2) supplicia, judicium Dei vivus incurrit.

(1) Cod. *color non fusus*. — 2) Vox *inflicta* deest in codice, qui etiam habet *exolvendam*.

## SERMO LXXX.

## In Decollatione Sancti Joannis Baptistæ II.

*Hic sermo habetur in Cod. Cass. cxxxiii, fol. 150, cum nomine sancti Augustini episcopi. Accedit ad auctoritatem codicis, quod textus evangelici eodem modo, licet diverso ac Vulgata laudentur, et pares occurrant sententiæ de serpentinibus et columba. Ejusdem auctoris esse ac præcedentem manifeste arguit cogitationum et styli conformitas. Ejus locus post præcedentem cum numero in Decollatione sancti Joannis IV.*

## SYNOPSIS.

I. Christiani oves inter lupos. II. Sanctus Joannes propter justam correptionem in carcerem dejicitur. III. Herodiadis filie voluptuosa saltatio. IV. Herodes erga puellam leno, erga Joannem homicida, divinis in mortem corripitur judiciis.

I. ITA placuit Redemptori et Salvatori nostro Jesu Christo, ut non solum a morte nos liberaverit, sed etiam quemadmodum conversationem nostram custodiamus sacris eloquiis Evangeliorum suorum docuerit ac præceperit. Sic enim ait : « Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum<sup>1</sup>. » Magna nostra felicitas quando Deus noster de nobis ita sensit, quod ovium simplicitatem, si recte Deo vivamus, habere possimus, quia ipse est pastor ovium et magister, sicut in alio loco testatur : « Ego sum pastor bonus ; bonus pastor animam suam ponit pro ovi-

<sup>1</sup> Matth. x, 16.

» bus suis<sup>1</sup>. » Merito itaque Discipulos propter innocentiam sanctæ vitæ ovibus comparavit; lupos autem eos significat, qui post passionem Domini (1) Apostolos, et universos fideles in Christo credentes crudeliter persecuti sunt. Inter quos qualiter ambulare debeamus, quasi pius pastor præmonet dicendo: « Estote, inquit, astuti sicut » serpentes, et (2) simplices sicut columbæ<sup>2</sup>. » Vult ergo Dominus (3), ut sicut columbæ sunt sine dolo et sine felle, nec meminerunt iracundiæ, sic et nos sine dolo malitiæ, et sine felle, quod est amaritudo peccati, oblii iracundiæ et injuriarum, in præsentī sæculo ita humiliter vivamus, ut promissa divina præmia merito capiamus. Et « Astuti, inquit, sicut serpentes<sup>4</sup>. » Astutia serpentis (4) cunctis hominibus cognita est. Nam si forte devenerit in manus volentis se occidere, totum corpus suum plagis et vulneribus tradit, et nihil aliud omni (5) astutia servat, nisi caput suum integrum custodiat (6). Ad quod exemplum astutiæ et nos provocamur, ut, si tempore persecutionis in manibus inimicorum devenerimus, pro capite nostro, id est, pro Filio Dei Christo Domino nostro totum corpus tormentis et suppliciis, etiam ipsi morti subjiciamus.

II. Denique sanctus Joannes Baptista, cujus etiam natalem adjuvante Christo hodie celebramus, cum tota membra corporis sui caput amitterent, gaudebat in sinu (7) perfectæ deitatis recumbere. Herodes namque

<sup>1</sup> Joan. XI, 11. — <sup>2</sup> Matth. X, 16. — <sup>3</sup> Ibid.

(1) In codice abrasa videntur: *Propter Filium Dei*. — (2) Hæc verba *astuti sicut serpentes* desunt in codice, sed contextu evidenter requiruntur. — (3) Vide Sermonem LXIV, n. 3 et 4, ubi textus iisdem verbis laudatur, et unde eadem recurrunt sententiæ. — (4) Hæc verba *astutia serpentis* desunt in codice, sed sensu ipso restituuntur. — (5) Cod. male *domi*. — (6) Vide in quæstionum XVII in Evangelium Matthæi libro, quæstionem VIII. — (7) Cod. male *in sp*.

cum ferarum ritu fraternum connubium ardore libidinis temerasset, tunc temporis veridicus sanctus Joannes non hoc licere regi libere pronuntiavit. Quod rex lege sua prohiberet, admonuit eum ne faceret contra legem, ut sua ipse jura calcaret, ne ipsum potius leges et jura damnarent, si leges ipse (1) vel decreta sua damnaret. Illo ergo tempore, ne sancti Joannis publica, ac libera, ac justa contradictio staret, correptus jussione nefandi regis, in carcerem obscurum detruditur, ubi sola illum lex divina servaret. Accedit etiam quod erat ipsi (2) sacrilego regi natalitius dies, et accersendo proceres et potentes, sacrilegæ mentis sociis nefandum convivium apparavit (3), et fit circus domus regis, ut ita dixerim.

III. Filia regis ingreditur, quæ virgineum pudorem. membra dum frangeret, solvit. Jurat protinus pater per ebria discumbentium capita, suumque clypeum protestatur, ut inter ludicras saltationes et flexus quidquid filia postulasset, acciperet. At ecce, cum in pulvere adulterino inter infulas molles gestus solutiones exprimeret, solvitur e capite compositus crinis; credo, ut disperso vel errante per genas (4) capillo, lugere prius disceret, quam ridere. In isto ergo suggestu saltatricis cantat organum. fistula sibilat; sonat tibia cum patris nomine, patris imbuta dedecore; teneris tamen vestibus nuda, quæ se dæmoniaca mente vestierat, ut colore vestis magis corpus pingeret, quo ludebat. Nunc arcuatum latus spectantium flectebat in oculos, nunc pectus, amplexu defectior (5). jactabat in viros, et per nauseam resupinæ cervicis collum discumbentibus præmittebat; nunc seipsa respiciens,

(1) Cod. *perperam. ipsis.* — (2) Id. *perperam ipsis.* — (3) Id. *apparuit.* — 4) Id. *genus.* — (5) Phrasis ista difficilis et forsitan mendosa. Sensus esse crediderim: *Amplexu in defectionem cadens.* Si quis meliorem inveniat significationem, hæc libenter amplectemur.



nunc illum qui eam amplius respiceret, mirabatur; nunc elevatis oculis defluebat (1) in calces, nunc contrahebatur in rugam, et dum frontem detegit, brachium fastidiendo nudat. Mœchabantur, credite, discumbentes, qui cum flexu incurvatæ mulieris capita libidiosa quassabant (2). O mulier, o regis filia, quæ cum saltare virgo cœpisses (3), tantos in adulterio generis et pudoris per lenones oculos fecisti maritos, placuisti infelix omnibus vitiorum magistris, et quod est amplius prodiga sacrilegis amatoribus placuisti.

IV. Proh nefas! leno pater est, et nullus accusat. Accusant te leges, accusant te tormenta, vel quibus chara pudicitia est, vox accusat te mariti. Certe ut honestius aliquid sentiam, etsi filiam paterna reverentia turpiter non respexit, tamen quod saltavit, et leno pater, et incestus amavit. Mirum si castitas sic decorata est. O pater, amplectere uxorem fratris, parentem sanguinis libidini mancipasti. Docebat, inquam, te caput Joannis appetere, qui dicta Martyris respuebas, cui felix castitas non placebat. O genus, o mores, o nomen, o error insanabilis! Merito ergo te, sicut legimus in Scripturis divinis « Per » artus putribiles vermes depasti sunt<sup>1</sup>. » Filiam tuam glacies decollavit (4), uxorem proculam (5) cæcitas interfecit. Sic blasphemus eliditur, sic iniquitas sepelitur, sic sanctitas vindicatur (6). Nam nos, qui amatores sumus castitatis et pacis, rogemus omnes, ut ab omni vos illecebra custodire dignetur. Amen.

<sup>1</sup> Act. XII, 23.

(1) Sic cod. Forte quod melius: *Illos deflectebat in calces*. — (2) Cod. *mæchabatur... quassabat*; forte per scribentis errorem. — (3) Cod. *cæpisset*. — (4) Sic cod.; forte *decalvavit*. — (5) *Proculus* ille dicitur qui natus est patre absente, vel a patre progressa ætate. — (6) Hic error manifestus deprehenditur; tres enim fuerunt Herodes; primus quidem qui dicitur Mag

## SERMO LXXXI.

In Natali Sanctorum Martyrum Felicis (1), et  
Adaucti (2) I.

*Hic sermo educitur ex Cod. Cass. XII, fol. 265, nihilque  
habet quod sancto repugnet Augustino. Locus ejus post præ-  
cedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Felix vere felix. II. Omnem superavit mundi felicitatem.

I. BEATUM martyrem (3) et inter suspendia fortem, et  
inter tormenta felicem, hoc merito, quod vocabulo, hoc  
nomine, quod honore, pio cuncti veneremur obsequio,  
et continuis studiis frequentius honoremus. Non hic  
auro vel argento censuque caduco felix, aut fastigio po-

nus, et qui pueros Hebræorum occidi jussit, ut Messiam interficeret; hic  
vermibus corrosus interijt post annos regni quadraginta; secundus, qui  
cognominabatur Antipas, et qui Joannis Baptiste interfector, Lugdunum  
postea relegatus, ibidem cum Herodiade misere defunctus est; tertius deni-  
que qui vocabatur Agrippa, et de quo loquuntur Apostolorum Actus, XII, 23.  
Hic autem ultimus sedulo distinguendus est ab eo qui Joannem Baptistam  
interemit. Error autem iste, non solum non obstat quin sermo noster S. Au-  
gustino tribuatur, sed potius ejus authenticitatem confirmat, cum de duobus  
Herodibus solummodo loquatur beatus Doctor, ut legere est in libro ad Do-  
natistas, cap. XIII, u. 17. — (1) De Felice martyre multa habet Augustinus  
in Enarrat. in Psal. CXXVII. Sed hic non idem est ac ille de quo hic agitur, et  
qui Romæ totid martyrjum. Vide martyrologium Romanam ad 30 Augusti  
— (2) Sic legendum; cod. male *Aug.Jati.* — (3) Cod. *beatus in utro.*

testatis; hic vere (1) sublimis. Non eum blattea (2) plura conspicuum, aut familiæ distinctæ greges, pompaque superba beatum, sed cruor pretiosum purpureumque fecerat, et cœlestis reddebat gratia candidatum. Vario igitur sancta anima pingebatur ornatu. Fulgebat Christus in capite. Roseus cruor non horrebat, sed micabat in corpore; pulchra reddebat membra martyrîs, non ungula carnificis, sed decor rubicundus, quia sævitia persequentis gloriam non potuit maculare Felicis.

II. Cedant (3) nunc insignes procerum trabæ, cedant lapidum pretia, cedat (4) turba gemmarum. Plus pensat cruor mundus (5) quam totus mundus. Amplius valet stilla fusi sanguinis pro nomine Salvatoris, quam tota sæculi magnitudo, cum regnis et apparitoribus suis. Appende nunc in statera justitiæ fragiles opes et Martyrum vires; evolantes fumos potentiæ sæcularis, et perennem gloriam confessoris. Ipsam dealbatæ prosperitatis faciem, nostræ causæ producimus testem; quæ nihil aliud appetit simulando veritatem, quam se ab omnibus prædicari felicem. Intuemur oculis, inter theatra plaudentia, dira certamina, quæ subrecti martyres turbis læscendentibus exhibebant. Non ibi ferarum classes, sed pios Christianorum greges (6) producebant ad pugnam. Laniabatur sine crimine corpus, et populus acclamabat insanus. Tendebantur equuleis membra pendentia, et cruenti carnificis manus fodebant prostratorum (7) unguis latera. Torquebat hominem poena, et non erat culpa. Quem ita reddiderit natura ferocem, ut cruciari cupiat innocentem?

(1) Cod. absque sensu *increte*. — (2) *Blattea* vox derivata ex *blatta*, vermiculo quo purpura tingebatur, postea vero pro ipsa purpura, vel purpureo colore usurpata. Venantius Fortunatus, t. 1, f. 39, in notis studio P. Luchî editis. — (3) Cod. male *sciebant*. — (4) Id. *cedant*. — (5) Id. *mundum*, et antea *penset*. — (6) Id. *pîs... gregibus*. — (7) Id. *fundebant prostratos*.

## SERMO LXXXII.

In Natali Sanctorum Martyrum Felicis et Adacti II.

*Vide notam præfixam sermoni præcedenti, qui hunc ipsum antecedit in eodem cod. et eodem fol. Locus ejus post præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Felicis nomen præscientia Dei Felici impositum. II. Felix ejus victoria.

I. FELIX dies, inclyta et honorabilis, dies sæculis (1) celebranda, dies quæ cum nomine sacro concurrit, et Felicem coronando perfecit. Quid isto Felice felicius (2)? Quem cum materna viscera in istam infunderent lucem, tunc Christus adnotabat in cœlo felicem. Adumbratum est præsagium in vocabulo, clæruit veritas in triumpho; et sic certum quia nostrum nihil deperit Deo, atque omne datum optimum, et omne donum perfectum<sup>1</sup> pendet ex illo. Ipse voluit appellari Felicem, quem prælegerat martyrem; ipse linguam parentum voluit prophetare, qui Felicem jam decreverat coronare. Sic Jeremias Deo natus, ante quam nativitatis sumpsisset initium. Laborat inter perfidos, periclitatur inter incredulos, affligitur inter impios; hos patitur cives ingratos, quos furibun-

<sup>1</sup> Jacob. 1, 17.

(1) Cod. sæculi. — (2) Vide Augustin Enarrat. in Psal. cxxvii, num. 6 de nomine Felicis, licet hic Felix non sit idem ac ille de quo hic agitur.

dos sustinet fratres. Et cum sic Judæa fremeret, et adversus Dei Prophetam (1) insaniret, rabidusque ut canis (2) æstuaret, non potuit delere Judæus quod scripserat Deus; nec (3) valuit subripere humana machinatio, quod divina fuderat (4) electio. « Priusquam te, inquit, » formarem, in utero novi te, et antequam exires de » vulva, sanctificavi te, et prophetam gentibus (5) » sui te<sup>1</sup>. » O divinæ voluntatis immutabilis ordo, et invicta potentia! Facit (6) esse, quod vult; eligit antequam formet; sanctificat antequam creet; placet instituere quod diligit; jubet nasci quod regat. Quid contra hæc cæca mens hominum mentitur? quid contra cælum malitia debilis et infirma conatur? Patiebatur sanctus Jeremias inter propinquos cognatosque pericula, et divina non potuit immutari sententia.

II. Veniamus nunc ad fortem militem et felicem, in quo est divini forma judicii. Incertum igitur penes homines (7) erat, quod de illo tegerent æterni secreta consilii. Sæviebant frustra et persecutor et carnifex. « Qui » autem habitat in cœlis irridebat eos, et Dominus sub » sannabat eos? » Cruciabant (8) se furore suo insanæ mentes (9); internis doloribus laniabantur (10), quia confessorem Dei superare non poterant. Hinc pudor unguilas, inde flammæ cordi furor admovebat (11). Torquebantur illi, qui se torquere putabant, et nodis indissolubilibus alligati, rabidis stridoribus infremebant, quia et faciebant Martyrem, et non poterant superare Felicem. Augebant gloriam, cujus excogitaverant pœnam; vide-

<sup>1</sup> Jerem. 1, 5. — <sup>2</sup> Psal. xxxiv, 16.

(1) Cod. male *Propheta*. — (2) Id. *o dies immanis! æstuaræ*. — (3) Id. *ne*. — (4) Id. *funderat*; forte *fundaverat*. — (5) Id. male *lugentibus*. — (6) Id. *fecit*. — (7) Id. male *pene hominis*. — (8) Id. *cruciabantur*. — (9) Id. *insana mente*. — (10) Id. *laniabant*. — (11) Id. *ferus admovebant*.

bant fortem , quem putaverant debilem ; agnoscebant illum non posse vinci, et se intrinsecus sauciari. O magni, regales tituli ! o quam fortis , cœlestis inscriptio ! aestimabant tunc perfidi , quod inter illa tormenta irascere- tur Deus servo suo , cum ille maximam gloriam præpa- ret Martyri suo ; et ille putabatur a Christo desertus , quia finis latebat occultus. Sed quoniam jam oportebat . ut panderetur quod Dominus sanxerat , etiam nunc qui- dem profanus suam sentit et patitur pœnam, Felix autem raptus est ad coronam. Dicat nunc igitur beato Felici omnis chorus Martyrum sociorum. « Benedictus Dominus » qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. » Muscipula contrita est , et nos liberati sumus (1). Ad- » jutorium nostrum in nomine Domini , qui fecit cœlum » et terram , mare et omnia quæ in eis sunt<sup>1</sup>. »

---

## SERMO LXXXIII

### In Natali Sancti Cypriani Martyris I.

*Hic sermo eductus ex Cod. Cass. XII, fol. 270, cum nomine sancti Augustini, sequitur in cod. sermonem qui legitur in edit. Benedict. cum numero CCCLX; unde nulla ratio dubitandi, quin ad eundem sit referendus. Locus ejus post sermonem Maurinensem CCCXIV cum numero in Natali sancti Cypriani VI.*

#### SYNOPSIS.

I. Cyprianus martyr et sacerdos. II. Ejus prima confessio et exilium. III. Secunda confessio et martyrium.

<sup>1</sup> Psal. cxxiii, 6-8.

(1) Vide Augustin. Enarrat. in Psal. cxxiii, num. 13.

I. DUPLEX gemma in sancto Cypriano præfulsit, fratres dilectissimi, Sacerdotum pariter et Martyrum (1), et invicem se decorant, dum in Episcopo clara est vita, et mors in Martyre pretiosa. Quam beatum gessit sacerdotium, qui conclusionem fecit dulce martyrium; et securitatem dedit victoriam triumphorum, ut qui antea pro populo sacrificium Deo offerebat, modo autem se ipsum offerret quod habebat! Advolans (2) Angelus redolente thuribulo (3), precum ejus offerebat incensum ad supernum altare, ante sedentis (4) thronum, modo autem ipsum levavit in aulam cœlorum. Præcedant cæteræ potestates Pontificem simul et Martyrem; ut quem circumdabat populus sacrificium offerentem, modo eum coronent Angeli confitentem.

II. O dedicata passio, et gloriosa confessio! Unus ictus gladii secantis separavit caput a membris, et junxit capiti Salvatoris. Absolvitur vinculo carnis, et cum triumpho in cœlum levatur ab Angelis. Interrogatus sub lenitate crudeliter, respondit sub patientia fortiter. Sacrifica, inquit, diis Romanis secundum præceptum Imperatoris. Ad hæc sanctus Cyprianus respondit: Christianus sum et Episcopus; et non cognovi alium Deum nisi unum et verum, pro quo paratus sum diversis pœnis judicari in sæculum, quo possim in futuram resurrectionem habere spem in perpetuum. Judex dixit: Vis ergo exul Curubim proficisci, an Romanas colere cæremonias (5)? Sanctus Cyprianus repondit: Proficiscor, ubi impellis, sed nego quod suades (6). Exilium meum comitabitur

(1) Sanctus Augustinus in hoc Sermone dupliciter miratur Sanctum Cyprianum scilicet ut Sacerdotem et ut Martyrem, sicut in Serm. cccix, n. 4, quem et pro cæteris videas. — (2) Cod. male *assolens*. — (3) Id. absque sensu *veniens de turabulo*. Videat correctionem lector et judicet. — (4) Id. *sedis*. — (5) Id. *Romanæ cæremonia*. — (6) Id. *suadis*. Legendum forte antea *quo impellis*.

Christus, qui est princeps Martyrum et pontifex Sacerdotum. Proficiscitur exul, sed virtus in Martyrem jam destinata non defecit in solitudine, quia Christum habuit comitem. Contempsit terrena, ut inveniret coelestia; reliquit temporalia, ut possideret æterna. Stetit in prælio miles Christi, fidei armis indutus, et contra atroces hostes fortiter dimicavit. Fidei lorica vestitus, pugnavit et vicit, non feriendo, sed patiendo, vitamque moriendo quam optabat, accepit a Deo æterno. In precibus suis quotidie dicebat cum Propheta David: « Credo videre » bona Domini in terra viventium<sup>1</sup>. » Et iterum dicebat: « Quando veniam et apparebo ante faciem Domini<sup>2</sup>? » ut acciperet illud « Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod (1) præparavit Deus diligentibus se<sup>3</sup>. »

III. Revocatur ab exilio, ut audiretur (2) secundo. Erat in custodia carceris, et satagebat de custodia castitatis. Jubet sacras virgines custodiri, ne esset in illis observatio charitatis naufragium castitatis (3). Ante januam carceris jacebat populus Christianus excubias faciens (4), pro pastore minas contemnens (5), pro patre cupiens decollari (6), cum Martyre veneratus (7) Sacerdotem. Iteratur Episcopi audientia, ut possit consummari corona (8). Ægre judex loquitur, et Martyr fortissime confitetur. Scribitur in tabula sententia capitalis calamo crudelitatis, et corona ei reservatur in coelis. Agit Deo gratias decollandus, eo quod de sæculo fuerat transiturus. Clamabat turba fidelium dicens: Et nos cum eo de-

<sup>1</sup> Psal. xxvi, 13. — <sup>2</sup> Id. xli, 3. — <sup>3</sup> I Cor. ii, 9.

(1) Cod. male *qua*. — (2) Cod. *auditus fuisset*. — (3) Vide S. Augustin. Serm. cccix, num. 4. — (4) Cod. *facientes*. — (5) Id. *omnium contemnentes*. — (6) Id. *cupientes decollare*. — (7) *Deest veneratus*. — (8) Cod. *consummare coronam*.



collemur, ut in die redemptionis cum illo inveniamur. Optabant filii in affectu charitatis perferre cum patre martyrium, sed non nisi ipse præcessisset (1) ad Deum. Cupiant filii sequi patrem; cupiunt dulces ramusculi sequi radicem, et ad locum sententiæ cum lacrymis deducentes, extremum patris spiritum amore excipere cupientes. Expoliatur birrho (2), et vestitur martyrio (3). Fixit (4) passurus genua in terra, qui liber stetit (5) ante tribunal Christi, ut recipiat mercedem plenissimam pro sanguine, et repetat caput a capite.

---

SERMO LXXXIV.

In Natali Sancti Andreæ apostoli.

*Hic sermo legitur in Cod. Cass. XII, fol. 285, qui totus sancti Augustini sermonibus adimpletur. Nihil habet quod ejus authenticitatem possit infirmare. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Petrus Apostolorum primus, secundus Andreas. Quare primus Petrus? II. Uterque piscator, non piscium, sed hominum. III. Ambo, relicto Joanne, Christum sequuntur.

« Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit  
» duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et

(1) Cod. *processisset*. — (2) Aliqui autumant clericale esse indumentum aut Episcopale; alii vero communius quoddam usu vel apud profanos vulgare. Vide Montfaucon, *Antiquité expliquée*, et S. August. Serm. CLXI, num. 10, et cccclvi, num. 13. — (3) Cod. *birrum... martyrium*. — (4) *fixis*. — (5) Id. *statuit*.

» Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare  
 » erant enim piscatores. Et ait illis : Venite post  
 » me, faciam vos fieri piscatores hominum <sup>1</sup>. »

I. PRIMUS Simon qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus ordine Apostolorum, et meritum uniuscujusque illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Primus scribitur (1) Simon cognomento Petrus, ad distinctionem alterius Simonis, qui appellatur Chananæus, de vico Galilææ Chanaa, ubi aquas Dominus vertit in vinum. Et Apostolorum paria juga consociat (2); jungit Petrum et Andream, fratres, non tam carne, quam spiritu. Simon porro mœrorem (*sic*), vel Obediens interpretatur eo quod obedivit voci (3) Domini dicentis ei cum Andrea : « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. » Petrus Agnoscens interpretatur, eo quod agnovit, unde alii Discipuli dubitabant, Dominum interrogantem : « Vos » quem me dicitis esse <sup>2</sup>? » Ipse Petrus subripiens cogitationes Discipulorum, respondit : « Tu es Christus, filius » Dei vivi <sup>3</sup>. » Pro quo et nomen (4) hoc accepit; et Capadociam, atque Galatiam, et Bithyniam (5) pariter et Pontum, provinciasque confines dum Judæis prædicans circuit, post iterum Romam illustraturus accessit.

II. Andreas græcum est nomen (6); latine Virilis dicitur, eo quod robustus in prædicatione, sive ad persecutiones pro justitia tolerandas fuit, et Scythis prædicavit. Isti primum vocati sunt ut Dominum sequerentur. Piscatores et illitterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium, non virtute Dei, sed eloquentia at-

<sup>1</sup> Matth. iv, 18, 19. — <sup>2</sup> Id. xv, 15. — <sup>3</sup> Ibid. 16.

(1) Cod. scribetur. — (2) Id. jugaque sociat. — (3) Id. vocem. — (4) homine. — (5) Id. Bithynia. — (6) Deest nomen in cod.

que doctrina fieri putaretur. Vocat quippe eos ut qui erant piscatores piscium, fierent hominum. Sicut enim pisces elevantur de profundo per rete, sic præcepto Dei homines, iisdem prædicantibus, de profundis sæculi erroribus redimuntur (1). Tres igitur Evangelistæ piscatores dixerunt; nominis immutationem (2) solus Joannes intulit. Merito ergo piscatores dixerunt, quibus officium piscandi Jesus adimit, et misit ut homines ad salutis credulitatem perducerent sua prædicatione, quia per Prophetam dictum fuerat de ipsis: « Mittam piscatores, et » piscabuntur eos<sup>1</sup>. » Totum ergo hoc in Apostolis completum est, qui ex piscatoribus effecti sunt piscatores hominum. Sicut enim pisces retibus de mare auferuntur, sic prædicatione apostolica homines de sæculo tolluntur, et perveniunt ad credulitatem Filii Dei.

III. « Altera die stabat Joannes, et ex Discipulis ejus » duo, et respiciens Jesum ambulans, dicit: Ecce » Agnus Dei. Et audierunt eum duo Discipuli loquentem, » et secuti sunt Jesum<sup>2</sup>. » Istos duos Discipulos Joannis Andream et Philippum (3) fuisse manifestum est, qui ideo secuti sunt Christum Dominum (4), ut aliquid ab eo discerent. Quid eis ipse dicit? « Venite post me; » ac si apertius diceret: Credite et videte, id est, intelligite. Die quoque illo illuminati crediderunt Dominum Jesum Christum Deum esse. Quod dicit, « Hora erat quasi de- » cima<sup>3</sup>, » quid aliud hora illa decima significabat, nisi finem Testamenti Veteris et initium Novi; quia et Joannes figuram Legis veteris gestabat, duo vero isti Discipuli dilectionem Dei et proximi figurabant. Relicto ergo

<sup>1</sup> Jerem. xvi, 16. — <sup>2</sup> Joan. 1, 35-37. — <sup>3</sup> Ibid. 39.

(1) Cod. *redimerentur*. — (2) Id. *immutatione*. — (3) Id. *isto duo discipuli... Andreas et Philippus*. — (4) Id. *Christus Dominus*.

Joanne, duo Discipuli secuti sunt Dominum, quia prætereunte Legis figura, advenit Novum Testamentum, quod est Evangelium Jesu Christi.

---

SERMO LXXXV.

In Natali Sancti Stephani.

*Eruiitur hic sermo ex Cod. Cass. XII, fol. 55. Omnia concordant ut sancto tribuatur Augustino. Nomen beati Doctoris habet; sententiæ non repugnant; dicendi modus illius stylo perfecte accommodatur. Locus ejus erit in edilis post sermonem Maurinensem CCCXIX cum numero in Natali sancti Stephani VII.*

SYNOPSIS.

I. Sanctus Stephanus primus martyr cœli visione inter tormenta recreatus. II. Crudelis et impia exagitur Judæa, quæ Martyrum agminibus nihil poterit respondere. III. Stephanus pro lapidantibus Deo supplicat.

I. STEPHANUM sanctum veneremur omnes, fratres charissimi, cui hodie faces erigimus et concursus lætissimos exhibemus. Nullus adhuc post Crucem Martyr, nemo fuerat Christum moriendo secutus (1). Adhuc tenebat Apostolos mundus; adhuc Saulus in Christianos sæviebat ut lupus, et jam coronabat Stephanum Christus (2). Necdum per campos et prata sæculi Confessorum flores eruperant; necdum sanguis Christi fusus in terram Martyres parturiebat. Sic Stephanus sanctus de se-

(1) Cod. male *securus*. — (2) Vide Serm. CCLXXIX, n. I.

mine radiavit, et flos primitivus statim surrexit, ubi Judæa Christi sanguinem fudit. Synagoga igitur recenti cæde ebria, cujus manus necdum a cruore sicca erat, in cujus adhuc ore rabido reatus mortis sub Pilato fervebat, non esse tulit Stephanum Christi testem, sed veluti domesticum mortui satellitem crucifixi, ita in eum grandines lapidum torsit, et sic Stephanus sanctus secutus est quem amavit. Interim subtus manus lapidiferas constitutus, cum in eum dura supplicia pensarentur, cœlum vidit (1) apertum, et Filium hominis stantem a dextris Dei. Vidit miles stipendium suum; vidit divinum cœlestis athleta bravium suum; aspexit Martyr præmium jam paratum, et inter acies fumosas (2) extulit pectus accensum paratus ad mortem, quia palmiferam contemplant in cœlo salutem. Procul dubio, fratres, corporalibus oculis intuebatur cœlos, et Christum ad dexteram Patris stare gaudebat in throno; sub tales spectatores (3) pugnare fortiter non dubitavit. Judæi jaculabantur in Martyrem pœnas, et Christus mittebat desuper roseas suo sanguine candidato coronas. Quid te, o impia Synagoga, ista crudelitas juvat? Stephanum cum lapidas, plus honoras; cum occidis, plus erigis; cum in terra persequeris, ad cœlum nescia sæviendo præmittis. Jam mens Martyris, ore (4) fixa cœlo, non sentit supplicia tua, non curat arma tua, quia inter Angelorum constitutus est gaudia, et inter Archangelorum occupatus (5) agmina, nescit Confessor Christi sæculi formidare tormenta.

II. Hunc alloquitur Pater, hunc Filius consolatur, hunc Spiritus sanctus in sensibus fovet; huic cœlestia mysteria blandiuntur, et tanquam collibertum suum

(1) Cod. *perperam vidi*. — (2) Id. *fummosus*. — (3) Id. *persecutores*. — (4) Id. *aure*. — (5) In cod. hic legitur *est quod abundat*.

opibus divinis inebriant, ne sentiat mens Martyris quidquid fulminat lapis. Tu autem, impia Judæa, imple facinus tuum, perficis homicidium, et quæ modo occidisti Dominum, illico necas et servum, quasi ita possis abolere primum facinus, si iteres homicidium. « Ecce, » inquit Stephanus, video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei<sup>1</sup>. » Vides-ne, crudelis Judæa, quod Christus in cœlo vivat, quem tu propria manu occideras? Scio quia fremis, et non vis audire vivum, quem putaveras mortuum? Nam ideo necas Stephanum, ut perhibere Christo desinat testimonium. Sed quid factura es contra tot exercitus Martyrum, quibus non vales imperare silentium? « Vidi, inquit Joannes, » et ecce multitudo magna, quam dinumerare nemo poterat, ex omni natione, et tribu, et lingua, stantes in » conspectu Dei, indutos stolis albis, et palmæ erant in » manibus eorum<sup>2</sup>. » Ecce illi portant in manibus palmas, et tu ex corde eructas flammam; illi exultant in gloria, et tu tuam vulneras conscientiam; illi regnant cum Christo, quem occidisti, et in te remansit sacrilegium, quod fecisti.

III. Denique audite, fratres, Martyrem pium, audite vere de sacro et divino convivio satiatum, cujus mens apertis cœlorum repagulis, audiebat dulce secretum. Denique cum Judæi solita impietate crudeles, corpus Martyris lapidibus conquassarent, ille, genu flexo, Regem Dominum sic adorabat dicens: « Domine, ne statuas illis » hoc peccatum<sup>3</sup>. » Supplicat ille qui patitur, et non pœnitet qui grassatur (1); exorat Martyr pro alieno peccato, et Judæus non erubescit in suo; non vult illis

<sup>1</sup> Act. vii, 55. — <sup>2</sup> Apoc. vii, 9 — <sup>3</sup> Act. vii, 59.

(1) Cod. male *crassatur*. Grassari sæpe in latinis scriptoribus idem sonat ac *impugnare*. Vide Titum Livium, Suetonium, et alios.

imputari quod faciunt, et illi sæviendo usque ad mortem persistunt. Quæ est ista rabies mentis, quæ vis inaudita furoris, magis ad cædem fervere, quia videbant Martyrem supplicare, qua visione animos debuerant emollire? Recoluit igitur Martyr servus mortem Domini sui (1). Ille enim in cruce pendens, et proximus morti, Patri pro Judæorum scelere supplicabat; iste imitatus Christum inter tortuosos aggeres cædis, cum immolat sacrificium pietatis, consecutus est ad cælum Dominum majestatis. Propterea et nos, fratres, ejus sanctis orationibus nos commendemus, ut cum ipso ad vitam æternam pervenire mereamur.

SERMO LXXXVI.

In Natali Sanctorum Innocentium I.

*Nullus dubitandi locus, quin hic sermo ex Cod. Cass. XII, fol. 43 erutus, ad sanctum Augustinum, cujus nomen habet, sit referendus. Codex in multis deficiens, stylum jam aliunde durum, difficiliorem adhuc reddit captui legentis, sed accedit ad auctoritatem manuscriptorum continua et solita verborum oppositio. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Ex ore infantium occisorum laus Christi nascentis perfecta. II. Christi nascentis et parvulorum comparatio. III. Herodis delusi consummata malitia.

I. BONA semper est et inenarrabilis clementia Salvatoris. Propter indignum hominum genus, lutea se induit

(1) Vide August. Serm. CCXIX, n. 5.

figura, qui sublimem caeli incolit cameram. Non enim coangustatum est intra angustum Virginis cubiculum Opifex Angelorum. Ut a nexu serpentis exolveret omnem mundum in retiaculo inimici detentum, natus est in mundo figulus mundi mundum pene deflexum eruere de peccati ruina, et restaurator factus est totius mundi Filius Dei, cui aetas tenera (1) infantium vocem laudis intonuit. De quibus Propheta David nobis hodie in Psalmo decantavit dicens: « Ex ore infantium et lactentium » perfecisti laudem<sup>1</sup>. » O Propheta laudabilis, qui laudem Dei, dum innotescit (*sic*) sæculis, futurum exitium parvulis demonstravit fieri pro Christo in novissimis. Sic enim prosecutus est laudem parvulorum, dum cantaret: « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. » Hic dicit in Christo, et hic laudat parvulos cum Christo. Laudem ipsorum proclamat, et futuram eorum passionem annuntiat. Sic enim actum est martyriale exitium, ut ii qui nullum senserunt poenarum afflictum, Angelis in caelo contulerint gaudium, et victoriam de mundo Regi omnium sæculorum. Supernæ Jerusalem rector et factor, ut nasceretur, intactum et incoinquinatum (2) partum Virginis demonstravit; et perturbata Jerosolyma cum Herode inauditum bellum in parvulis visa est peregisse. Magis adorantibus natum omni mundo Salvatorem. Multum quoque et eximium gaudium mundo, dum ululatus maternus transcendit in caelum, et fit (3) parvulorum passio gloriæ decus omni lugenti. Jam mundus compatitur parvulis, et lætantur Archangeli; poenam inermes a patribus suscipiunt filii, et sine actu doloris vim necis suscipiunt, qui caelum (4) condigni mercimonio vitæ jam inventi sunt accepturi.

<sup>1</sup> Psal. viii, 3.

(1) Cod. male *tenua*. — (2) Id. *coinquinatum*. — (3) Id. *et sine fit*. — (4) Id. *mortis qui caelo*.



II. Lætare, Jerusalem, in Domino, quia Jerosolyma cum suis exactoribus perturbatur. O Jerusalem, Jerusalem, dudum Prophetarum sanguine jam ebria, caupones tuos cum iniquo discrimine accusasti, et nunc insana dicere Herodi de nece infantum omnimodis demonstrasti. Olim annuntiatores Christi necasti, nunc autem indignator inventus est pro munere Christi, dum jugulares parvulos, ipsius qui auxilio inventi erant muniti. O laudabile præmium! Unus ab uno perquiritur, et pro uno, a matribus rapti multi filii jugulantur. Unus venerat redimere mundum dum nascitur, et omnium patres (1) inauditum facinus committere invitantur. Modo processit de thalamo Virginis sponsus, et in adventum ejus ætas puerorum facta est holocaustum. Modo plasinator et (2) figulus luteum ex Virgine induitur corpus, et adversaria infert Herodes furente diabolo (3), in quo inquinato pulveri sanguinem commiscuit infantium. Modo ex arca Virginis mensurator natus sortis (4), et hic quasi ex gremio ab Herode cumulus erigitur carnis. Modo sanctum botrum in torcular inducitur mundi, et hic ubere matris improbe exprimitur (5), dum lancearum (6) cum sanguine commiscetur. Modo Agnus Dei ex sancto ovili (7) procedens, per pastores Herodem illusit, et propterea dolus factus est magnus, dum princeps insanus, lupi rapacis rabie captus, a matribus eduxit balatum, vere ut improbus falsarius (8).

III. Videns ergo Herodes, quia delusus est a Magis, vocavit Scribas, et inquisivit ab eis quo tempore Christus nascitur in Judæis redemptor captivitatis; qui, di-

(1) Cod. *ad inauditum*: *ad* videtur abundare. — (2) Id. male *effigulus*. —  
— (3) Id. *adversario intra Herode*, *currente diabolo*. — (4) Id. *fortis*.  
— (5) Id. male *exprimuntur*. — (6) Cod. *lanciorum*. — (7) Id. *ovile*. —  
(8) Id. *saltarius*.

vino auxilio moniti, delegerunt ut a bimatu et infra ætas infantium necaretur (1), quam omnis creatura jugularetur. O Herodes, tua malitia terminum nescit habere, et Saulus Ecclesiam quam persequebatur, hodie inventus est venerasse, et qui olim Dei cultores insequabatur insanians, nunc ipsam esse sponsam Christi veraciter proclamatur dicens: « Sponsavi enim te uni viro virginem cas- » tam exhibere Deo <sup>1</sup>, » per quem est Deo Patri honor, laus et gloria in Spiritu sancto nunc et in æterna sæcula sæculorum. Amen.

---

## SERMO LXXXVII.

### In Natali Sanctorum Innocentium II.

*Legitur hic sermo tribus in codd., nempe 1º Bibl. Laurent., Plut. XIV, Cod. 1, fol. 54 b; 2º Cod. Cass. CVI, fol. 61; 3º Cod. Cass. CXVI, fol. 192 a tergo. Ubique nomen habet sancti Augustini, cui abjudicandus non videtur. Locus ejus post præcedentem.*

### SYNOPSIS.

I. Invidia diaboli missus Herodes ad occidendos Innocentes. II. In quem sit Dei vindicta. III. Herodis timor ejusque causa.

I. FRATRES charissimi, ait Spiritus sanctus per Salomonem: « Invidia, inquit, diaboli mors introivit in » orbem terrarum <sup>2</sup>. » Certum est, dilectissimi, quod ab initio diabolus sit magister zeli et invidiæ; unde manifes-

<sup>1</sup> 2 Cor. XI, 2. — <sup>2</sup> Sap. II, 24.

(1) Cod. *necarentur*

tum est, quoniam omnis homo invidus et zelotypus, diaboli est discipulus. Unde apparet, multos qui invident et zelantur, quia diabolum imitantur (1), sicut scriptum est: «Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius<sup>1</sup>.» Pars autem Domini Israël est spiritalis et sanctus, de quo dictum est: «Pars Domini Israël, hæreditas ejus<sup>2</sup>.» In hac hæreditate, ut jam diximus, invidus et hominis adversarius inimicus partem non habens, gentilem introducit in regnum, hoc est, Herodem tyrannum ex gentibus natum, ad exterminandum Dei populum, et vexandum insontem (2) turbam infantum, et (3) ad fundendum sanguinem parvulorum innocentum. Adversus quem nunc interpellantem audivimus in præsentem Spiritum sanctum, canentem atque dicentem: «Vindica sanguinem famulorum tuorum, qui effusus est<sup>3</sup>; intret in conspectu tuo gemitus compeditorum<sup>4</sup>.» Introivit plane (4) et manet in manu Dei usque ad diem Domini reservatus, id est, in die judicii ulciscendus (5).

II. An ignorat charitas vestra in Joannis Apocalypsi, ubi dicit: «Vidi animas occisorum sub ara Dei, propter verbum Dei, et testimonium Jesu, clamantium et dicentium: Usquequo non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de his qui in terris sunt<sup>5</sup>?» Vindica sanguinem nostrum a tua charitate nullo modo separatum, sicut in præsentem lectione ait: «Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames<sup>6</sup>?» Vindica sanguinem innocentium ab ubere matrum separatum, et tuæ charitati connexum. Vindica matrum la-

<sup>1</sup> Sap. II, 24, 25. — <sup>2</sup> Deut. XXXII, 9. — <sup>3</sup> Apoc. VI, 10. — <sup>4</sup> Psal. LXXXVIII. 11. — <sup>5</sup> Apoc. VI, 9, 10. — <sup>6</sup> Rom. VIII, 35.

(1) Vide Augustin. de Peccator. Merit. et Remission. lib. I, num. 9. — (2) Codd. absurde *immanem*. — (3) Sic codd. CVI et CXVI. Deest *et in cod. I.* — (4) Sic cod. CXVI; cæteri *valde*. — (5) Codd. *reservatum... ulciscendum*.

bores, partus, genitus, et dolores, fletus, lamenta (1), et ululatus, ubi nullus fuit consolator, sicut evangelica lectio demonstrans ait: « Vox in Rama audita est, fletus » et ululatus magnus; Rachel plorans filios suos, et non luit consolari, quia non sunt<sup>1</sup>. » Et vere quia non fuerunt de sæculo, qui nativitate et ætate sodales erant Christo, quemadmodum Evangelista ait: « Misit quidem » Herodes rex, et occidit omnes infantes regionis, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis<sup>2</sup>. » Et quid cognoverat a Magis, nisi Christum verum regem Israël secundum carnem natum?

III. Audiens Herodes, magnum sibi computavit periculum, quia se regnare injuste cognoscebat super Dei populum. Intelligebat enim se refugam et alienigenam (2) non posse permanere in Israël, gente sancta, audiens regem natum, non a populo factum, sed a Deo Patre destinatum, quia (3) rex nasci debet, non fieri, dicente ipso Domino Christo: « Ego vero in hoc natus sum, et » ad hoc veni<sup>3</sup>. » Cujus nativitate gaudentes et exultantes per ipsum Deo Patri gratias referamus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Matth. II, 18. — <sup>2</sup> Ibid. 16. — <sup>3</sup> Joan. XVIII, 37.

(1) Cod. maie *lamentus*. — (2) Vide Augustin. de Civit. Dei lib. XVIII, cap. XLV, num. 3. — (3) Sic codd. CVI et CXVI; cod. I *qui*.

## SERMO LXXXVIII.

In Natali Sanctorum Cosmæ et Damiani.

*Hic sermo habetur in Cod. Cass. XII, fol. 276, quem nec in sancto Augustino, nec in aliis reperi, quamvis multæ legantur sententiæ, quæ legenti non videntur ignotæ. Nihil aliunde complectitur, quod beati Doctoris ingenio repugnet. Hinc locus ejus sit post sermonem Maurinensem cccxxv.*

## SYNOPSIS.

I. Beneficia divina a Martyribus collata. II. Hinc Martyribus sociemur, ut inferni mala evadamus. III. Martyres invocandi.

I. BEATORUM germanorum Cosmæ et Damiani celebremus hunc diem non profanis ritibus Paganorum, sed tranquilla devotione fidelium; in quo alieni cives, nostri facti sunt patroni, quia qui misit primum Apostolos in carne, ipse nunc hos misit in spiritu viventes; quia illas terras in corpore illustrarunt, istas mortui (1) visitarunt; sed mortui non visitarent, nisi et mortui viverent. Ideo cinis latet, beneficia patent, et quia nos in grandi valetudine eramus, ideo tales medici missi sunt, qui nos et ab incursionibus diabolicis, et a morbi infirmitatibus liberarent. Nam divina potestas cum Discipulos post resurrectionem mitteret, hoc primum commendavit, ut in ejus nomine infirmos curarent, mortuos suscitarent, dæ-

(1) Cod. male *mortuis*.

monia ejicerent, cæcos illuminarent<sup>1</sup>. Semper de nostra infirmitate, ut potest misericors, et generis (1) sui curas gerens, tales (2) post suam ascensionem elegit, qui per artem (3) terrenam conferrent beneficia divina. Hoc utpote summa peragit (4) potestas, quia sua ineffabili voce pro infirmis et advenis se venisse (5) testatus est dicens: « Non est sanis opus medicus, sed male habentibus<sup>2</sup>; » nec veni vocare justos, sed peccatores ad (6) pœnitentiam<sup>3</sup>. » Consideremus tamen quapropter talia Sanctis tribuit. Pacem dilexerunt, et ad pacis Dominum pervernerunt, de quo (7) dicit Apostolus: « Ipse (8) est enim » pax nostra, qui fecit utraque unum<sup>4</sup>. »

II. Beati igitur Cosmas et Damianus nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt, bene vivendo, conversationis, et moriendo (9) fortiter, passionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diversis locis eos innotescere voluit, ut eorum precibus a diversis languoribus liberaremur; ut tanquam idonei testes nos præsentia quadam ad fidem exemplo suæ curationis urgerent; ut humana fragilitas, quæ prædicationis Dominicæ auditui longiori (10) vix credit, vel præsentia oculorum visu, istorum credat (11) mirabilia, qui commutaverunt artem medicaminum in preces (12), ut fide sola subveniant, qui ante per artem curabant. Non tamen de suo habuerunt, sed de ejus potestate (13) qui salus est mundi; et ideo immorantes subveniunt, quia salus mundi opitulatur eis. Nam cum omnes Sancti devotissime

<sup>1</sup> Matth. x, 8. — <sup>2</sup> Id. ix, 12. — <sup>3</sup> Ibid. 13. — <sup>4</sup> Ephes. ii, 14.

(1) Cod. *itineris*. — (2) Id. *et tales*. — (3) Id. *partem*. — (4) Id. *pergit*. — (5) Deest *venisse* in cod. — (6) Cod. *in pœnitentia*. — (7) Id. *de qua*. — (8) Id. *ip. a.* — (9) Id. *etsi curando*. — (10) Id. *auditu longiore*. — (11) Deest *credat* in cod. — (12) Cod. *medicaminibus ad preces*. — (13) Deest in cod. *de potestate*.

percolendi sint, sed specialiter hi venerandi a nobis, quorum pretiosas (1) reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus juvant; isti etiam adjuvant præsentia(2), quorum nobis (3) familiaritas quædam est. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur; hoc est, et in corpore nos viventes curant, et de corpore recedentes excipiunt; hîc ne peccatorum nos labes (4) absumant, et morbi afficiant, ibi ne inferni horrores invadant. Nobis ideo a majoribus, hoc est traditum, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos inferi tartara metuunt (5), nos pœna non attingat; cum Christus illos illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus quiescentes, evadimus inferi tenebras, si non propriis meritis, attamen consortii (6) sanctitate. Ait Dominus Petro: « Tu es Petrus, et super » hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam<sup>1</sup>. » Si ergo apostolo et martyri Petro inferi portæ non prævalent, quisquis sociatus fuerit Martyribus, tartari januis non tenetur. Martyres enim inferni portæ non possident, quoniam eos Paradisi regna suscipiunt. Nam videmus eos jam regnare. Cernimus enim ab his frequenter obsessos immundis dæmonibus homines liberari (7); ita ut cœlesti medicina, et captiva anima de diaboli laqueis eruatur, et ipse diabolus laqueis igneis alligetur (8). Producatur de sua captivitate captivus, ut qui prædam paulo ante cœperat, ipse subdatur in præda. Hæc et alia potiora mirabilia per Sanctos fieri omnibus notum est, nec cessant agere quæ gesserunt. Gestaverunt ferramenta, ut amputarent

<sup>1</sup> Matth. xvi, 18.

(1) Cod. *per fides*. — (2) Id. *in passione*. — (3) Id. *cujus autem*. — (4) Id. *labiis*. — (5) Id. *metiunt*. — (6) Id. *consortii*. — (7) Id. *liberare*. — (8) Id. *alligatur*.

putredinem carnis ; insistent orationi , ut amputent animabus ferramenta (1). Posuerunt medicamina ab hominibus confecta , exhibent sanctitatem a Christo concessam. Præstiterunt temporalia , fruuntur æternis (2) ; curaverunt in carne , curati sunt in (3) anima. Infirmos consolati sunt , fortes facti sunt ; abjecti putati sunt , potentes inventi sunt. Ars terrena defecit , et sola fides permansit.

III. Et ideo , fratres charissimi , veneremur eos in sæculo , quos interventores habere possimus in futuro ; et sicut eis ob sensum (4) amoris ad natalitia occurrimus , ita eis fidei imitatione jungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus , si sociemur illis tam religione quam corpore , quod eorum (5) meritis mereamur adipisci a Domino Deo nostro. Amen.

---

## SERMO LXXXIX.

### De Trinitate.

*Hic sermo , qui eruitur ex Bibl. Mugellan. , cod. XVI , fol. 66 , non tam sermo dicendus est , quam sermonis quoddam fragmentum. Nihil aliud est quam lectio quædam officii nocturni. Sed cum gravissima præferat fidei mysteria , prætereundus minime visus est. Nomen præfert sancti Augustini episcopi , et nihil obstare videtur , quin illi tribuatur , quam error gravissimus , qui versus medium occurrit , Error*

(1) Cod. *testamenta*. — (2) Id. *æterna*. — (3) In cod. *deest in*. — (4) Cod. *optentum* , forte pro *ob sensum* , nisi legas *obientu*. — (5) Id. *quorum*.



*autem ille ita clare amanuensi tribuendus apparet, ut hinc rejiciendi illius ausam arripere non æquum esse crediderim. Locus ejus post sermonem Benedictinum CCCLXIII.*

## SYNOPSIS.

Spiritus sancti processio, Filiique nativitas, non autem Patris.

Hoc donum Dei, Spiritus sanctus, qui de Patre et Filio æqualiter procedit, ineffabiliter quædam Patris et Filii communio est; et ideo fortasse sic appellatur, quia Patri et Filio eadem quoque (1) appellatio convenit. Nam hoc ipse proprie dicitur, quod illi convenienter (2) dicuntur. Et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus recte dicitur. Ideo Pater missus non legitur, quia incarnatus non creditur. Congruentius ille missus dicitur, qui in carne apparuit. Forma igitur illa visibilis suscepta, Filii (3) persona est, non etiam Patris. Quapropter Pater invisibilis una cum Filio invisibili, eundem Filium visibilem faciendo, eum misisse dictus est. Iste venit (4) accepta forma servi, ut maneret incommutabilis forma Dei. Qui autem in forma hominis (5) apparuit carnalibus oculis, ab invisibili sancta Trinitate factus (6) est. Sic ergo secundum illam divinitatem, qua unum sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum; sed solum Filium natum catholica fides et credit et prædicat. Neque enim in illa Trinitate proprium

(1) Cod. male *eademque*. — (2) Id. *convenire*. — (3) Id. *hominis*. Videtur certum hic errorem amanuensis, non scriptoris irrepisse, ex eo quod hinc ponitur vox *hominis* pro voce *filii*, et inferius vox *filii* pro voce *hominis*. Quod confirmat et ultima hujus Sermonis sententia, quæ huic errori directe contradicit. — (4) Cod. male *vero*. — (5) Id. *Filii*. — (6) Id. *factum*, et deinde *sicut*.

esset solius Patris , quia non est natus ipse, sed unum Filium genuit; neque proprium solius Filii, quia non genuit ipse, sed de Patris essentia natus est; neque proprium Spiritus sancti, quia nec natus est, nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit, si secundum naturam quidem divinam Deus Pater de nullo nasceretur Deo, secundum carnem tamen ipse nasceretur ex Virgine. Si enim Pater nasceretur ex Virgine, una persona esset Pater et Filius. Ipsa autem una persona pro eo quod non (1) de Deo, sed tantum de Virgine nasceretur, non Dei Filius, sed tantum hominis Filius veraciter diceretur.

## SERMO XC.

### Expositio Fidei.

*Valde obscurus hic sermo, forte propter menda a scribente sepius intromissa, nomen habet sancti Augustini in Cod. Cass. CLXII, fol. 120, unde educitur. Non sancto Doctori illum ascribere certius aulerem, sed cum nomen ejus habeat, non illum etiam denegare praesumo. Sit locus ejus post praecedentem.*

### SYNOPSIS.

I. Filius unus cum Patre Deus. II. Divinitas Spiritus sancti.  
III. Tres personae unus Deus.

I. FIDES unius substantiae Trinitatis, hoc est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sine initio temporum, super sensum, et sermonem, et spiritum. Una virtus, unus

(1) Deest in cod. vox non, quam requirit sensus.

Deus, tria vocabula (1). Nascitur de Virgine Maria, accipiens corpus animale, sed ipse sensus præcellens Dei Verbum, non comprehensus a carne sermo, sed in carne et super carnem, sicut Deus præsciens, Dei virtus, Dei veritas; sed sermo Dei impassibilis (2) in passione quidem moritur, ut vivificaret protoplastum, qui ceciderat per inobedientiam. O homo, Deitatem quæris? vitupero te? Si credis (3), bene facis; si autem dicis (4): Pater quomodo? de lumine excidisti, et si dixeris, Quomodo Filius? similiter (5) excidisti de lumine. « Nemo enim novit » Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater<sup>1</sup>. » Qui tres virtutes inducit, tres deos confitetur; nos autem credimus tres personas, unam vero virtutem, unam deitatem. Quando autem nominaveris Patrem, glorificas Filium, et quando nominas Filium, adoras Patrem. Si iterum unam personam Trinitatis dicimus, judaïzamus, quia Judæi unam personam dicunt et unum Deum confitentur. Si tres deos inducimus, similes sumus Gentilibus. Sed confitemur Patrem in Filio, et Filium in Patre cum Spiritu sancto. Non separatur, non dividitur deitas; Deus enim de Deo, virtus ex virtute, lumen de lumine, veritas ex veritate. Testis non est; non cœlum, non terra, non mare, non lux, non tenebræ, nec Angeli, neque Cherubim, neque Seraphim, sed « Erat in principio Filius apud Patrem<sup>2</sup>. » Nemo cognoscit innascibilem, nisi qui natus est, scit unde sit natus; neque nascibilem aliquem scit, nisi qui genuit; Pater scit qui generavit. Similis Genitus Genitori, Patris consilium et sapientia(6),

<sup>1</sup> Matth. xi, 27. — <sup>2</sup> Joan. i, 2.

(1) Intellige non vocabula vacua, sed reas indicantia personas, quod galis deinceps explicat scripto. — (2) Cod. addit *est*. — (3) Id. *credes*. — (4) Id. *dicis*. — (5) Id. *similiter filium*. — (6) Id. *sapientiam*, et antea *Patri*.

una virtus, et una deitas. Nativitatem Filii Dei quæris? Recens propriam habuit (1) nativitatem ex Virgine Maria; sed nativitas Filii I ei « In principio apud Patrem » est. » Confiteor enim unum innascibilem, et unum natum; confiteor Patrem omnipotentem sine initio, sine fine, qui omnia tenet et a nullo tenetur; omnia gubernat et a nullo gubernatur, omnia videns. ipse autem invisibilis; confiteor Jesum Christum Filium Dei cum omni consilio et virtute paternæ deitatis. Quantam autem habet Pater virtutem, tantam et Filius. Non diminuitur Genitus eo qui est innascibilis, non factus, neque creatus.

II. Si autem Spiritum (2) dixerò natum, duos filios statuo ex uno Patre, et non unum ex uno, aut solum ex solo. Est unus Pater, ex quo omnia, est unus Jesus Christus per quem omnia; et si dixerò innascibilem, jam non unus Pater omnipotens innascibilis, sed duos omnipotentes statuo; et si dixerò factum, gentiliter dico. Gentes enim facturas (3) manûs adorant, et non Factorem cœli et terræ. Quid ergo habeo dicere? Phantasma? absit, quoniam blasphemiam Christus non remittet (4). Quomodo enim si duo ligna conjuncta missa in fornacem ignis, et de duobus lignis procedat flamma inseparabilis, sic de Patris et Filii processit Spiritus sanctus, ipsam virtutem et deitatem habens (5).

III. Sicut beatissimus Apostolus Paulus posuit dicens: « Deus mediator Dei et hominum<sup>1</sup>. » Non Deus Dei mediator, unus est enim usque in Trinitate (6); sed accipiens corpus de Virgine Maria, et (7) induens veterem hominem, qui ceciderat per inobedientiam, mediator

<sup>1</sup> 1 Tim. II. 5.

(1) Deest *habuit* in cod. — (2) Deest *Spiritum* in cod. — (3) Cod. *fractura*. — (4) Id. *blasphemia... non remittetur*. — (5) Hic quædam videntur deesse. — (6) Cod. *ad Trinitatem*. — (7) Deest *et* in cod.

factus est carnis. Patris virtus (1), hoc est Jesus Christus. Quando autem assumpsit Apostolos, sicut Evangelia testantur, et ascendit in montem excelsum, et monstravit (2) virtutem deitatis, et ecce nubes candida cooperuit eum<sup>1</sup>, nubes vero splendida virtutem Patris in eo ostendit, sicut quidam per vaniloquia docent, quomodo tres personae in una substantia? Illi autem dicunt tres virtutes, nos autem audimus tres personas in una virtute, tria vocabula, sed unum Deum; tria vocabula unius vocis. Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Iterum illi dividentes virtutem et deitatem Trinitatis dicunt: Sicut Imperator, praefectus, et comes (3)? Absit. Non trado ego hanc doctrinam, aut istam expositionem, aut fidem, sed magis anathematizo. Scriptum est enim in divinis praeceptis: «Visibilia enim hujus mundi invisibilibus comparantur<sup>2</sup>.» Terrenus imperator (4) de tribus constat, sed unum est imperium. Si deposuerit diadema a capite suo, Cæsar est. et non imperator perfectus; sic qui blasphemant Spiritum sanctum non sunt Christiani; et si purpuram deposuerit, vir solus est, sicut Judæi unam personam adorant. Nos autem confitemur quod sicut imperator terrenus, sic et cælestis, homo in purpura, et purpura in homine; corona autem capitis continet purpuram, et in homine unum imperium ostendit (5). Sic Pater in Filio, et Filius in Patre, Spiritus autem sanctus conjunctio Deitatis, virtus et unitas Trinitatis.

<sup>1</sup> Matth. xvii, 5. — <sup>2</sup> Rom. i, 20.

(1) Cod. *virtute*. — (2) Id. *mutavit*. — (3) Vide Augustin. contra Seren. Arian., num. 18. — (4) Cod. *operator*. — (5) Hæc valde obscura videntur. Cod. *hominem*

## SERMO XCI.

## De Judicio extremo.

*Educitur hic sermo ex Bibl. Sanctæ Crucis Florentiæ, Plut. XIX dext., Cod. X, fol. 459 b. Nihil habet quod repugnet sancti Augustini doctrinæ, cujus nomen præ se fert. Sit post præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Bonorum remuneratio. II. Condemnatio malorum. III. Conclusio.

I. « CUM autem venerit Filius hominis in majestate » sua, tunc sedebit in sede majestatis suæ, et congrega- » buntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab in- » vicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis; et statuet » oves a dextris, oves autem a sinistris. Tunc dicet eis qui » a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, per- » cipite regnum quod vobis paratum est a origine mundi<sup>1</sup>, » ubi lucea indeficiens, ubi gaudium sempiternum, ubi » vita perennis et immortalis, et lætitia sempiterna cum » Angelis et Apostolis; ubi lux lucis et fons luminis, ubi » civitas Sanctorum Jerusalem cœlestis, ubi conventus » Martyrum et Patriarcharum cum Abraham, Isaac et Ja- » cob, et Sanctorum omnium; ubi dolor nullus nec tristi- » tia post gaudium; ubi nox effugiet, et senectus non ap- » parebit; ubi charitas inexplebilis, ubi pax individua;

<sup>1</sup> Math. XXV, 31-34.

ubi assistunt Ageli et universæ Potestates ; ubi manna , id est , cibi cœlestes (1) et vita angelica ; et ut infinita in brevi comprehendam , omnis dolor et omne malum non videbitur , et omne bonum non deesse unquam potest. Tunc Justi ad hæc respondebunt dicentes : Domine , cur tantam et talem gloriam nobis præparasti ? Tunc et ipse eis respondebit : Pro misericordia vestra et fide , pro charitate et patientia , pro longanimitate , et mansuetudine et justitia , pro continentia et humilitate , pro hospitalitate et affabilitate , pro gaudio ad peregrinos et ignotos , pro justitia et sanctitate , pro tristitia vestra in malo proximi , pro lætitia vestra in bonis ejus , pro gaudio vestro in his qui nec sermonem otiosum de ore suo proferunt , pro timore Dei in his qui nec transgrediuntur pactum , nec (2) iota unum aut unum apicem de lege Domini ; pro eo quod non accepistis munera super innocentem , nec mendacium pro veritate ; pro eo quod vitium cordis vestri necnou et corporis succidistis , et pro nihilo sæculum sprevistis , et non tantum Diabolo renuntiastis et operibus ejus , et sæculo huic et pompis ejus , sed et vobismetipsis (3) , et tulistis crucem Jesu , et secuti estis eum. Tunc respondebunt Justi dicentes : Domine , quando in nobis bona ista vidisti , vel in proximo fecimus , quod ad tuam pertinet curam ? Et dicet illis : « Amen dico vobis , » quandiu fecistis uni de minoribus his , et mihi fecistis<sup>1</sup> , » et in conspectu meo. Et vos quod fecistis in absconso , ego vobis reddam in palam.

II. Tunc dicet Rex his qui a sinistris erunt : « Ite , » maledicti , in ignem æternum , quem præparavit Pater » diabolo et angelis ejus<sup>2</sup> , ubi erit fletus et stridor den-

<sup>1</sup> Matth. xxv, 40. — <sup>2</sup> Ibid. 41.

(1) Cod. *cœlestis*. — (2) Dcest *nec* in cod. forte legendum *peccato iota* , etc. — (3) Cod. *vosmetipsos*.

» tiam<sup>1</sup>; » ubi sunt oculi eorum lacrymæ, ubi mors optatur et non datur, ubi « Vermis eorum non morietur, et » ignis eorum non extinguetur<sup>2</sup>; » ubi aliud non paratur, nisi pœna; ubi nullus dominus super servum, nec senis reverentia, nec juvenis administerium (*sic*); ubi nullum gaudium nec lætitia post tristitiam; ubi nullus honor nec requies post pœnam; ubi tenebræ æternales, et horror pœnæ; ubi arder sitis, et terra oblivionis; ubi ardor flammæ, et dolor vermium; ubi nihil videtur, nisi pœna, et nihil auditur, nisi gemitus; ubi nolla consolatio; ubi infernus et profunditas gehennæ, de qua Propheta dixit: « In inferno autem quis confitebitur » tibi<sup>3</sup>? » id est, nullus; in illo loco quis potest confiteri Domino? defecit ab eis omnis materia operandi: ubi erunt (1) diversa genera pœnarum; ubi est « Draco » quem formavit Dominus ad illudendum ei<sup>4</sup>. » Væ iis cum quibus est draco ille, quem Dominus in cruce triumphatum alligavit, ut passerem. Si homines in mundo principatum ejus ferre non poterant, quanto magis hi cum quibus est? Tunc respondebunt et ipsi dicentes: Domine, cur tantas (2) et tales nobis preparasti pœnas? Tunc et illis respondebit, dicens: Pro nequitia vestra, et dolo et malignitate; pro avaritia et iniquitate; pro injustitia (3) et fraude; pro furto et mendacio, pro usuris et cupiditate; pro homicidio et adulterio; pro ira et fornicatione; pro superbia et inani gloria; pro afflictione proximorum, pro tristitia quæ mortem operatur, pro eo quod non recepistis peregrinos, et læti fuistis in malis proximorum vestrorum, et tristes fuistis in bonis eorum: pro blasphemia et susurrationibus vestris, pro

<sup>1</sup> Matth. vii, 12. — <sup>2</sup> Marc. ix, 43. — <sup>3</sup> Psal. vi, 6. — <sup>4</sup> Id. eiv, 26.

(1) Cod. male *erant*. — (2) Id. *tanta*. — (3) Id. *justitia*.



somnolentia et voracitate, pro incontinentia et verbositate, pro inani gloria et scurrilitate, pro impudicitia et iracundia vestra.

III. Pro talibus nempe malis et iis similibus ibunt peccatores et impii in ignem æternum<sup>1</sup>; Justi autem pro bonis operibus supradictis et his similibus ibunt in vitam æternam in sæcula sæculorum<sup>2</sup>. Amen.

## SERMO XCII.

### De Tribulationibus et pressuris mundi.

*Hic sermo, qui notatur in Bibl. Venet., Cod. lxx, fol. 46. et eruitur ex Bibl. Laurent., Plut. xii, Cod. xiv, fol. 165 b, totum sapit Augustinum, cujus præ se fert nomen. Locus ejus post præcellentem.*

### SYNOPSIS.

I. Nostra tempora non sunt præteritis pejora. II. Quod exemplis confirmatur. III. Et experientia. IV. Qui sint dies boni.

I. QUOTIESCUMQUE pressuræ seu tribulationis aliquid patimur. admonitiones sunt et simul correctiones nostræ. Nam et ipsæ sanctæ Litteræ nostræ non nobis promittunt pacem, securitatem et quietem, sed tribulationes, pressuras, scandala. Non tacet Evangelium: « Sed qui per- » severaverit usque in finem, hic salvus erit<sup>3</sup>. » Quid enim boni aliquando habuit vita ista ab ipso primo homine,

<sup>1</sup> Matth. xxv, 46. — <sup>2</sup> Ibid. — <sup>3</sup> Id. x, 22.

ex quo meruit mortem, ex quo maledictum accepit; de quo maledicto nos Christus Dominus liberavit. « Non » ergo murmurandum est, fratres, sicut quidam illorum » murmuraverunt, ait Apostolus, et a serpentibus pe- » rierunt<sup>1</sup>. » Quid tale modo, fratres, genus humanum patitur insolitum, quod non patres passi sunt? Aut quando talia patimur, quæ illos passos fuisse cognovimus? Et invenishomines murmurare de temporibus suis. Et quando illa tempora bona fuerunt parentum nostrorum? Quid? si possint revocari ad tempora parentum suorum, et ibi murmurarent. Quæ enim putas tempora bona fuisse præterita? quia jam non tua sunt, ideo bona sunt. Tu (1) jam maledicto liberatus es, tu jam in Dei Filium credidisti, tu jam sacris Litteris vel imbutus, vel eruditus es. Miror quod putes (2) bona tempora habuisse Adam; et parentes tui Adam portaverunt. Certe ille est Adam, cui dictum est: « In sudore vultus tui edes panem tuum, » et operaberis terram de qua sumptus es; spinas et tribulos pariet tibi<sup>2</sup>. » Meruit hoc; hoc (3) accepit; hoc de Dei justo iudicio consecutus est.

II. Quid ergo putas præterita tempora fuisse meliora quam tua? Ab illo Adam usque ad hodiernum Adam labor et sudor, spinæ et tribuli. Excidit nobis diluvium, excidere laboriosa tempora famis atque bellorum, quæ ideo scripta sunt, ne de præsentī tempore contra Deum murmuremus. Excidit tempus aliquid apud patres longe a nostris temporibus remotissimos, quando caput mortui asini tanto auro vendebatur<sup>3</sup>; quando stercus columbinum non parvo argento emebatur<sup>4</sup>; quando mulieres

<sup>1</sup> 1 Cor. x, 10. — <sup>2</sup> Gen. iii, 18, 19. — <sup>3</sup> 4 Reg. vi, 25. — <sup>4</sup> Ibid.

(1) Cod. *si et sic* deinceps. — (2) Id. *computes*. — (3) Deest secundum hoc in cod.

de comedendis infantibus suis pactæ sunt<sup>1</sup>; et cum unus occisus consumptus esset, et alia suum vellet occidere, talis causa ad iudicem venit, ad regem venit, ubi se ipsum reum potius quam iudicem invenit. Et quid sufficit commemorare illius temporis aut bella, aut fames? Quæ illa ergo illa tempora fuerunt! nonne omnes audita, omnes lecta perhorrescimus, ut habeamus potius unde gratulemur, quam unde de nostris temporibus murmuremus?

III. Quando ergo benefuit generi humano? quando non timor? quando non dolor? quando certa felicitas? quando non vera infelicitas? Si non habes, ardes ut acquiras; si habes, times ne perdas; et quod est miserius, in illo ardore et in isto timore sanum te putas. Ducenda est uxor; si mala, erit poena tua; si bona, vae ne forte moriatur! Filii non nati torquent doloribus, nati timoribus. Quam gaudentes facit natus, qui continuo timetur ne plangatur elatus! Ubi erit vita segura? Nonne omnis ista terra quasi navis magna est, portans fluctuantes, periclitantes, tot procellis et tempestatibus subjacentes, timentes naufragium, suspirantes in portum (1), qui jam se intelligunt peregrinari? Ergo qui dies boni, dies incerti, dies prætervolantes, dies ante (2) finiti quam veniant, dies qui ideo veniunt, ut (3) non sint.

III. « Quis est ergo qui vult vitam, et diligit dies videre bonos<sup>2</sup>? » Hic autem nec vita, nec dies boni sunt. Dies (4) enim boni ipsa est æternitas. Dies sunt; sine fine dicti sunt dies. « Habitabo, inquit, in sæculum, » in longitudinem dierum<sup>3</sup>. » Item dictum est: « Quia » melior est in domo tua dies unus super millia<sup>4</sup>; » me-

<sup>1</sup> 4 Reg. vi, 26, et seqq. — <sup>2</sup> Psal. xxx, 13. — <sup>3</sup> Id. xxix, 6. — <sup>4</sup> Id. lxxxiii, 11.

(1) Cod. habet ipso in textu *suspirans in portu*, alias *in portum*, quod evidenter extra textum est ponendum. — (2) Cod. *autem*. — (3) Deest ut in cod. — (4) Cod. *boni*, ut *dies*.

lior unus sine fine. Tale ergo aliquid desideremus ; tale quiddam nobis promittitur usitatis nominibus, inusitatis rebus : « Quis est homo qui vult vitam ? » Quotidie dicitur vita et vita ; sed quid ad illam vitam ? « Et diligit » videre dies bonos. » Quotidie dicuntur et dies boni ; sed si discutiantur, non inveniuntur. Bonum diem duxisti hodie, si amicum tuum invenires ; bonum eum duceres, si stare tecum vellet. Nonne semper homo queritur de amico suo, si eum videat, et prætereat ? Talis ergo est iste dies bonus, qui te videt et præterit. Bonum duxi ; ubi est ? Duc illum ad me. Bonum diem duxi ; quem gaudes ductum, plange transactum. « Quis ergo homo, qui vult » vitam, et diligit videre dies bonos ? » Omnes respondeamus : Ego (1) ; sed post istam vitam, post istos dies. Si ergo differimur, quid nobis dicitur, ut faciamus et perveniamus ad id quod differimur ? Quid ergo faciam in hac vita qualicumque, ut veniam ad vitam et dies bonos ? Quod sequitur in eo Psalmo : « Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum ; declina a malo, » et fac bonum<sup>1</sup>. » Fac ergo quod jubetur, et accipies quod promittitur. Si laboriosum putas, et dejiceris labore operis, erigere splendore mercedis.

<sup>1</sup> Psal. XXXIII, 14, 15.

(1) Vide S. Augustin. Enarrat. in Psal. XXXIII, num. 17, et Serm. XVI, num. 1, et seqq.

## SERMO XCIII.

## De Pœnitentia,

ad quam se omnis Christianus, si post Baptismum deliquerit, pro animæ suæ remedio convertat.

*Hic sermo, qui non adest in Bibl. Laurent. Bandinii, educitur ex Cod. Cass. CLXXIII, fol. 82, cum nomine sancti Augustini. Locus ejus post præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Utinam eadem sollicitudo adhibeatur ad sanandam animam, quam ad curandum corpus! II. Remedium animæ sauciæ pœnitentia et confessio. III. Conclusio.

I. OPTABILE erat, fratres charissimi, continua corporis salute gaudere, et nullis morborum vitiis corrumpi, neque vulneribus sauciari. Nam quantum ad voluntatem sanæ mentis spectat (1), nemo est qui velit aut ferro se obtruncari, aut infirmitate aliqua detineri; et sicut ait Apostolus: « Nemo unquam carnem suam odit, sed nutrit et fovet eam<sup>1</sup>. » Nam (2) si quando contra voluntatem evenerit, ut malo ægritudinis laboretur, aut incurratur in ictum teli, quo non vitalis pars, sed superficies corporis læsa (3) sit, continua sollicitudine omnia remedia conquiruntur, et ligaturis vulnus astringitur, ut illa quæ fuerint ferro abscissa, jungantur; colliguntur

<sup>1</sup> Ephes. v, 29.

(1) Cod. male *expectat*. — (2) Id. *jam*. — (3) Id. *non vitalis partis, sed superficiæ corporis causa sit*.

apta herbarum genera, quæ cum adhibita fuerint, possint mederi; et si quid curæ necessarium est, etiam de peregrinis petendum est. Non parcitur pecuniæ; non tenuitas paupertatis aspicitur. Ipsa vitæ subsidia pro vita impenduntur hominis; et quidquid vilius est sale, causa salutis impenditur; ac mixta cura providetur, ne per dissimulationem multiplicetur (1) infirmitas, et in pejus proficiat causa languentis. Ergo, fratres, non deest sollicitudo, ut, si amissa fuerit, corporis sanitas reparetur, et certe illius corporis quandoque perituri (2), quod pro conditione (3) sua in pulverem redigendum est. Et quamvis illud (4) spes resurrectionis maneat, prius tamen subjacet illi sententiæ: « Terra es (5), et in terram ibis<sup>1</sup>. » Quibus dictis vilitatem (6) ostendit materiæ temporalis, cui et egressum de terra, et regressum (7) in terram dicit futurum. Unde, fratres charissimi, hic affectus rebus inferioribus exhibetur? Inferius est enim corpus animæ dignitate. Nam anima veluti domina corporis, servitio utitur membrorum, et illa ad diversos, quos vult, appetitus sua (8) voluntate compellit. Illa quoque post administrationem subjecti sibi hujus mancipii, etiamsi resolvatur corpus, immortalis manet. Animæ enim conditio longe melior est corpore, cui etiam usu sermonis nostri testimonium perhibemus, cum dicimus plerumque: Propter animæ salutem hæc non vultis (9) operari? Itaque si et ratione, et communi omnium sententia honoris primatus ad animam refertur, quid nos non facere oportet (10), ut integram et illæsum retineat, quod vel

<sup>1</sup> Gen. 1:1, 19.

(1) Cod. *multiplicet*. — (2) Id. *peritura*. — (3) Id. *perditione*. — (4) Id. *quævis eum*. — (5) Hanc versionem reperies in Serm. cccclxix, n. 2; Serm. cccclxii, n. 16, et alibi. — (6) Cod. *utilitatem*. — (7) Id. *egressurum*. — (8) Id. *sui*. — (9) Id. *non veluti*. — (10) Id. *quod nos sole facere*.

a prima, vel a secunda nativitate suscepit, id est (1) vel gratiæ sanctificationem, vel innocentiam naturalem? In horum enim custodia consistit animæ pulchritudo; in his formæ integritas; in his mentis est sanitas; in his species collocatur (2); et sicut in corporibus illa sunt pulchra maxime quæ nullo nævo (3), nulla cicatrice, frædantur, ita anima primæ beatitudinis decore gaudet, si nullis turpetur maculis, nullis peccatorum vulneribus asperetur.

II. Sed quia rara est apud homines ista felicitas, ut perpetuam animæ retineant sanitatem, ut inoffenso gradu vitæ iter peragant, ut (4) nullo involvantur ludibrio, adhibeatur saltem illa recuratio, quæ sauciatis corporibus exhibetur. Admoveatur (5) manus consilii animæ vulneratæ, et perfossam telo peccati, pœnæ medicina suscipiat; jacentemque ægram refoveant fomenta lacrymarum. Non crescat dissimulatione morbus, et noxia securitate geminetur. Non intercيدات desperatio spem sanandi, et volentibus curari (6) ad sanitatem recursum (7), teste Propheta, qui dicit: « Numquid qui cadit non adjiciet ut resurgat, » aut qui aversus fuerit non revertetur<sup>1</sup>? » Nos ergo de stulta verecundia, qua cecidimus, resurgere Deo sectemur, nec jacere infeliciter libeat post ruinam. Non operiantur ulcera amictu pudoris, ne putredine latius irrepente (8), ad ipsa vitalia veniatur. Relevet spes (9) mendendi ea quæ verecundia contegebat; quanquam stulta est ista contectio, cum oculos (10) ejus non possit effugere,

<sup>1</sup> Psal. XL, 9.

(1) Cod. *idem*. — (2) Sic opinando correximus. Cod. habet absque sensu: *In his doceris ex sanitate venit species collocatus*. — (3) Cod. *nulla nova*. — (4) Id. *quod*. — (5) Id. *amovetur*. — (6) Id. *curandi*. — (7) Id. *recursum*. — (8) Id. *repente*. — (9) Id. *revelat*. — (10) Id. *oculis*.

cujus solius est notitia formidanda. Quid juvat hominibus abscondi, quod Dei conscientia continetur? Quod novit iudex, quid prodest si ab aliis ignoretur? Ipse est iudex de quo in Psalmo canitur: «Scrutans corda et renes Deus<sup>1</sup>.» Et ab Apostolo de eo dicitur: «Quia sit discretor cogitationum et intentionum cordis<sup>2</sup>;» et quod «Nulla creatura sit invisibilis in conspectu ejus; omnia enim nuda et patentia sunt in oculis ejus<sup>3</sup>.» Quid ergo miserabilis error latere se credit, cum ab hominibus abscondit peccatum suum, cum ita Dei oculis operire non possit? Perniciosius, fratres, cum anima agit, qui (1) suum aut non vult prodere, aut studet occultare delictum. Non potest sanari, qui testibus vulneribus optat saluum videri; illi vero proximus reditus (2) est ad salutem, qui abjicit inutilem pudorem, et currit ad medicum, et dicit: «Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum;» sana animam meam, quoniam peccavi tibi<sup>4</sup>;» qui revelat pudeunda operum suorum, et in hac voce publicationis erumpit: «Delictum meum cognitum tibi feci, et iniquitatem meam non abscondi. Confitebor adversus me injustitiam meam, Domine, et tu remisisti impietatem peccati mei<sup>5</sup>.» Videte, charissimi, quis fructus confessionem (3) peccati, quæ utilitas consequatur. Dixit: «Confitebor adversus me injustitiam meam Domino;» et quid statim secutus est? «Tu remisisti impietatem peccati mei.» Quam velox medicina! quam non tarda curatio! Ostendit vulnus medico, et confestim sanitatem recipit; indicat quod dolebat, et fugatur continuo vis doloris; ad vocem emissam confitentis, indulgentia non moratur. Quis talem medicum despiciat, qui sine ulla

<sup>1</sup> Psal. vii. 10. — <sup>2</sup> Hebr. iv. 12. — <sup>3</sup> Ibid. 13. — <sup>4</sup> Psal. vi. 3. — <sup>5</sup> Id. xxxi. 5.

(1) Cod. agitur quæ. — (2) Id. redditus. — (3) Id. confessionum



mora « Sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum <sup>1</sup>; » qui nullum præterdit fastidium, nec ad qua accedentem ad se curationis difficultate deterret, sed ultro invitans, dicit per Isaiam prophetam : « Ego sum qui deleo injustitias tuas, et non recordabor <sup>2</sup>. » Tu autem recordare : « Dic tu injustitias tuas prius, ut justificeris <sup>3</sup>. » O mira Domini bonitas ! o mira elementia ! Non pœnam post confessionem peccati, sed justificationem secuturam promittit. « Dic, inquit, injustitias tuas prius, ut justificeris. » Quod merentur boni opere sanctitatis, hoc, inquit, confertur tibi per pœnitentiam peccatorum.

III. Amplectamur ergo, charissimi, tantam benignitatem invitantis nos medici, nec erubescamus errorum nostrorum vulnera denudare, ut sanitatem recipere possimus, ut non dissimulatis, in longum protractis moribus, morbis (1), incipiamus ad mortis periculum pervenire, a quo nos liberare dignetur ille qui dixit : « Nolo mortem peccatoris; tantum convertatur et vivat <sup>4</sup>; » cui est potestas omnis carnis. Ipsi gloria, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Psal. cxlvi, 3. — <sup>2</sup> Isai, xliii, 25. — <sup>3</sup> Ibid. 26. — <sup>4</sup> Ezech. xxxiii, 11.

(1) Cod. *dissimulatos... morbos.*

## SERMO XCIV.

## De Confessione.

*Legitur hic sermo in Bibl. Laurent., Plut. XII, col. XV, fol. 245 b, cum nomine sancti Augustini, nihilque occurrit, quod illum abjicere cogat. Hinc locus ejus post precedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Deus misericordiam impertiri volens hominibus, eos ad conversionem exhortatur, sed non auditur. II. Exhortatio ad relinquendam sæculi transeuntis vitam. III. Pœnitentiæ et conversionis excellentia demonstratur exemplo Jonæ et Ninivitarum. IV. Pœnitentiæ amplectenda, ut simus digni meritorum Christi passi pro nobis.

I. OMNIPOTENTIS Dei misericordia ab humano genere non deerit, si præceptis ejus mente credula obedierit. Donabit nobis Deus cito peccatum, si nos habeamus confitendi cor paratum. Cupit Deus semper delicti esse donator; sed non se sentiat (*sic*) malis operibus peccator. Clamat Deus prophético carmine: « Ecce convertar ad vos, » si veniatis ad me<sup>1</sup>. » Misit præcones, et contemnuntur; hortatur ad se peccatores, et non convertuntur. Veniat dies judicii, ut petant et non audiantur. Dominus dicit: « Redite a malitiis vestris<sup>2</sup>; » illi dicunt: Permanebimus in nequitiiis nostris. Jam utpote contemptores, reservantur judicio mortis. Dicat utique aliquis nostrum Domino:

<sup>1</sup> Zach. 1, 3. — <sup>2</sup> Ibid. 4.

« Peccavi<sup>1</sup>, » quia et ipse statim dicit : Ignovi. Consuetudine bonitate vult Dominus delinquentibus veniam tribuere; sed consuetudine iniquitate paratus est reus indulgentiam recusare.

II. Fons pietatis vivere volentibus patet. Fratres mei, vivamus, et bene vivamus; ista enim vita temporalis est, futura ab eo æternalis est. Sed vos istam vitam amare videmini, nihil aliud nisi ut Salomonis dicta sequamini: « Feci, inquit, mihi cantores et cantatrices, vini fusores et vini fusitricas<sup>2</sup>, » et cætera; « et nihil melius inveni, nisi quod manducavi et bibi<sup>3</sup>. » Hunc libenter amplecteris; quod postea loquitur, quare non sequeris? Quod enim sequitur: « Nihil melius inveni nisi quod manducavi et bibi, Et hoc, inquit, vanitas vanitatum<sup>4</sup>; » et vere, quia vanitas est. Vivere enim et bene agere, hoc est vivere; nam vivere et non bene agere, non est jam vivere. Ita hoc ipsum modicum vivamus, ut migrantes multum vivamus. In hac enim terra peregrini sumus; veniet dies ut hinc ambulemus; et suspirasti quasi nescias unde huc venisti. Caro tua mutuata est mundum, et anima tua carnem accepit domicilium. Caro enim propago est mundi, et anima advena est carni. Suscipit terra carnem tuam; suscipit cœlum animam tuam; quia « Quod natum est de terra caro est, et quod natum est de cœlo spiritus est<sup>5</sup>. » Caro de terra est, et in terram ibit; spiritus de cœlo venit; absolutus iterum in cœlum (1) migrabit. Sed durus sermo est migrare; et ubi vadis migrare? De mundo in cœlum. Si ignotæ majoris personæ domum (2) ingredi metus est, cœlestes transgrediendi (3)

<sup>1</sup> 2 Reg. XII, 13. — <sup>2</sup> Eccle. II, 8. — <sup>3</sup> Id. VIII, 15. — <sup>4</sup> Id. I, 2. — <sup>5</sup> Joan. III, 6.

(1) Cod. *in cœlo*, et sic postea. — (2) Id. *domum*. — (3) Id. *transgredere*.

scalas quæ facultas est? Et si terrenis in judiciis bene sibi conscii voces et officia timent judicis (1), quid facient (2) peccatores, quos Angelorum tantum terrent aspectus?

III. Ut arbitror, fratres mei, non indissonanter de hac re proposui comparisonem, sed si expavit timendo cor nostrum, festinet orando os nostrum; et quod diuturno commisit ignorantia, in momentum perdeleat pœnitentia. Credite mihi, fratres, siquidem non mihi creditis, sed Domini præcepto creditis, quod audistis. Ninivitarum populus vivebat (3) quidem, sed non bene. Unde a Domino (4) Jonæ prophetæ dictum est: «Vade» ad civitatem magnam, et prædica in eam, quia ascendit clamor malitiæ eorum ad me<sup>1</sup>. » Missus est veluti humilis prædicator, et inventus est velut immanis contemptor. Ninive mittitur, et Tharsis invenitur. Contempsit Dominum et fugit ad navem, quasi Deus in mare non haberet potestatem. Fugitivus vero dormiens, utpote securus stertebat. Jactum fecerunt omnium vasorum, quæ in navi erant, et se miseri nautæ perituros lugebant. Surge, inquit, sciamus cujus beneficio (5) mala patimur. Sorte publicatus non negavit; sed suæ culpæ ipse sibi sententiam firmavit. «Tollite, inquit, et mittite me» in mare, et sedabitur tempestas a vobis<sup>2</sup>. » Prophetam desursum nauta (6) projecit, et cetus eum deorsum excepit. Piscem habuit in aqua tumulum, quem imputribilem custodivit in triduum. Ita ut suscepit integrum, ita rejecit illæsum. Tunc Jonas quod primo contemnendo non fecit, postea audiendo perfecit. Deinde populus et civitas agebat pœnitentiam cum lacrymis, et Jonas de longinquo expectabat interitum civitatis. Ignem missum

<sup>1</sup> Jon. 1, 2. — <sup>2</sup> Ibid. 12.

(1) Cod. *terreat habitus*. — (2) Id. *faciunt*. — (3) Id. *vivebant*. — (4) Id. *docendo Dominum*. — (5) Id. *beneficii*. — (6) *Deest nauta in cod.*

ad combustionem Ninivitarum magnitudo extinxit lacrymarum. Deus populis delicta donavit, et Jonas statim mente doluit (1) : Sciebam, inquit, Domine, quod cito misereris; propterea dimittens fugeram in Tharsis. Contristavit animum ejus modica fatigatio, et non est gavisus quia mutata est magna damnatio. Unde rediens cito dormiit, quod vidit cucurbitam magnam multiplici frondositate contextam, quæ etiam sole urente æstus (2) impetum ab eo repellebat; quam Dominus sicut nasci jussit antea, sic arescere fecit postea. Subito convaluit, et subito non paruit (3). Non erat necessitas, ut cucurbita nasceretur, nisi quia Dominus veniam promisit peccatoribus, ut converterentur (4). Sed ais mihi : Unde doces ista? Lege ipsum Jonam, et invenies cucurbitam plangentem; et cum secutus fueris, invenies Deum civitati parcentem. « Jona, inquit Dominus, tu doles super » cucurbitam, in qua non laborasti, quam neque plantasti, quæ sub una nocte nata est, et sub nocte periiit; » ego autem non parcam Niive civitati magnæ, in qua » sunt plus quam centum viginti millia hominum<sup>1</sup>? »

IV. Fratres mei, unum Ignosce multos liberat a morte. Sunt plures, imo quin (5) et innumerosi, qui utuntur perfidia loquacitatis : « Manducemus et bibamus<sup>2</sup>, » quoniam hoc nobiscum portamus; nam sepulti nec vitam nec pœnam sentimus. Non sentis quidem pœnam, si convertaris ad veniam. Ante passionem Domini tui, non vidisti lamentationem patris tui? nescis prorsus, quoniam si Jesus Christus non veniret, Adam in inferno periret? Homo propterea Jesus Christus venit; contempsit se propter te, ut inveniret te. Primo ignorans peccaveras,

<sup>1</sup> Job, iv, 10, 11. — <sup>2</sup> Isaï. xxii, 13.

(1) Cod. mentem donavit. — (2) Id. æstuatus. — (3) Id. paravit. — (4) Id. converteretur. — (5) Id. quia. Legendum videtur quin imo.

et sanguine suo te mundavit; si admonitus iterum deliqueris, iudicio suo te damnabit (1). Ergo, fratres mei, in iis omnibus obediamus præceptis ejus, ut participes inveniamur promisso (2) præmio ejus. Amen.

---

SERMO XCV.

De Reconciliandis pœnitentibus I.

*Sermo iste et duo sequentes leguntur sub nomine sancti Augustini in Cod. Cass. CLXXIII, fol. 61 a tergo. Pulcherrimas continent et optime concinnatas sententias, quas non siue voluptate percurreret lector. Allocutiones sunt presbyteri pœnitentes Episcopo offerentis, ac proinde huic tempori conveniunt, cum sanctus Augustinus coram Valerio prædicare consueverat. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Pœnitentiæ vis. II. Precatio ad episcopum ut suscipiat pœnitentes. III. Ejusdem sequentia. IV. Conclusio.

I. IRREPARABILIS esset humana fragilitas, morsu peccati, tanquam serpentis ore, venenata, nisi pœnitentiæ medicina succurreret, et misericordiam Dei confessionis humilitas impetraret. Sicut autem in corpore putredinem vulneris medicinale ferrum exsecat, sic animam iniquitate sauciatam, pœnitentiæ recreat cruciatus, dolor magno-

(1) Ccd. *damnabit*. — (2) Id. *promissio*.

rum dolorum amputator (1), et tribulatio salubris, et brevis amaritudo æternam dulcedinem comparans, pœna liberans a pœnis, et cura mater securitatis. Noluit enim Deus misericors mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat<sup>1</sup>; et rursus noluit iudex justus impunitum esse peccatum. Punit ergo se poenitens, et Dei prævenit manum, ut subventura veniat, quæ damnatura veniebat. Qui conterendo spiritum suum in luctu et gemitu, dolore ac lacrymis, de se has peccatorum suorum exigit pœnas, Deo iudici quod exigat non relinquit, et patri quod donet exponit (2). Hinc jam incipit operari justitiam, quia se odit primitus peccatorem. Consentit Deo, dum talis sibi displicet, qualis et illi displicet. Et quam parum est, quod sibi ingerit tormentorum! sibi irascitur, seque ipsum excruciat poenitendo. Hoc enim quid est, quantum est, si æternis ignibus comparetur? Tantum tamen valet in tempore opportuno, ante quam veniat dies iræ et revelationis justi iudicii Dei, si peccator sibi ipsi irascatur, si se ipsum doloribus poenitentiae, tanquam in catasta conscientiae confixus, excruciet, ut non solum Deus talibus nulla indignatione succenseat, sed etiam gaudeat amplius de uno poenitente, quam de nonaginta novem justis, quibus non est opus poenitentia<sup>2</sup>. Tanto enim clementius poenitentium reatum relaxat, quanto patientius damnationem peccantium differebat. Nam propterea « Facit solem suum oriri super bonos et » malos, et pluit super justos et injustos<sup>3</sup>, » ut dum bonis non deficit miserando, mali erubescant perseverare peccando.

II. Proinde, venerabilis Papa, ecce non solum in

<sup>1</sup> Ezech xxxiii, 12. — <sup>2</sup> Matth. xviii, 13. — <sup>3</sup> Id. v, 45.

(1) *Coel. male amputatur.* — (2) *Id. opponit.*

conspectu Domini Dei sui, sed etiam ante tuos oculos prosternuntur, quos patientia illius ad pœnitentiam vocabat. Nec aversi thesaurizant iram, sed conversi possunt misericordiam. Ecce jam petunt, quærunt, pulsant. Gratia plenus es, præsta pœnitentibus; lumine splendens, refulge quærentibus; claves habens, aperi pulsantibus. Moveant in te pastoralia viscera oves sanguine agni redemptæ, et occulto illius adjutorio a luporum dentibus erutæ. Ostendentes tibi vulnera sua, et ferinis morsibus cruentatas (1) conscientias renudantes intende et suscipe. Jam plagas suas non differunt prodere; noli differre diligentiam medicinæ. Hi sunt quibus in Ecclesia stantibus, tanquam in Paradiso constitutis, vetustus ille inimicus invidit. Ille pectore et ventre serpens, iterum incautis illapsus est, iterum fefellit, iterum captivavit. Sed et hi tandem respicientes et reformidantes antiquæ damnationis exemplum, non a facie Dei refugiunt, non se umbraculo excusationis occultant, non inani defensione verborum, tanquam infructuoso velamento foliorum<sup>1</sup>, contegunt pudenda commissa, sed discindunt coram illo corda sua, effundunt animas suas, nec fugiunt timore, sed redeunt, et per intercessionem tuam Domino suo reddi desiderant. Tergantur eorum oculi a lacrymis, pedes colligantur a lapsu. Occurre revertentibus de longinquo. Habitat quippe in te, qui hoc fecit minori filio, cujus luxuriam, peregrinationis labor et egestas miserabilis subsecuta est<sup>2</sup>. Epulentur et isti de vitulo saginato; audiant, quia mortui erant et revixerunt; perierant, et inventi sunt<sup>3</sup>. Moveant te pro eis fraterni fletus, et circumstantium gemitus, non pro suis, sed pro aliis

<sup>1</sup> Gen. iii, 7. — <sup>2</sup> Luc. xv, 11, et seqq. — <sup>3</sup> Ibid. 24,

(1) Cod. cruentas.



nis peccatis; nec penitus alienis, quia in uno corpore et sub uno capite patientibus quibusdam membris compatiuntur. In spiritu enim lenitatis intendunt, ne et ipsi tententur. Nam quomodo non debent flere pro fratribus lapsis atque conversis, quos orare Christus docuit etiam pro inimicis.

III. Horum tu omnium gemitus adjuva, additis tuis, et merita tua longe majora, tanquam canos mentis tuæ, prosterne pro filiis tuis ante faciem Dei tui. Hac humilitate altior eris, hoc dolore lætaberis, hac servitute regnabis. Bonus es odor Christi; admoto igne pietatis, ad propitiandum Deum flagra. Pro miseris, misericordia plenum pectus in aram charitatis impone. Sede apostolica sublimatus es; hi jacent lapsu, descende tu affectu. Imitare Patrem, cujus voluntas est, ut non pereat unus de pusillis istis<sup>1</sup>. » Imitare Filium, qui, cum in forma Dei esset, formam servi accepit<sup>2</sup>, veniens ministrare, non ministrari<sup>3</sup>. Imitare Spiritum sanctum, qui secundum Deum interpellat pro Sanctis<sup>4</sup>. Ipse enim et te pro istis excitat supplicare, per quem charitas in tuo corde diffusa est. Offer reconciliandos redeuntes, quos revocabas errantes; ora pro inventis, quos perditos inquirebas. Refugiendo veram vitam, in peccatis suis, portis appropinquaverunt inferorum, qui (1) non vincunt cujus cathedram tenes. Lazarum Dominus lapidea sepulcri mole coopertum, et quadriduano cadavere jam foetentem excitavit a mortuis, et magna voce produxit e tumultu<sup>5</sup>. At ille jam quidem, jam vivus, sed adhuc funereis vinculis alligatus, nondum viventium consortio reddebatur:

<sup>1</sup> Matth. xviii, 14. — <sup>2</sup> Philip. ii, 6, 7. — <sup>3</sup> Matth. xx, 28. — <sup>4</sup> Rom viii, 34. — <sup>5</sup> Joan. xi, 1, et seqq.

(1) Cod. *quam*.

« Solvite illum , inquit , et sinite ire <sup>1</sup> ; » ut divinum beneficium humano ministerio compleretur (1). Similiter et isti , in morte peccatorum suorum , sub duro pondere desperationis jacebant , et foetida morum corruptione putruerant. Jam Dei virtute vivificati , de tenebris suis confitendo procedunt ; sed adhuc reatùs obligatione involuti , a Sanctorum societate sejuncti sunt. Ab illo resuscitantur , sed tibi solvendi offeruntur , maxime quia in Apostoli throno sedes , cui dictum est : « Quæ solveris in terra , » soluta erunt et in cœlo <sup>2</sup>. » Viscera tua , sanctitatis et misericordiæ plena , nostris non indigent vocibus , et quod pro istis rogo , non tam mea deprecatione , quam tua paterne dilectione factum est (2). Nec tamen hoc quod exhibemus officium superflue deputabitur , quando hæc verba nostra istis efficiunt Dei munera chariora , cum per nos audiunt quid per tua merita consequantur. Nam et Pater qui est in cœlis scit quid nobis necessarium sit , priusquam petamus ab eo <sup>3</sup> ; et tamen ut petamus hortatur , petentibusque largitur , ut amplius filii diligant Patrem . quem petendo senserint dantem , ne si omnia priusquam petant , acceperint , debita (3) sibi existiment non donata.

IV. Persolvi ergo officium meum qualicumque sermone . etsi vix digno tuis paternis auribus ; serviendo tamen istorum fraternis vulneribus. Restat ut ipse jam facias , quod pastoralis sollicitudine universo gregi debes . et confessioni jacentium . et mœrori stantium , et voci deprecantium , ut ipse Dominus Deus noster faciat quod promisit , accipiat pro sacrificio contribulatum spiritum istorum ; cor eorum contritum et humiliatum non sper-

<sup>1</sup> Jean xi, 44. et seqq. — <sup>2</sup> Matth. xvii, 18. — <sup>3</sup> Id. vi, 8.

(1) Vide Sermon. lxxvii, num 2, 3. — (2) Cod. *factus es*. — (3) Id. *nota*.

SERMO XCVI, DE RECONDILIANDIS PŒNITENTIBUS II. 121  
nat<sup>1</sup>; gementes suppliciter, exaudiat misericorditer;  
emendatis in præsentī, parcat in futuro; solutos in terra,  
solvat in cœlo.

---

## SERMO XCVI.

### De Reconciliandis pœnitentibus II.

*Locus ejus post præcedentem, cum numero de Reconciliandis pœnitentibus II.*

#### SYNOPSIS.

I. Argumenta evolvuntur, quibus Episcopus ad dandam veniam compellatur. II. Decepti a diabolo pœnitentiam confitendo exposcunt. III. Preces et gemitus justorum pro peccatoribus.

I. « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies » salutis<sup>2</sup>; » moveant te lacrymæ pœnitentium, sancte Papa, et indulgentiam desiderantium per te, ab illo qui habitat in te. Ad illum quippe veniunt, et prosternuntur, et plorant ante Dominum qui eos fecit, ut deleat quod fecerunt, et reficiat ipse quos fecit. Avertat faciem suam a peccatis eorum, non avertat ab eis. Non sit vultus ejus super eos mala facientes, ut perdat de terra memoriam (1) eorum<sup>3</sup>; sed oculi ejus super pœnitentes ac sitientes, et aures ejus ad preces eorum<sup>4</sup>. Per corpus pec-

<sup>1</sup> Psal. v, 19. — <sup>2</sup> 2 Cor. vi, 2. — <sup>3</sup> Psal. xxxiii, 17. — <sup>4</sup> Ibid. 16.

(1) Cod. *memoria*.

carunt, corpus affligunt. De sua malitia exegerunt pœnam, de Dei misericordia exigunt veniam. Ut illum propitientur, irascuntur sibi; et ne puniat ille, se puniunt. Offerunt ei sacrificium, spiritum contribulatum, ut cor contritum et humiliatum non spernat<sup>1</sup>, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam<sup>2</sup>. Baptismus eos fecerat novos, sanet pœnitentia vulneratos. Non servaverunt quod professi sunt, non eis reservetur quod confessi sunt. Non exegerunt vindictæ debitum, non expendant; misericordiam præbuerunt, misericordiam mereantur; dimiserunt, dimittatur eis; dederunt, detur eis. Mali terreni moles, qua in tenebris conscientiae premebantur, voce Christi disrupta est; tanquam de sepulcro in hanc lucem, confitendo prodeunt. Solve illos, et sine ire. Habes enim claves, quibus quidquid in terra solveris, solvatur in cœlo<sup>3</sup>. Regnanti servierunt eorum membra peccato, nunc victrici justitiæ redduntur. Oculi quos illecebræ deceperant delictorum, nunc lacrymas fundunt. Aures quæ libenter patuerunt illicitis vocibus, nunc pro se silentium gemitu feriuntur. Lingua quæ perversa libertate superbiens gloriabatur, nunc humiliata deprecatur. Manus operatæ nequiter, quærant supplices medicinam. Pedes qui cucurrere ad nefas, mutato jam itinere, quo venerint cernimus; totumque corpus obnoxium prius iniquitatibus, nunc prostratum videmus in fletibus. His exterioribus motibus, interius Christus victor apparet. Crucietur hostis expulsus. Fortior vasa fortis eripuit<sup>4</sup>, qui ligato illo, solvi quos ceperat, imperavit. Dolor est in confessione pœnitentium, sed prope est Dominus his qui obtriverunt cor. Dolor iste medicinalis est, non pœ-

<sup>1</sup> Psal. 1, 19. — <sup>2</sup> Jacob. IV, 6. — <sup>3</sup> Matth. XVIII, 18. — <sup>4</sup> Id. 24, 29.

nalis (1). Medici enim desiderabat manus, cujus illa vox est: «Ure renes meos et cor meum<sup>1</sup>. » Dolor iste putredini adversus est, non saluti. Non vult enim Deus mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat<sup>2</sup>. » Nec benevalentibus opus est medicus, sed ægrotis<sup>3</sup>. Quoniam ille non venit vocare justos, sed peccatores in poenitentiam<sup>4</sup>; non ut peccatores se esse lætentur, sed magis lugendo, peccata fateantur. Oderint in se quod odit et Deus, ut ab eo salvi facti, oculisejus placere mereantur. Sicut enim medicus non optat, sed curat ægrotum, sic Christus sanator est peccatorum, non amator. Poenitentia est ergo peccatorum vindex, ut vindicta vitetur, et a poenis liberans poena; iudicium præveniens iudicem, et cruciatus propitiusscogitorem; pronuntians adversus hominem quod fiat pro homine, et reum, ne damnetur, accusans.

II. Ille hostis antiquus amplius istis jam redemptis, quam illi nondum captivato primo homini, invidit. Astutiores in Ecclesia dolos, quam in Paradiso machinatus est. Ibi enim, ut facilius deciperet, nondum ruinæ hominis processerat quod caveretur exemplum, et mors inexperta, cito credita est non futura. Nunc vero, cum post illius lapsum, omnes ex illo ad mortem carnis nati fuerimus, etiam mortem spiritus denno noxius serpens, ut seduceret, incredibilem fecit, et ausus est iterum dicere: Si contra præceptum feceris, non morte morieris<sup>5</sup>. Ille homicida ab initio<sup>6</sup>, talia iterum dixit; iterum est creditus; iterum percussit; iterum peccantes dejecit in mortem, pro quorum peccatis jam Christus vicit et

<sup>1</sup> Psal. xxy, 2. — <sup>2</sup> Ezech. xxxiii, 2. — <sup>3</sup> Matth. ix, 12. — <sup>4</sup> ibid. 13. — <sup>5</sup> Gen. iii, 4. — <sup>6</sup> Ioan. viii, 44.

(1) Vide Augusti, Enarrat. in Psal. cii, n. 5.

mortem. Sed etiam isti prudentiori remedio revirescunt, non excusando, sed accusando commissa. Neque enim fugiunt Deum, nec sterilibus verbis tanquam sylvisse (1) operiunt, sed fructuosis lacrymis aperiunt quod fecerunt, objicientes sibi ipsi crimina sua. Criminaturum inimicum præveniendò superant, non negando. Deus enim misericors mavult, interpellante (2) Christo, liberare confessos, quam, oppugnante diabolo, punire convictos (3). Audiunt enim et faciunt quod Propheta dixit: « Confitemini Domino, quoniam bonus est <sup>1</sup>. » Ad hoc quippe pertimescunt homines judici homini confiteri, quia ibi confessionem damnatio consequetur; apud bonitatem autem Dei, ubi occultando negari nihil potest, totum potest confitendo purgari. Insiste in eis apud eum qui habitat in te, ut propitius fiat omnibus iniquitatibus eorum. Sanet omnes languores eorum; redimat de corruptione vitam eorum; erigat elisos, solvat compeditos, justificet injustos <sup>2</sup>, ut diligat justos. Intercedat patrifamilias, qui sterilem arborem eradicare comminabatur. Non enim frustra excommunicando humilitatis fossam circumdedisti, ac sordes lugubres, sed tamen fertiles, tanquam cophinum stercoris adhibuisti (4). Gratulaberis in eis de fructu laboris tui, et de tua intercessione lætaberis.

III. Multa pro eis sacrificia, tot etiam circumstantium fratrum contribulati spiritus offeruntur, et pro baptismo, cujus fidem non servaverunt, multæ funduntur lacrymæ proximorum. « Qui enim stant, caveant ne cadant <sup>3</sup>. » Consociant illi mœrorem suum vulneribus istorum, ut sibi consocietur sanitas eorum. Illi inclinantur, ut erigant,

<sup>1</sup> Psal. cxxvii, 1. — <sup>2</sup> Id. cxxlv, 3. — <sup>3</sup> 1 Cor. x, 12.

(1) Deest *se* in cod. — (2) Cod. *interpellando*. — (3) Id. *convinctos*. — (4) Vide August. Serm. lxxii, 3.

quia isti prosternuntur, ut surgant. In omnibus Deus operatur, quoniam Deus charitas est. Omnium ergo te charitas moveat, quæ in te honoratius habitat, ut tuo interventu, et istorum pro suis, et illorum pro fratrum delictis, preces et fletus exaudiantur a Domino, ut sit omnium communis salus, quorum in communi delicto communis est gemitus; atque in societate corporis Christi, sit omnium gaudium post dolorem, quorum non omnium vulnus, sed omnium dolor est propter individuam charitatem; per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

---

SERMO XCVII.

De Reconciliandis pœnitentibus III.

*Locus ejus post præcedentem cum numero de Reconciliandis Pœnitentibus III.*

SYNOPSIS.

I. Pœnitentes adsunt gementes. II. Petitur Episcopi misericordia, quæ omnium lacrymis moveri debet. III. Pœnitentiæ et confessionis efficacia. IV. Allocutio ad pœnitentes. V. Et ad Episcopum.

I. APOSTOLICUM pectus venerabilis sacerdotis, secundum misericordiæ domicilium, orari pro se desiderans, orat pro strata turba miserorum. Hanc tibi, beatissime Papa, gloriosam, redemptam, tanquam speculam pastorem, Sanctus sanctorum, et Pastor pastorum Re-

demptor captivorum, inventor perditorum, sanator aegrotorum. de sua cœlesti sede concessit, non alta sapienti, sed humilibus consentienti<sup>1</sup>; non morbos omnium fastidienti, sed male (1) languidis paterna charitate servienti non ad jactantiam, sed ad medicinam; non ministrari, sed ministrare cupienti (2); non a quibus orari te delecteris, sed pro quibus orans exaudiri merearis. Intercessionem pro his apud te solemniter facio, loquens volenti, non extorquens neganti. Quos commendo sermone, prævenis pietate. Pro quibus nunc ad te (3) sonat os meum, pro his (4) cor tuum clamat ad Dominum. Adsunt squalescentes. gementes. tanquam remota mole duritiæ, ab occultis suis, velut de sepulcro mortis, in manifestationem satisfactionis prodeuntes, sicut de Lazaro Dominus ait: « Solve illum et sine ire<sup>2</sup>. » Illius quippe magna voce commoti, noluerunt se peccatores defendendo interire, sed reviviscere (5) confitendo; ut de tenebris (6) mortuæ conscientiæ, reddita spei luce, procederent. Proinde vincula quibus ligata sunt detrahe, quoniam quæ solveris in terra, soluta erunt in cœlo<sup>3</sup>, quo non audebat oculos levare ille peccator, qui percutiebat pectus suam dicens: « Domine, propitius esto mihi peccatori<sup>4</sup>. » Quomodo enim levaret oculos fidens (7), ubi nodos sui reatûs agnosceret? Et tamen descendit de templo justificatus, magis quam ille Pharisæus<sup>5</sup>, merito humilitatis, non æquitatis suæ; et qui in templo Domini de longinquo stabat, ei potius ipse Dominus propinquabat. « Nos,

<sup>1</sup> Rom. XI, 16. — <sup>2</sup> Joan. XI, 44. — <sup>3</sup> Matth. XVIII, 18. — <sup>4</sup> Luc. XVIII, 13. — <sup>5</sup> Ibid. 14.

(1) Cod. sano. — (2) Deest cupienti in cod. — (3) Cod. male non a te. — (4) Id. male addit quibus. — (5) Cod. reviviscere. — (6) Id. male addit et. — (7) Cod. fideret, et prius quo pro quomodo. Forte legendum quomodo enim levare oculos fideret?



» inquit Apostolus , templa Dei vivi sumus<sup>1</sup>. » Et si hoc de omnibus bonis fidelibus verum est, quanto magis de te, qui regendis fidelibus præsidet, in eo præsertim loco (1), ubi præsedet ille cui dictum est : « Tibi dabo claves regni » cœlorum<sup>2</sup>. »

II. Adsunt ergo isti in templo Dei , id est , in Ecclesia Dei , de longinquo prostrati , desiderantes petere reconciliari Deo in corpore et sanguine Jesu Christi. Exaudiat eos de corde tuo , de templo sancto suo<sup>3</sup>. Afferunt ei sacrificia , non adipem arietum , nec carnes taurorum , nec multitudines caprorum pinguium , nec primogenita sua , fructus (2) ventris sui , pro peccato animæ suæ , sed spiritum contribulatum , cor contritum et humiliatum<sup>4</sup>, quod non spernit. Hoc impone , Sacerdos bone , pro eis in ara mentis tuæ , quam superna flamma sanctæ dilectionis accendit , et da pro illis Domino odorem suavitatis de visceribus charitatis. Laboraverunt in gemitu suo ; laverunt per noctes lectum suum ; lacrymis stratum suum rigaverunt<sup>5</sup> ; et nunc istam terram rigant . sociasque habent lacrymas eorum , cum quibus societatem non habent delictorum. Circumstant oculis tuis , isti pro sua , illi pro fraterna salute solliciti , non utrique confidentes , sed utrique plangentes. Quod enim membrum contineat unitas corporis , et non compatiatur alteri membro patienti , condoleat dolenti , consulat periclitanti , subveniat laboranti ? « Qui enim se putat stare , » videat ne cadat<sup>6</sup> ; « et intendat seipsum , ne et ipse tentetur<sup>7</sup> ; ut alter alterius onera portantem<sup>8</sup> , impleant legem Christi , qui peccata non fecit<sup>9</sup> , peccatores vocavit , pro

<sup>1</sup> 2 Cor. vi, 16. — <sup>2</sup> Matth. xvi, 19. — <sup>3</sup> Psal. xvii, 7. — <sup>4</sup> Id. i, 19. — <sup>5</sup> Ibid. vi, 7. — <sup>6</sup> 1 Cor. x, 12. — <sup>7</sup> Galat. vi, 1. — <sup>8</sup> Ibid. 2. — <sup>9</sup> 1 Petr. ii, 22.

(1) Hæc insinuare viderentur pontificem Romanum. — (2) Cod. *fructu*.

peccantibus oravit, peccata donavit. In ejus corpore membra sunt ista, illa jacent; alia jacentibus adhærent, alia, ut erigantur, sternuntur. Quis sapiens, cum homo sit, hominem cadere videat, et se stare superbiat? Non est in his et illis communis iniquitas; sed est communis infirmitas. Omnes petunt, ut hi accipiant; omnes pulsant, ut his aperiatur; omnes dolent, cum isti affliguntur; omnes gaudebunt, cum isti sanabuntur.

III. Occultus ille hostis cum Angelis suis, in istorum erectione torqueatur, sicut in elisione lætatus est; cui quidem isti consenserunt ut delinquerent, sed non consenserunt, ut cadentes etiam superbirent; consenserunt ut vulnerarentur, sed non consenserunt ut medicinæ reluctarentur; consenserunt ut a<sup>(1)</sup> Domino suo fugerent, sed non consenserunt ut ad Dominum non redirent. Proinde quem non vicerunt per continentiam, vicerunt per poenitentiam; qua sola inimicus, etiam cum vicerit, vincitur; qua sola accusator non a negantibus, sed a confitentibus superatur. Poenitentia est quæ dolorem doloribus eripit, et evadit vindicando vindictam. In se enim quisque vindicat, qui se ipsum cruciat poenitendo, ut non jam vindicem judicem<sup>(2)</sup>, sed patrem receptorem Deum reperire mereatur. Sic enim peccati sui ultor quodam modo fuit, atque in se ipsum asperam sententiam pertulit ille, qui rediens de longinquo dixit patri: « Jam » non sum dignus vocari filius tuus<sup>1</sup>. » Atque hoc eum pater filii honore præstitit dignum, quod se ipse filii nomine judicavit indignum. Tormentum cordis est poenitentia, sed parvo tempore extinguit æterna tormenta. O ineffabilis benignitas Dei, ut qui cum negando fallere non potest, propitiatur confitendo! Cui peccatum non

<sup>1</sup> Luc. xv, 19.

(1) Deest a in cod. — (2) Cod. *judicet*. — (3) Id. *quo*.

occultatur si taceatur, ab eo tamen remittitur, si dicatur! Quoniam non quisque Deum docet indicando quod fecit, sed quoniam non parum propinquare conatur illi, cui in se displicet, quod et illi. « Dixi, inquit, proloquar » adversum me delictum meum Domino meo, et tu remisisti impietatem cordis mei<sup>1</sup>. » Et non utcumque proloquar, sed adversus me, inquit, proloquar delicta mea Domino. Hæc virtus est pœnitentiæ, ut cum loquitur ipse peccator adversus se, tunc faciat pro se. Odit enim peccatorem Deus, ac per hoc qui se peccatorem odit, amat eum Deus, quia hoc odit, quod Deus.

IV. Bono animo estote, supplices Dei, recreamini et consolamini, firmate fidem, erigite spem, accendite charitatem. Donabit vobis peccata qui mortem suam nobis donavit sine peccato. Non permittet, ut pereatis, qui mori voluit ut vivatis. « Appropinquate Deo, et appinquabit vobis<sup>2</sup>. Resistite autem diabolo, et fugiet a vobis<sup>3</sup>. » Mementote vos ejus leonis rugientis dentibus eripi; mementote vos illi extorqueri, qui vos in æternum sperabat secum posse torqueri. Auribus percipit Dominus lacrymas vestras, habitans in ejus præsentis corde pastoris; cujus mereantur preces fusæ pro vobis, quidquid minus valetis in vestris.

V. Gaude itaque, optime antistitum, quoniam filii tui, quos per Evangelium genuisti<sup>4</sup>, jam mortui erant, et revixerunt, perierant, et inventi sunt<sup>5</sup>. » Conscindatur saccus eorum, et accingantur lætitiæ<sup>6</sup>. Redde illis epulas vituli saginati<sup>7</sup>; eximantur animæ eorum de morte, oculi eorum a lacrymis, pedes eorum a lapsu. ut placeant in conspectu Domini in regione vivorum<sup>8</sup>.

<sup>1</sup> Psal. xxxi, 5. — <sup>2</sup> Jacob. i, 8. — <sup>3</sup> Ibid. 7. — <sup>4</sup> 1 Cor. iv, 15. — <sup>5</sup> Luc. xv, 24. — <sup>6</sup> Psal. xxxix, 12. — <sup>7</sup> Luc. xv, 23. — <sup>8</sup> Psal. cxiv, 8, 9.

## SERMO XCVIII.

## Sive Oratio de Spiritu sancto.

*Eruitur hæc oratio pulcherrima, quam frustra quæsi-  
 apud sanctum Augustinum, ex Bibli. Magliabec., cod. LXXXVI,  
 fol. 75, ubi nomen habet beati Doctoris. Locus ejus post  
 Serm. Benedict. CCLXXII.*

## SYNOPSIS.

I. Misericordis Spiritûs invocatio. II. Ejusdem continuatio.  
 III. Precari pergît benignissimum Spiritum.

I. DEUS meus, Spiritus sancte, timeo et desidero lo-  
 qui de te pro me, quia de meo non habeo quid loquar  
 de te; et quid loquar, nisi tu dederis mihi te, ut tibi de  
 te loquaris pro me in me? Da ergo mihi te in principio,  
 dator optime, et donum optimum, quia quantum ad te,  
 tu meus es; nec potest aliquid meum esse, nec ego meus  
 ero, nisi prius tu meus fueris. Esto meus, quia sic ero  
 meus et sic tuus. Si vero non es meus, nil meum est. A quo  
 ergo emam te, aut comparabo? Nullo, nisi a te. A necesse  
 est igitur ut des mihi te, ut et te possim emere a te. Præ-  
 veni igitur me, et præpara me ad recipiendum te, et re-  
 ceptus loquere tibi pro me et audi in me. Te pro me  
 audi. benignissime, audi semel et ne irascaris. Vide quo  
 spiritu loquar, quia ego nescio, sed bene scio quod lo-  
 qui non possum, nisi tu des. Recolo quod tu aliquando  
 adulterum et homicidam tetigisti, et psalmistam tu fe-

cisti, Susannam innocentem liberasti, Magdalenam septem dæmoniis plenam respexisti, et multa dilectione repletam Apostolorum apostolam constituisti; Latronem in cruce visitasti, et socium Christi eadem die in Paradiso statuisti; flere fecisti apostatam, et cum ordinasti in summum Pontificem; vocasti Publicanum, et evangelistam consecrasti; percussisti persecutorem, et erexisti in summum doctorem; descendisti in tumidos Judæos, et omisisti eos audacissima doctrina inflammatos. Domine sancte, cum horum mente meminero, excitant me sic alloqui tibi, et scio vere quia tu docuisti me sic tibi respondere; et ob hoc ad te suspiro, ad te confugio. Audi, summa benignitas, et non incurrat indignationem tuam tua misera creatura. Si plura sunt scelera mea, quam omnium eorum, quos in exemplum tuæ misericordiæ revocavi, multo major est misericordia tua, quia infinita, quam iniquitas mea, cui æque facillime est remittere multa millia peccata, ut unum solum. Scio quod aliquis in suo mortali peccato decessit præscitus ad mortem, alius post mille peccata commissa reservatus est decedens tandem prædestinatus ad vitam. Et in his quid, dulcissime, nisi hinc tua misericordia, illinc tua justitia manifeste aperitur? Accidit in aliis duobus quod utrique post multa et magna peccata mortalia diutius reservati sunt, et in finem alter ad vitam, alter ad pœnam æternam? Quid enim, benignissime, in his, nisi tu tua benignissima misericordia in se uniformi (1), diversimode tamen operaris? Nec ergo dat certitudinem vitæ æternæ paucitas peccatorum, nec desperationem confert multitudo scelerum. Sed quoniam melior est misericordia tua super vitas, illam invoco, illam desidero, illi mihi ad-

(1) Cod. *uniformis*.

hærere bonum est. Da te mihi per illam misericordiam , et illam per te : illa sit mihi in te , et illa sit tibi via in me. Hæc dat mihi audaciam alloquendi tibi ; hæc dat mihi fiduciam invocandi te ; hæc erigit mentem meam ; habens ipsam , habet te. Nihil ergo peto , nisi te , quia tu es doctor et doctrina , medicus et medicina , prospector et preparator mentis , amor et amator , tu es vita et vitæ conservator. Quid plura ? Tu es quidquid dicitur boni esse (1). Tua enim misericordia , quia (2) non sumus consumpti : ipsa sola nos sustinet expectando , conservat non damnando , revocat non improperando , dimittit non judicando , gratiam confert non repetendo , salvat perseverando.

II. Surge ergo et erige te , anima mea peccatrix , intende tanto auditui , tanto auxilio tuæ reformationis. Vide quia ista persona indiges (3) sola ad restorationem tui. Erige te tota , mens mea , et huic qui tota salus tua est cum omnibus viribus tuis intende , et prepara te ipsi ; recipe eum in te , ut recipiat te in se. Veni ergo , dulcissime , extende digitum tuum et erige me ; veniat ille sanctus digitus tuus , adducat me ad te , et ponat se in vulnera mea et sanet ea. Pungat in me inflationem superbiæ , ejiciat putredinem iræ , reprimat venenum invidiæ , resecet carnem mortuam acediæ , mitiget dolorem cupiditatis et avaritiæ , purget superfluitatem gulæ , et odoriferis unguentis pulcherrimæ castitatis fuget fœtorem luxuriæ. Tangat me digitus ille , qui distillat vinum , et oleum , et myrrham probatissimam. Tangat me digitus tuus , benignissime Domine , ut sublata corruptione , ad integritatem me restituere dignetur , ut tu cum veneris manere in me saccum perforatum , invenias integrum habitacu-

(1) Cod. est. — (2) Id. iterat male enim. — (3) Id. indigens.

lum , in veritate fidei fundatum , in certitudine spei erectum , cum fervoris charitate completum. Veni , veni , hospes jucundissime , quamvis non diu desideratus. Mane nobiscum , quia nisi manseris , advesperascet et inclinabitur dies<sup>1</sup>. Pulsa et aperi , quia si aperis , nemo claudit ; ingredi et claude post te ostium , et nemo aperiet<sup>2</sup> ; in pace sunt omnia quæ possides<sup>3</sup> , et sine te nulla est pax. Tu (1) laborantium es requies , præliantium pax , dolentium jucunditas , languentium consolatio , æstuantium temperies , flentium risus , cæcorum lux , dubitantium dux , timentium audacia ; nullus enim quiescit , nisi qui pro te laborat. Solus pugnans pro te , pacem habet. Pro te dolere summa jucunditas est , et lugere consolatio. Cum flet anima mea pro te , tunc bene ridet. O quanta benignitas ! non potes sustinere quod aliquis doleat pro te , nec quod fleat aut laboret. Simul enim incipiunt labor et requies , pugna et pax , dolor et jucunditas , fletus et risus. Esse in te , est esse in æterna felicitate.

III. Tange , dilectissime , tange animam meam quam creasti , animam quam per lavacrum inhabitasti ; at (2) heu ! ejectus millies turpiter fuisti et injuriose a domo tua propria , et ecce misera hospita tua clamat post te ; pessime est enim ei sine te. Revertere , benignissime , et miserere ejus quæ te seditiose expulit a se. Nunc , nunc bene recordatur , quod bene erat ei prope te ; venerunt enim omnia bona pariter propter te<sup>4</sup> , et post recessum tuum spoliaverunt eam inimici ejus , et omnia bona ejus quæ primo dedisti , asportaverunt , et insuper plagas crudelissimas imposuerunt , et vix semivivam reliquerunt<sup>5</sup>. Redi ergo , dilectissime Domine , et descende in domum

<sup>1</sup> Luc. xxiv , 19. — <sup>2</sup> Apoc. iii , 7. — <sup>3</sup> Luc. xi , 21. — <sup>4</sup> Sap. vii , 11. — <sup>5</sup> Luc. x , 30.

(1) Cod. *tu qui*. — (2) *Id. et*

tuam, priusquam moriatur fatua hospita tua. Nunc video, nunc sentio quam male est mihi sine te; erubesco et confundor vehementer quod recessisti a me, sed defectus tam graves pro absentia tua compellunt me revocare te. Veni in domum miseræ Marthæ tuæ<sup>1</sup>, custos optime, et custodi eam in veritate, « Ne de cætero obdormiat in morte, ne quando dicat inimicus: Prævalui » adversus eam<sup>2</sup>. » Qui tribulant me, exultabunt, si mota fuerit<sup>3</sup>. Sed ego te adjuvante, in misericordia tua sperabo, illam amplectar, in ea confidam, illa erit portio mea, et sic non timebo quid faciat mihi caro<sup>4</sup>. Non potes non facere misericordiam, quia tibi consubstantialis est. Vide paupertatem meam, vide instantem necessitatem meam; secundum tuam magnam dignitatem miserere, non secundum meam iniquitatem. Ostendat misericordia quod super omnia opera tua est<sup>5</sup>. Non prævaleat malitia peccati adversus magnitudinem bonitatis tuæ. Secundum misericordiam tuam dicis: « Nolo mortem peccatoris, » sed ut convertatur et vivat<sup>6</sup>. » Diligis enim misericordiam plusquam sacrificium<sup>7</sup>. Largitor largissime, extende illam sanctam dexteram tuam, quæ nunquam vacua est, denegare nescit, indigenti dare non cessat; extende ergo, dator optime, manum istam omni bono repletam. Ipsa est manus pauperum, da pauperi tuo, imo ipsi paupertati, arma sive bona illa, quæ pauperem ditant sine defectu. Confirma ergo, Deus, quod operatus es in nobis<sup>8</sup>, quia nunc video quod non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, salvas nos, sed secundum tuam misericordiam<sup>9</sup>. Ergo, sanctissima communicatio (1),

<sup>1</sup> Luc. x, 38. — <sup>2</sup> Psal. xii, 5. — <sup>3</sup> Ibid. — <sup>4</sup> Id. lv, 5. — <sup>5</sup> Id. cxliv, 9. — <sup>6</sup> Ezech. xxxiii, 11. — <sup>7</sup> Matth. ix, 13. — <sup>8</sup> Psal. lxxvii, 29. — <sup>9</sup> Tit. iii, 5.

(1) Vide lib. Medit. num. 9.



donum pietatis mihi concede , cui proprium est mitem  
facere , et conservare , et reddere illum , cui se tribuit,  
immunem ab omni munere , ut possimus dicere cum  
apostolo Petro : « Ecce nos reliquimus omnia , et secuti  
» sumus te<sup>1</sup>. » Quibus omnibus despectis mundanis et  
transitoriis , Spiritus tuus bonus deducet nos in viam  
rectam <sup>2</sup>, et in terram viventium , affectu (1) pietatis nos  
inducet , ubi te possimus perenniter frui per infinita sæ-  
cula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Matth. XIX, 27. — <sup>2</sup> Psal. CXLII, 10.

(1) Cod. *affectum*.



SANCTI AURELII  
**AUGUSTINI**

HIPPONENSIS EPISCOPI

**TRACTATUS.**

---

LIBER

De Spirituali certamine.

*Educitur hic tractatus, sive sermo, qui tamen a manuscripto dicitur liber, in Bibl. Sanctæ Crucis Florentiæ, Plut. xvii dextr., cod. ix, fol. 155 b. Hunc frustra quæsiui apud sanctum Augustinum, cujus nomen habet in codice.*

SYNOPSIS.

I. Christiani boni ex Ægypto in terram promissam adducti sunt. II. Non otio tamen indulgendum, sed pugnandum contra vitia. III. Quæ delenda, ut gentes quas Israëlitæ destruere jussi fuerant. IV. Quam damnanda monachorum segnities. V. Profectus spiritualis argumenta. VI. Cur Deus nos sine certamine viuere adversarios non vult. VII. Finalis adhortatio ad monachos.

I. Si diligenter considerare volumus, fratres charis-

simi, unde venimus, et quo vocamur, nullæ vires in nobis sunt, quibus ad reddendas Deo gratias sufficere valeamus. Nos enim filii Israël sumus, qui Pharaoni in Ægypto servivimus, qui gravissimo superbi regis imperio premebamur. Gaudebat siquidem Princeps mundi hujus sub feroci servitutis jugo nos indesinenter atterere, et servilium operam semper officiis occupare. Cogebat nos lateres coquere, nec (1) ex pretiosis virtutum lapidibus templum Deo construere, sed terrenum potius sibi dictabat ædificium fabricare. Sed ecce jam Deus patrum nostrorum, Deus benedictus in sæcula, ex Ægypto nos, id est, de tenebris vitæ veteris eruit, de vinculo tyrannicæ dominationis absolvit, atque in terram nos promissionis fideliter introduxit. Terram namque repromissionis ex eo jam ingressi sumus, ex quo, spreto mundi desiderio, firmæ spei fiduciam in æternitate posuimus, et jam in spe possidemus, quam in re postmodum habituri per Dei gratiam sumus. In hanc videlicet terram jam illi spei gratia (2) introducti fuerant, quibus Petrus aiebat: « Vos » autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, » populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui » de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum<sup>4</sup>. »

II. Sed quia in hanc terram, duce divina gratia, sumus ingressi, non (3) nobis vacandum est otio, non torpori vel desidie cedere, non somno vel incautæ securitati sanum est indulgere. Expedi itaque ut virtutum armis semper accincti, ad custodiam nostri jugiter excubemus, et adversus immanissimos hostes nostros acriter dimicemus; per bellum namque pariter ad pacem, per laborem

<sup>4</sup> 1 Petr. II, 9.

(1) Hic vox quædam deest in cod. quam supplevimus addendo *nec*.

(2) Cod. *gratiam*. — (3) Id. male *jam*.

transitur ad requiem. Non enim est sine pugna victoria, non absque victoria pertingitur ad coronam. Intestinos autem hostes habemus, cum quibus si perire nolumus, infatigabiliter et sine ulla prorsus intermissione pugnare compellimur. Hostes nempe nostros, adversus quos in acie semper assistimus, non a nobis interjecti aggeres dividunt, non mœnia turrata secernunt, non profundi amnes interfluunt, non prærupti montes, ne quo minus congregiantur, obsistunt. Nobiscum semper sunt, quia in nostræ mentis penetralibus (1) degunt. Septem namque principalia vitia sunt, ex quorum vipereo semine cæteræ vitiorum pestes, quasi venenatæ nihilominus soboles oriuntur. Quæ nimirum sunt: superbia, avaritia, inanis gloria, ira, invidia, luxuria, tristitia. De quibus nos idcirco disputare diligenter omittimus, quia plerosque tractatores sacri eloquii multiplices super his reliquisse sententias invenimus. Hoc tantum nunc affirmare sufficiat, quia quisquis adversus ista confligere, quisquis hæc (2) cum Dei adjutorio neglexerit superare, nunquam in militia spirituali victor existere, nunquam ad coronam poterit victoriæ pervenire. « Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit<sup>4</sup>. »

III. Hæ sunt denique gentes quas Israëlítico populo Moyses præcipiebat... (3) a facie terræ absque ulla fœderis interpositione delere. « Cum traduxerit te, inquit, » Dominus Deus tuus, in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum, » et Gergesæum, et Amorrhæum, Chananæum et Pheresæum, et Hevæum, et Gebusæum, septem Gentes

<sup>4</sup> 2 Tim. II, 5.

(1) Cod. male *penetrabilibus*. — (2) Cod. *hoc*. — (3) Deleto sunt quædam in cod.

» multo majoris numeri , quam tu es , et robustiores te ,  
 » tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi (1), percu-  
 » ties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœ-  
 » dus , non misereberis earum<sup>1</sup>. » Ecce audistis , fratres  
 charissimi , quia gentes nobis infestas nostris manibus  
 Deus omnipotens tradidit , easque jam a facie nostra  
 in suæ providentiæ dispositione delevit. Cur ergo dege-  
 neri languore torpescimus ? cur collatam nobis coelitus  
 victoriam non arripimus ? cur ex eo quod in superno jam  
 examine constitutum est , id solum quod ad nos pertinet  
 non implemus ? Nam si ipsam verborum seriem ante  
 perpendimus , jam ipsas gentes apud divinam sententiam  
 prostratas aspiciamus , quas ipsi percutere et delere jube-  
 mur. Cum enim dicitur : « Cum introduxerit te Deus  
 » Dominus tuus in terram , quam possessurus (2) ingre-  
 » deris , et deleveris gentes ; » atque paulo post adjungit :  
 « Percuties eas , » luce clarius constat , quia adversarios  
 nostros in sua præscientia jam omnipotens Deus extinxit ,  
 quos nos ut (3) extingueremus , instituit. Ipse pugnat ,  
 et ut nos vincamus invitat. Ipse hostium vires destruit ,  
 et nobis victoriæ nomen ascribit. Vult nos fieri sua vir-  
 tute victores , ut valeat myrto coronare triumphantes.  
 Nulla nos ergo desperatio frangat , quos ad fortiter agen-  
 dum supernæ virtutis adhortatio provocat. Nulla infir-  
 mitas humanæ conditionis obsistat , ubi ad confligendum  
 divinæ jussionis auctoritas roborat. Audiamus et nos  
 quod illis dictum est : « Si dixeris in corde tuo : Plures  
 » sunt gentes istæ quam ego , quomodo potero delere eas ?  
 » Noli metuere , sed recordare quæ fecerit Dominus Deus

<sup>1</sup> Deut. VII, 1, 2.

(1) Cod. male addit *et*; deinde *percutie*. — (2) Cod. male addit *es*; et deinde habet *deleverit*. — (3) Deest *ut* in cod.

» tuus Pharaoni et cunctis Egyptiis, plagas maximas,  
 » quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta, ma-  
 » numque robustam, et extentum brachium, ut educeret  
 » Dominus Deus tuus. Sic facies cunctis populis quos  
 » metuis<sup>1</sup>; » et ut quid ergo ex nostra infirmitate dilidi-  
 mus, qui ipsum virtutis auctorem, prævium ac ducem  
 nostræ congressionis habemus? Et ille tenetur ex promissio-  
 ne victoriæ, qui dux et auctor est pugnæ. Accendatur  
 igitur mens in amorem certaminis, ut in campum pug-  
 natura procedat ad debellandum hostium cuneos, cum  
 desides incalescant. Nullum inter nos atque adversarios  
 fœdus interveniat; nulla nos sequestræ pacis vincula (1)  
 componant.

IV. Non ire namque ad prælium inglorium est; ire  
 autem et segniter agere, mortis omnino periculum. « Me-  
 » lius est enim non agnoscere viam veritatis, quam post  
 » agnitionem retrorsum reverti<sup>2</sup>. » Nonnulli enim post ar-  
 repta sacræ rudimenta militiæ, in tantam se mollitiem,  
 animo tepescente, resolvunt, ut si valeant (2) mala non  
 agere, nullis tamen studeant animæ suæ profectibus in-  
 sudare. Hi nimirum non famem inedia vincere, non  
 oblati epularum suavitatibus repugnare, non frigoris as-  
 peritatem ferre, non communes satagunt vigilias præve-  
 nire. Qui videlicet, etsi usurpare illicita renuunt, his ta-  
 men, quæ licita sunt, perfruuntur. Hi profecto intra  
 sacram militiam constituti sunt, sed quod spirituale cer-  
 tamen sit nesciunt; intra militum numerum censentur  
 ascripti, sed militaris officii probantur ignari; siquidem  
 inter armatos non verentur inermes incedere, inter lori-  
 catas bellatorum acies non erubescunt discincti segniter

<sup>1</sup> Deut. vii, 17-19. — <sup>2</sup> 2 Petr. ii, 21.

(1) Cod. *mna.* — (2) Id. *videant.*

ambulare (1), atque idcirco ad primum vibrati cujuslibet jaculi ictum corruunt, quia nullo caute circumspeditionis clypeo muniuntur; meliusque fuerat intra septa domus ignobiliter vivere, quam imbelles inter cellas (2) sine ullis meritorum (3) titulis mori (4). Enim vero qui in monastico habitu carnis delectationem quærunt, ex arido ligno succum exprimere gestiunt. Ex qua nimirum mollitie ac remissione vivendi plerisque contingit, ut cum multa sciant, se nesciant, et quid districtionis ipsi pati possint, quidve non possint, pleniter non agnoscant; sicque fit, ut quibus datum est exteriorem militiam (5) cognoscere, adhuc ad cognoscendum semetipsos videantur probationibus indigere. Plerosque enim vidimus jamdudum in sacro ordine constitutos, qui necdum nossent quid in jejuniis, quid in vigiliis, quid in reliquis cœlestis disciplinæ studiis ferre potuissent; et cum Scriptura dicat: « Qui ignorat, ignorabitur<sup>1</sup>, » quo pacto, vel a Deo cognosci, vel Deum mereatur ipse cognoscere, qui semetipsum in ejus obsequio convincitur ignorare? Porro autem fervidus bellator qui mœnia obsidione circumdat, appropinquare aggeribus nititur, occupare vallos attentat, atque inter ipsas crebrescentium missilium grandines, quousque violenter irrumpere possit, explorat. Qui semetipsum ergo vult vincere, in mensuram suarum virium, turpe est notitiam sui non habere. Hinc est enim quod Dominus dicit: « Contendite intrare per angustam portam<sup>2</sup>. » Necdum autem experimentum sui ille Dei miles acceperat, de quo Scriptura dicit: « Quia imposita galea ærea super caput

<sup>1</sup> 1 Cor. XIV, 38. — <sup>2</sup> Matth. VII, 13.

(1) Est verbum hic deficiens in cod., quod supplevimus, apposita voce *ambulare*. — (2) Cod. *cella*. — (3) Id. *peccatorum*. — (4) Id. absque sensu et latinitatis umbra *nico*. — (5) Id. *exterior militia*.



» ejus<sup>1</sup>, » et cætera. Jam autem idem se docte probaverat, cum « Gladium Goliath Philistæi<sup>2</sup>, » et cætera.

V. In hoc autem probatio est, quia quisquis in militiæ spiritualis agone profecerit, si jamjam debiliorem contra se vitiorum contumaciam sentit, si insurgentes in se motus carnis facile reprimat, si tumultuantium cogitationum strepitum minori jam labore compescit; si nascentes carnalis (1) illecebræ spinas, mox ut oriri cœperint, resecat, si tumentia superbiæ, luxuriæ, cæterorumque vitiorum colla, gladio protinus divini timoris obruncat. Cæterum quid prodest diu quempiam sacræ interesse militiæ, quem velut sub ipsa primi tyrocini rudimenta remissis manibus, et tenero (2) adhuc poplite (3) videas claudicare? A qua nimirum negligentæ dissolutione, prædicator egregius discipulos suos prohibet dicens: « Remissas, inquit, manus et dissoluta genua erigite, et » gressus rectos facite pedum vestrorum, ne claudicans » quis erret<sup>3</sup>. » Docta manus ad prælium, facile pervenit ad triumphum. Corpus aptum loriciæ, promptum fertur in pugnam. Monacho nempe, cui adhuc impossibile est superbiam premere, avaritiam cohibere, invidiæ faces extinguere, mundam mentem a luxuriæ petulantia custodire, qui virus malitiæ adversus offendentem nequit expellere, qui pro servanda censura justitiæ, succumbit injuriam sustinere, quid aliud dicendum est, nisi quia quantum ad professionem quidem, jam in sacra militiæ nomen dedit, sed quid sit spiritale certamen, adhuc penitus non agnovit? Imo ad perfectionem tendentibus, hoc est tois viribus annitendum, ut salubriter rigidi magis discant (4)

<sup>1</sup> 1 Reg. xvii, 38. — <sup>2</sup> Ibid. 51. — <sup>3</sup> Hebr. xii, 12.

(1) Cod. *carnales*. — (2) Id. *teneros* — (3) Id. *poplice*. — (4) Id. *discat*.

ista nescire quam vincere; pudeatque iis, qui se mortuos profitentur esse cum Christo, rebelles motus carnis et passiones animorum adhuc in se procaciter vincere, adversus quæ, velut sub ipso congressionis initio, necesse sit repugnare; ne cum tempus sit ut jam jure quiescere permittantur emeriti, adhuc versentur inter (1) belli tirones. Discat igitur miles Christi, dum adhuc novus est, manus conserere, discat emergentibus quibusque vitiis, prout res dictaverit, obviare. Huc illucque se, circumductis vivacis experientiæ oculis providus vertat, et singulis quibusque jaculis, quæ mittuntur, congruæ defensionis tegmen (2) opponat, ut superbiam humilitate dejiciat, gulam sobrietate restringat, mansuetudine iracundiam calcet, avaritiam largitate refrenet, ardorem libidinis terrore perpetui ignis extinguat, odii trabem flamma suavissimæ charitatis exurat. Delectatur Deus isto certamine, qui subtiliter ac profunde considerat totum quidquid illud est, quod versatur in mente. Gratulantur Angeli ad tale spectaculum, videntes quod humana natura in eo quod contra semetipsam (3) pugnat, ad eorum se consortium, unde fuerat ejecta, reformat; et sic (4) rixando, ad veram procul dubio pacem tendit, quam olim sibi met male consentiendo, quia non repugnavit, amisit.

VI. Nec conqueramur, fratres mei, si ad votum mox cuncta non vincimus, si hujus conflictatione certaminis ærumnas, labores, angustias, et gravissimum sæpe fluctuans animæ tædium sustinemus. In hoc enim divina nobis dispensatione prospicitur, ne repentina victoria in arrogantiam noster animus extollatur, et de altitudine sua profundius corruat, nec (5) auctori Deo, sed sibi victoriæ

(1) Cod. *iter*. — (2) Hæc vox dimidiata legitur in cod. ita *gmen*. — (3) Cod. male *semetipsum*. — (4) Id. male *si*. — (5) Id. absurde *sine*.

suæ vires ascribat. Hinc est enim quod Israëlitico populo per Moysen dicitur : « Postquam afflixit te Dominus et » probavit , ad extremum misertus est tui , ne diceres in » corde tuo : Fortitudo mea , et robur manûs meæ , hæc » omnia mihi præstiterunt , sed recorderis Domini Dei » tui , quod ipse tibi vires præbuerit <sup>1</sup>. » Hinc est etiam quod sæpe mens , quæ multa in se et fortia vicit (1), unum quid fortasse minimum . quamvis solerter invigilet , non expugnat ; quod nimirum divina dispensatione agitur . ne humana conditio undique virtutibus splendens in elatione sublevetur ; ut in eo quod se superasse fortia quæque considerat , dum parvum quid non potest diu conando subigere , non sibi , sed illi victoriam tribuat , cujus munere potuit , quæ subacta sunt , superasse . Unde illic dicitur : « Hæc sunt gentes , quas Deus » dereliquit , ut erudiret in eis Israëlem <sup>2</sup>. » Israël namque reservatis gentibus eruditur , dum mens nostra in pravis sibi resistentibus discit , quia nequaquam ex se majora subjecit .

VII. Hæc totius negotii summa est , fratres charissimi , quare mundum reliquimus ; hic tota debet versari intentio nostra . quia ad sacrum ordinem nos venisse gaudemus ; videlicet ut mens nostra , virtutum armis accincta , in spirituali certamine se semper exerceat , et vitiorum portenta , quæ circa nos miscere gestiunt , fervido spiritu debellare contendat . Quid enim profuisset Israëlitico populo Ægyptiaca tantummodo rura relinquere , nisi cervices hostium bellica valuisset (2) strage percutere , ut terram optimam quieto postmodum posset otio possidere . Quis (3) denique profectus esset , si Pharaonis jugum ,

<sup>1</sup> Deut. viii, 16-18. — <sup>2</sup> Jud. iii, 1.

(1) Cod. *si pro vicit*. — (2) Id. *ferbuisset*, et deinde *possent*. — (3) Id. *qui*.

sub quo qualitercumque vivere sinebantur, effugerent, si Chananaeorum enses in proprios jugulos per torporis(1) incuriam provocarent. Excutiamus ergo, fratres charissimi, degenerem marcidæ dissolutionis inertiam, qui per fortitudinem strenue dimicandi pervenire volumus ad coronam. Parati simus semper irruentes vitiorum cuneos, ac frementes bestias de agro nostri cordisejicere, nullumque eis in ea, quæ nostri juris sunt, permittamus locum perversæ dominationis habere. Non videant nos inimici nostri, quod absit, enerviter cedere, ne mox sibimet applaudentes de nostris valeant recessibus exultare. Invictum namque militiæ nostræ ducem habemus, cui fiducialiter dicimus : « Judica, Domine, nocentes me, » expugna impugnantes me; apprehende arma et scutum, » et exurge in adjutorium mihi<sup>1</sup>. » Felix spiritualis ille bellator, qui talem sequitur in prælio ducem, qui talem meretur habere suæ congressionis auctorem, qui et præsumenti præbet audaciam, et pugnanti victoriam, et victorem vehit ad coronam. Quin potius ipse est militantibus donativum, emeritis municipium, triumphantibus præmium sempiternum, ipse Deus benedictus in sæcula.

<sup>1</sup> Psal. xxxiv, 1, 2.

(1) Cod. *corporis*.

## LIBER

## De Pugna vitiorum.

*Hic tractatus, qui ad eundem scriptorem pertinere videtur ac præcedens, et ejus esse complementum, legitur in eodem cod. IX, Plut. XVII dextr., Bibl. Sanctæ Crucis Florentiæ, fol. 135 b. Non sine voluptate percurreret illum, qui voluerit. Quæsiui eum, sive apud sanctum Augustinum, sive alibi, nec inveni.*

## SYNOPSIS.

I. Diabolus præcipue incipientibus insidiatur, cui non cedat Christi miles. II. Tres sunt virtutes, quæ magis eremiticæ vitæ congruunt. III. Vitæ hujus encomium. IV. Ejusdem argumenti continuatio. V. Item. VI. Item. VII. Item.

I. **QUISQUIS** (igitur) cellulam cum diabolo dimicaturus ingreditur, et in area spiritualis prælii, ferventis animositate pectoris incitatur, ad hoc totam suæ mentis intentionem dirigat, ut delectationem carnis, vel ad momentum quidem jam ultra non sentiat, sed sibimet simul et mundo mortuus vivat. Ad tolerandas itaque calamitates atque miseras animum præparet, morti se pro Christo devoveat, diversis virtutum telis lumbos mentis accingat, omnia sibimet aspera et dura proponat, ut cum acciderint, non improvidus enerviter concidat, sed omnia æquanimiter ferat. Plane sicut fluvius ex sui fontis origine perexiguus oritur, sed processu longioris declivii rivis hincinde confluentibus dilatatur, sic interior homo nos-

ter in sanctæ conversationis itinere tenuis et velut aridus incipit, paulatim vero per incrementa virtutum, quasi rivis undique concurrentibus convalescit. Quisquis ergo nititur amnis fluentia restringere, juxta fontis aditum necesse est satagat obstacula convectare, ut ubi nondum amnis, sed adhuc rivus cernitur, illic obicibus impactis facile reprimatur. Qui ad aulam quoque regiam properare disponit, in ipso quidem expeditionis exordio, cum paucis egreditur, confluentis autem subinde numerus societatis augetur. Quisquis denique huic struit insidias, non procul a domo quoad (1) egrediatur dilatat, ut, necdum constipatus multitudine commeantium, repentinos impetus non evadat. Tunc autem veraciter ad regem nostrum properantes iter incipimus, cum rudes adhuc novique tiroues in spiritualis militiæ sacramenta juramus; sed quia nondum spiritualium studiorum agmine circumfundimur, necdum perfectionis virtutibus roboramur, tunc veterator (2) hostis ante ipsum egressionis nostræ vestibulum insidias præparat, ubi versutiæ suæ dolos, ubi malignitatis artes et laqueos, ubi deceptionum machinas, et omnia pestiferæ calliditatis argumenta concinnat, quatenus rivum adhuc tenuem boni operis obstruat, et gradientem, antequam commeantium agmine fulciatur, extinguat. Sed inter has jaculorum crebrescentium grandines, inter istas bellorum ingruentium tempestates, Christi miles non formidine contabescat, non fractus labore deficiat, sed invictæ fidei clypeo præmunitus, quo acriora infestantium luctatorum certamina tolerat, eo certius diutina Dei auxiliantis aspirationi confidat, nec prorsus addubitet, quod si (3) primæ tentationis articulum illæsus evaserit, paulo post roboratus et validus,

(1) Cod. *unde*. — (2) Id. *veterinosus*. — (3) Id. *quasi*.

terga vertentibus ac succumbentibus suis adversariis prævalebit. Idcirco nempe insidiator spiritus totum fel suæ nequitiae circa novitios evomit; ideo omne virus artificiosæ et deceptoriae calliditatis effundit, quia non ignorat, quoniam si tunc officium perversi conatûs amiserit, opportunitatem lædendi postmodum non habebit. Imo qui supplantare non potuit, ruinæ postmodum turpiter subjacebit, et qui rudi non prævalet, exercitato succumbet.

II. Notandum autem, quia cum omnibus ad æterna festinantibus universæ virtutes animi sint habendæ, solitariae vitæ proposito tria sunt, ex cæteris videlicet præcipue congrua, et spirituali præ cæteris observatione tenenda: quies scilicet, silentium, atque jejunium (1). Cætera siquidem instrumenta justitiæ in sola plerumque devotione vel habitu, istæ autem in exercitio debent familiari quadam sedulitate versari. Sicut enim sacerdotis est proprium sacrificiis offerendis insistere, doctoris prædicare, ita nihilominus eremitæ officium est in jejunio silentioque quiescere. Unde non frustra repetitur ab antiquis vitæ hujus institutoribus dictum: «Sede in cella tua, et retine linguam et ventrem, et salvus eris.» Venter siquidem reprimendus est, ne dum ipse immoderate repletur cibus, cætera quoque membra inficiat vitiis. Lingua vero restringitur, quia indisciplinate laxata supernæ gratiæ vigore animam vacuat, et a statu salutiferi vigoris enervat. Verumtamen modus atque discretio in talibus est adhibenda, ne quod indifferenter agitur, velut onus importabile per intolerantiam pusillanimitèr deponatur.

III. Sed inter hæc libet de singularis vitæ meritis pauca perstringere, et quid de tantæ virtutis culmine sentiam

(1) God. male et cætera siquidam.

laudando bonum (1) eremiticæ vitæ potius quam disputando breviter intimare. Solitaria sane vita cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina. Illic Deus est, a quo (2) discitur via, qua (3) tenditur atque ad summæ veritatis notitiam pervenitur. Eremus nempe est paradus deliciarum, ubi tanquam redolentium species pigmentorum, vel rutilacei flores aromatum, sic et fragrantia spirant odoramenta virtutum. Ibi siquidem rosæ charitatis igneo rubore flammescunt, ibi lilia castitatis niveo decore candescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ, dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha perfectæ mortificationis exundat, et thus assiduæ orationis indeficienter emanat. Et cur singula quæque commemorem, quandoquidem omnia illic sanctarum virtutum germina diversis venusta coloribus rutilant, et perpetuæ viriditatis gratia incomparabiliter vernant. O eremus sanctarum mentium delectatio, et intimi gustus inexhausta dulcedo; caminus ille chaldaicus, ubi sancti pueri furentis incendii vires orationibus reprimunt, et ardore fidei crepitantium circa se flammarum globos extinguunt, ubi scilicet et vincula exuruntur, et ardorem membra non sentiunt, quia et peccata solvuntur, et in hymnum divinæ laudis anima provocatur dicens: « Dirupisti, Domine, vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis<sup>1</sup>! » Tu fornax, ubi superni regis vasa formantur, et ad perpetuum nitorem, malleo poenitentiae percussa, atque lima salutiferæ correptionis erasa perveniunt; in qua nimirum aboletæ (4) animæ rubigo consumitur, et scabiei (5) peccatorum scoriam deponuntur. Vasa siquidem figuli probat fornax, et eremi-

<sup>1</sup> Psal. cxv, 17.

(1) Cod. *laudande laus*. — (2) Id. *quo*. — (3) Id. *vita quo*. — (4) Id. *aboleta*. — (5) Id. *scabiem*.



tam jugis cellæ tentatio. Cella negotiatorum coelestium apotheca, in qua videlicet illarum mercium summa reconditur, quibus terræ viventium possessio comparatur! Felix commercium, ubi terrenis cœlestia, transitoriis mutantur æterna! Felices, inquam, nundinæ, ubi vernalis æterna vita proponitur, ad quam emendam, etsi minimum quid, solum sufficit quod habetur; ubi levis afflictio carnis emit cœleste convivium, et exiguæ lacrymæ risum pariunt sempiternum; possessio terrena distrahitur, et ad æternæ hæreditatis patrimonium pervenitur! O cella, spiritualis exercitii mirabilis officina, in qua certè humana anima Creatoris sui in se restaurat imaginem, et ad suæ redit originis puritatem; ubi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt, et vitiata natura ad azyma sinceritatis reparatur. Tu das ut jejuniis videantur ora pallentia, et mens divinæ gratiæ sit pinguedine saginata; tu das ut homo mundo Deum corde conspiciat, qui suis obvolutus tenebris, et se ipsum prius ignorabat. Tu hominem ad suum facis redire principium, et de exilii dejectione ad antiquam dignitatis revocas celsitudinem. Tu facis ut homo in mentis arce constitutus, cuncta a se (1) videat terrena defluere, semetipsum quoque in ipsa rerum labentium prospiciat decursione transire.

IV. O cella, sacræ militiæ tabernaculum, procinctus triumphatoris exercitus, castra Dei, turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium! Tu campus divini prælii, spiritualis arena certaminis, Angelorum spectaculum, palestra fortiter dimicantium luctatorum, ubi spiritus cum carne congregitur, et fortis ab infirmitate superatur.

(1) Cod. *se.*

Tu vallum in expeditione currentium, tu munitio fortium, tu præsidium cedere nescientium bellatorum. Fremat hostium circumfusa barbaries, accedant cum (1) phalaricis, missilia jaculentur, vibrantium gladiatorum sylva densescat; qui vitæ sunt eremiticæ, lorica fidei præmuniti, sub imperatoris sui invicta protectione tripudiant, et de hostium suorum certa jam dejectione triumphant. Quibus nimirum dicitur : « Dominus pugnabit pro vobis, » et vos tacebitis<sup>1</sup>; » vel si unus est : « Noli, inquit, timere; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis<sup>2</sup>. » O eremus, mors vitiorum, ac procul dubio fomes et vita virtutum! Te lex attollit, te prophetia miratur, et quicumque ad perfectionis cumulum pervenerunt, tuum novere præconium. Porro tibi Moyses debet legis bis acceptæ decalogum; per te Elias agnovit Domini pertransientis excursus; per te Eliseus duplicem magistri sortitus est spiritum; et quid amplius dicam, quandoquidem Salvator mundi in ipso redemptionis humanæ primordio præconem suum tui (2) accolam fecit, quatenus sub ipsa jam sæculi venientis aurora, ex te lucifer veritatis erumperet, post quem (3) plenus sol veniens mundi caliginem splendoris sui radiis illustraret? Tu scala Jacob, quæ homines vehis ad cælum, et Angelos ad humanum deponis auxilium. Tu via aurea, quæ homines reducis ad patriam; tu stadium, quod bene currentes provehis ad coronam. O vita eremitica, balneum animarum, mors criminum, purgatorium sordidorum. Tu mentium secreta purificas, squalores scelerum diluis, atque ad angelicæ nitorem munditiæ pervenire animas facis. Cella nempe est conciliabulum Dei, et hominum compitum in carne

<sup>1</sup> Exod. xiv, 14. — <sup>2</sup> 4 Reg. vi, 16.

(1) Cod. absque ullo latinitatis colore *vine*. — (2) Cod. male *cui*. — (3) Id. *postquam*.

degentium et spirituum supernorum. Illic siquidem superni cives ad colloquia humana conveniunt, ubi non tam linguæ carnis verba componunt, quam (1) sine vocis strepitu facunda mentium arcana patescunt. Cella denique conscia est secreti consilii, quod habet cum hominibus Deus. Quam pulchra rerum species, cum frater in cella constitutus nocturnas peragit psalmodias, et quasi pro divinis castris militares custodit (2) excubias! Contemplatur in cœlo cursus siderum, decurrit (3) etiam per os ejus ordo psalmorum; et sicut præcedentes ac subsequentes stellæ ad diem suas vicissitudines alternando perveniunt, ita psalmi ex ore ejus tanquam ex quodam oriente procedunt, et ad suum finem paulatim velut parili cum sideribus æquatione (4) decurrunt. Iste suæ servitutis exhibet ministerium, illæ delegatum sibi exequantur officium. Iste psallendo intrinsecus ad lucem tendit inaccessibilem, illæ sibi invicem succedendo ejus exterioribus oculis visibilem reparant diem, et dum utraque ad suum finem diverso itinere properant, servo Dei quodammodo et ipsa elementa subserviando concordant. Cella denique testis est, quanto divini amoris igne cor ferveat, et utrum perfectæ devotionis instantia quis Dei faciem quærat. Novit cum mens hominis cœlestis gratiæ rore perfunditur, et per compunctionis fletum lacrymarum inundantium imbribus irrigatur; ubi, etsi ex carnis oculis lacrymæ non erumpunt, ipsa tamen amaritudo cordis a lacrymarum fructibus non elongat; quia quod ex ramo exterioris arenti (5) non colligitur, in ipsa humidi cordis virenti semper radice servatur. Sufficit enim, si mens sit flebilis, etiamsi jugiter flere non possit. Cella est ergas-

(1) Cod. *quæ*. — (2) Id. *custodiunt*. — (3) Id. *decursum*. — (4) Id. *quatione*. — (5) Id. *absque sensu accidentiæ*, quod opinando corrigere tentavimus.

terium, ubi pretiosi lapides poliuntur, quatenus in structura templi postmodum sine ullo cudentis mallei sonitu disponantur.

V. O cella, Dominicæ sepulturæ propemodum æmula, quæ in peccato mortuos suscipis, et per afflatum sancti Spiritûs Deo reviviscere facis! Tu es ab hujus vitæ turbida vexatione sepulcrum, sed cœlestis vitæ pandis introitum. Te portum tranquillitatis inveniunt, qui naufragium mundani fluctûs evadunt, Te potentis medici conclave decernunt, qui vulnerati in prælio hostiles manus effugiunt. Mox enim ut tui culminis umbræ perfecto corde succeditur (1), omnis sauciatae animæ livor, omnis certe interioris hominis plaga curatur. Te Jeremias aspexerat, cum dicebat: « Bonum est, inquit, præstolari » cum silentio salutare Domini; bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius et » tacebit, quia levavit se super se<sup>1</sup>. » Habitatorem enim tuum se elevat super se, quia dum esuriens anima a terrenarum se rerum obtutibus erigit, et in divinæ se contemplationis arce suspendit, a mundi se actionibus segregat, atque se in altum cœlestis desiderii pennis librat. Cum illum qui est super omnia conspicere satagit, semetipsum quoque homo cum reliqua mundanæ vallis dejectione transcendit.

VI. O cella, spirituale prorsus habitaculum, quæ de superbis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in superna charitate ferventes! Tu otiosæ linguæ frenum, tu luxuriosis renibus nitidæ castitatis adhibes cingulum. Tu facis ut leves quique ad gravitatem redeant, ut jocosus scurrilitatibus parcant, ut vaniloqui se sub districta silentii censura

<sup>1</sup> Thren. III, 26-28.

(1) Cod. *succenditur*.

constringant. Tu jejuniorum ac vigiliarum victrix; tu patientiæ custos; tu purissimæ simplicitatis magistra, ac omnino fraudulentæ et (1) duplicitatis ignara. Tu facis ut vagos quosque Christi catena coërceat; ut indisciplinati moribus a sua se pravitate compescant. Tu nosti homines ad perfectionis culmen evehere, atque ad consummatæ sanctitatis fastigium sublimare. Tu facis ut homo sit hilaris atque jucundus, ac nulla a semetipso morum sit inæqualitate diversus. Tu hominem facis lapidem quadrum, construendis videlicet cœlestis Jerusalem incenibus aptum; qui nimirum non ex levitate morum se versatilem præbeat, sed fixus semper in sanctæ religionis gravitate persistat. Tu homines a semetipsis (2) extraneos reddis, et vasa vitiorum florere virtutibus facis. Tu « Nigra, sed formosa, sicut tabernaculum Cedar, » sicut pellis Salomonis<sup>1</sup>. » Tu lavacrum tonsarum<sup>2</sup>, tu sicut piscina in Hesebon<sup>3</sup>. Oculi tui sicut columbæ super rivos aquarum quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima. Tu namque es speculum animarum, ubi se mens humana perspicaciter intuens, quod minus est impleat, quod superfluum respuat, quod obliquum est dirigat, quod deforme componat. Tu nuptialis es thalamus, in quo sancti Spiritûs arrha tribuitur et cœlesti sponso felix anima fœderatur. Recti diligunt te, et qui te fugiunt veritatis luce privati, quo gressus ponere debeant, non agnoscunt. « Adhæreat lingua mea faucibus » meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio lætitiæ meæ<sup>4</sup>. » Illud etiam de te cum eodem Propheta alacri libet voce cantare: « Hæc requies mea » in sæculum sæculi; hîc habitabo quoniam elegi eam<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Cant. 1, 4. — <sup>2</sup> Id. 17, 2. — <sup>3</sup> Id. VII, 4. — <sup>4</sup> Psal. cxxxvi, 6. — <sup>5</sup> Id. cxxxi, 14.

(1) Deest *et* in cod. — (2) Id. pessime a *semetipsos*.

» Quam pulchra es, et quam decora, charissima, in  
 » deliciis<sup>1</sup>. » Sub figura tui Rachelem venustus vultus (1)  
 ornavit<sup>2</sup>, et « Maria optimam partem, quæ nunquam  
 » auferetur, elegit<sup>3</sup>. » Tu areola aromatum, tu fons hor-  
 torum, tu malum punicum. Licet enim nescientibus  
 amara videaris in cortice, sed magnum est quod intrinse-  
 cus latet, cum perventum fuerit ad suavitatem medullæ.

VII. O eremus, mundi persequentis effugium, labo-  
 rantium quies, mentium consolatio, ab æstu sæculi re-  
 frigerium, peccandi repudium, libertas animarum!  
 Te David petiit cum mundi mala perferret, cum timidi  
 et tenebrosi cordis tædium sustineret. « Ecce, inquit,  
 » elongavi fugiens, et mansi in solitudine<sup>4</sup>. » Et quid alios  
 memorem, quandoquidem ipse Redemptor hominum in  
 exordio suæ manifestationis, invisere, ac propria te (2)  
 dignatus est habitatione sacrare? Postquam enim bap-  
 tismatis aquam (3), qua lotus est, lavit, ut Evangelista tes-  
 tatur, statim « Spiritus expulit eum in desertum, et erat  
 » in deserto quadraginta diebus, et quadraginta nocti-  
 » bus, et tentabatur a Satana, eratque cum bestiis<sup>5</sup>. »  
 Debitorem ergo se tibi mundus agnoscat, unde prædi-  
 caturum ac miracula facturum suscepisse se Dominum  
 non ignorat. O eremus, terribile malignis spiritibus ha-  
 bitaculum, ubi cellæ monachorum velut tentoria ordi-  
 nata castrorum, quasi turres Sion, et quasi propugnacula  
 Israël, eriguntur adversus Assyrios, et contra faciem Da-  
 masci! Imo cum in eisdem cellulis uno spiritu diversa  
 geruntur officia, dum videlicet hic psallitur, illic oratur,  
 in illa scribitur, in aliis vero operibus variis manuum in-

<sup>1</sup> Cant. VII, 6. — <sup>2</sup> Gen. XXIX, 17. — <sup>3</sup> Luc. X, 42. — <sup>4</sup> Psal. LIV, 8. —  
<sup>5</sup> Marc. I, 12.

(1) Cod. *Rachelem venusti vultus ornavit.* — (2) *Id. male proprietate.*  
 — (3) *Id. aqua.*

sudatur, quis non hæc divina verba eremo congruere (1) videat, quibus dicitur: « Quam pulchra tabernacula » Jacob et tentoria Israël! ut valles nemorosæ, ut horti » juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas<sup>1</sup>! » Et quid amplius dicam de te, o vita eremitica, vita (2) sancta, vita angelica, vita benedicta, vivarium animarum, exedra gemmarum cœlestium, curia spiritualium senatorum. Odor tuus cunctorum aromatum fragrantiam superat; sapor tuus super distillantes favos, super omnia mella guttur illuminati cordis obdulcat; atque ideo quidquid est quod de te dicitur, dignitatis tuæ meritis non æquatur, quia lingua carnis nullatenus exprimere sufficit quod spiritus invisibiliter sentit; et quod tu sapis in interiori gustu atque in medulla cordis, nunquam plene explicat corporalis organum vocis. Illi te noverunt, qui te diligunt; illi præconia tuæ laudis agnoscunt, qui in tui amoris amplexibus delectabiliter requiescunt. Cæterum qui ignorat se, quomodo prævalet nosse te? Me etiam nihilominus tuæ laudis imparem fateor; sed unum pro certo scio, o vita benedicta, quod de te indubitanter affirmo, quia quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem habitator est tuus, sed ejus inhabitator est Deus. Diabolus illi suis tentationibus servit, atque illuc eum tendere, unde ipse dejectus est, gemit. Victor itaque dæmonum, socius efficitur Angelorum; exul mundi, hæres est paradisi; abnegator sui, sectator est Christi; et quia per ejus nunc vestigia graditur, peracto cursu sine dubio ad societatis ejus gloriam provehetur. Atque ut ipsum fidenter dicam, qui singularem vitam

<sup>1</sup> Num. xxiv, 5, 6.

(1) Cod. male *arguere*. — (2) Deest *vita* in cod.

usque ad finem vitæ pro divino amore tenuerit, de habitaculo carnis egressus, ad ædificationem perveniet, domum non manufactam æternam in coelis<sup>1</sup>. »

---

## EPISTOLA

### De septem petitionibus in *Pater noster*.

*Hæc adhortatio, seu potius epistola, aut quovis hanc alio nomine nuncupari volueris, extrahitur ex Cod. Cass. CCCLXXXVII, fol. 189. Non dissentit a doctrina, quam inuuit breviter sanctus Augustinus in lib. II de Sermone Domini in monte, num. 38, ubi pariter septem petitiones Orationis Dominicæ confert cum septem donis Spiritus sancti et septem Beatitudinibus.*

## SYNOPSIS.

I. Quinque septena in Scripturis. Quæ? II. Septem vitia sunt principalia. III. Septem pariter petitiones contra hæc septem vitia, quibus conveniunt septem dona Spiritus sancti, et septem beatitudines. IV. Prima petitio contra superbiam. V. Secunda petitio contra invidiam. VI. Tertia petitio contra iram. VII. Quarta petitio contra tristitiam. VIII. Quinta petitio contra avaritiam. IX. Sexta petitio contra gulam. X. Septima petitio contra luxuriam.

I. QUINQUE septena, frater, in sacra Scriptura inveni, quæ volo si possum, sicut postulas, prius singillatim enumerando ab invicem distinguere, postea vero

<sup>1</sup> 2 Cor. v, 1.



quam inter se convenientiam habeant (1), eadem per singula conferendo, demonstrare. Primo loco septem ponuntur vitia, prima superbia, secunda invidia, tertia ira, quarta tristitia vel accedia, quinta avaritia, sexta gula, septima luxuria. Contra hæc secundo loco constituuntur septem petitiones, quæ in Dominica oratione inveniuntur, prima, qua dicitur Deo: « Sanctificetur nomen » tuum<sup>1</sup>; » secunda, qua dicitur: « Adveniat regnum » tuum, » et sic de cæteris. Tertio loco sequuntur septem dona sancti Spiritus, primum spiritus timoris Domini; secundo spiritus pietatis; sic de aliis. Deinde quarto loco succedunt virtutes septem, prima paupertas spiritus, id est, humilitas; secunda mansuetudo sive benignitas; tertia compunctio, sive dolor; quarta esuries justitiæ, sive desiderium bonum; quinta misericordia; sexta cordis munditia; septima pax. Novissime quinto loco disponuntur septem beatitudines, prima regnum cœli cœlorum; secunda possessio terræ; tertia consolatio; quarta justitiæ saturitas; quinta misericordia; sexta visio Dei; septima filiatio Dei. Hæc ita distingue, ut intelligas ipsa vitia esse languores animæ; ipsum vero hominem ægrotum; medicum Deum; dona Spiritus sancti antidotum; virtutes, sanitatem; beatitudines scilicet intelligas felicitatis gaudium.

II. Sunt ergo septem principalia vitia, e quibus quasi ex fontibus universa vitia oriuntur, de quibus flumina Babylonis exeunt, et in omnem terram adducta stillicidia iniquitatum diffundunt. Et Psalmista: « Super flumina » Babylonis, etc.<sup>2</sup>. » De his ergo septem vastatoribus, et universam naturæ integritatem corrumpentibus, simulque

<sup>1</sup> Matth. vi, 9-13. — <sup>2</sup> Psal. cxxxvi, 1.

(1) Deest vox *habeant* in cod.; sed hanc requirit sensus.

malorum omnium germina producentibus loquamur. Septem ergo sunt, et ex his tria hominem expoliant; quartum expoliatum flagellat; quintum flagellatum ejicit; sextum ejectum seducit; septimum seductum servituti subjicit. Superbia enim aufert homini Deum; invidia proximum; ira seipsum; tristitia spoliatum flagellat; avaritia flagellatum ejicit; gula ejectum seducit, luxuria seductum servituti subjicit. Superbia namque est amor propriae excellentiae, quoniam mens singulariter diligit bonum quod habet, et sine eo a quo bonum accepit. O pestifera superbia, quid agis? Cur suades radio ut a sole se separet, et rivo ut a fonte divertat cursum, nisi ut et ille dum infundi desinit (1) arescat, et iste dum ab illuminante se avertitur, tenebrosus sit. Utrumque vero dum accipere cessat id quod nondum habet, continuo illud etiam quod habet amittit. Sicut enim omne bonum veraciter a Deo est, ita nullum bonum extra Deum utiliter haberi potest, et idcirco superbiam semper invidia sequitur, quia qui illic amorem non figit, ubi omne bonum est, quantum de suo perverse extollitur, tanto gravius de alieno bono torquetur. Suae igitur elationi justissime poena deputata est ipsa, quam de se gignit invidia, quae quia omnium bonum diligere noluit, recte nunc boni alieni livore tabescit, quia profecto alienae felicitatis successus non ureret, si illum a quo est omne bonum possideret per amorem. Neque enim alienum a se judicaret bonum alterius, si ibi diligeret, ubi suum et alterius bonum possideret. Nunc ergo quantum se per elationem contra Creatorem extollit, tantum per livorem sub proximo cadit; et quantum ibi fallaciter erigitur, tantum hic veraciter praecipitatur. Sed neque hic se sistere potest semel incepta (2) corruptio. Mox enim ut de

(1) *Ued. uesinat*, et prius desunt quae de rivo dicuntur. — (2) *Id. sevilis aepta.*

superbia nata fuerit invidia, iram ipsam de se parit; atque ideo id etiam quod habet sibi displicere incipit, quoniam in alio id quod habet non potest agnoscere. Quod ergo tutum per charitatem in Deo habere potuit, quod (1) etiam per elationem extra Deum habere conabatur, perdit. Per invidiam perdit proximum, et<sup>o</sup> per iram semetipsum. Quia igitur omnibus amissis, nihil est unde gaudeat infelix conscientia, per tristitiam in semetipsa colliditur, et quod alieno bono pie lætari noluit, de suo malo juste cruciatur; post superbiam ergo, invidiam et iram, quæ hominem spoliant, continuo tristitia sequitur, quæ nudatum flagellat, cui dum succedit avaritia quæ flagellatum ejicit, quia æterno gaudio amisso, foris consolationem quærere compellit, postea accidit gula, quæ ejectionem seducit, quia animum exterioribus inhærentem (2) hoc vitium, quasi e vicino tentans, per ipsum naturalem appetitum ad excessum seducit: postrema luxuria, quæ seductum violenter servituti subjicit, quia postquam caro per crapulam inflammata est, ardore libidinis superveniente molliter atque enerviter resolutus animus incedere non potest. Servit igitur sævissimæ dominationi mens turpiter subacta, et nisi adveniat Salvatoris exorta pietas, non erit jam unde capta restituatur libertas.

III. Sequuntur ergo septem petitiones contra septem principalia vitia, quibus ille oratur ut subveniat qui et nos orare docuit, et Spiritum bonum orantibus se daturum repromisit. Per superbiam igitur cor inflatur; per invidiam arescit; per iram crepat; per tristitiam conteritur et quasi in pulverem redigitur; per avaritiam dispergitur; per gulam inficitur et quasi humectatur; per luxuriam conculcatur et in lutum redigitur, ita ut jam miser di-

(1) Cod. *et*. Deinde deest *perdit*. — (2) Sic corrigendum duximus; cod. *inrantes*.

cere possit : « Infixus sum in limo profundi<sup>1</sup> ; » ex quo limo evelli non potest , nisi ad illum clamet , et ejus auxilium postulet , de quo Psalmus : « Expectans expectavi Dominum , et respexit me , et eduxit me de lacu » miseriæ et de luto fæcis<sup>2</sup>. » Propterea igitur nos orare docuit , ut totum bonum nostrum ab ipso esse intelligamus.

IV. Prima igitur ejus petitio est contra superbiam , quando Deo dicimus : « Sanctificetur nomen tuum ; » hoc enim petimus , ut det nobis timere et venerari nomen suum , quatenus ei per humilitatem subjecti simus , qui per superbiam rebelles et contumaces extitimus. Huic petitioni datur donum spiritûs timoris Domini , ut ille ad cor veniens virtutem in eo cremet humilitatis , quæ superbiæ morbum sanet ; quatenus ad regnum cœlorum quod angelus superbus per elationem perdidit , homo humilis pervenire possit.

V. Secunda petitio est contra invidiam qua dicitur : « Adveniat regnum tuum. » Regnum siquidem Dei est salus hominum ; quia tunc in hominibus regnare dicitur , quando ipsi homines Deo subjiciuntur , modo per fidem adhærendo , et post mirando ad faciem (1). Qui ergo petit , ut regnum Dei adveniat , profecto salutem quærit hominum , ac per hoc dum communem hominum salutem postulat , livorem sævientium se reprobare demonstrat. Huic petitioni datur spiritus (2) pietatis , ut ipse ad cor veniens ad benignitatem illud accendat , quatenus ad eamdem homo æternæ hæreditatis possessionem , ad quam (3) alios pervenire cupit , ipse perveniat.

VI. Tertia petitio est contra iram , qua dicitur : « Fiat

<sup>1</sup> Psal. LXXVIII, 3. — <sup>2</sup> Id. XXXIX, 2, 3.

(1) Cod. *merendo per speciem*. — (2) Id. *male scilicet*. — (3) Id. *quod*.

» voluntas tua. » Non enim vult contendere, qui dicit : « Fiat voluntas tua. » Sibi placere indicat quidquid voluntas Dei vult in se, vel in aliis. Huic ergo petitioni datur spiritus scientiæ, ut ipse ad cor veniens, erudiat illud, et salubriter compungat intus, ut sciat homo malum quod patitur ex culpa sua provenire, si quid autem boni habuerit ex misericordia Dei procedere, ac per hoc discat in omnibus quæ patitur prosperis sive adversis contra Creatorem non irasci, sed se ad omnia patientem (1) exhibere. Optime ergo per compunctionem cordis quæ, spiritu scientiæ operante, mentis ex humilitate nascitur, ira et indignatio animi mitigatur, quia e converso stultum ira interficit. Hanc autem virtutem, id est, compunctionem, sine dolore præmium consolationis sequitur, ut qui se hic sponte coram Deo per lamenta affligit, illic verum gaudium et lætitiã invenire mereatur.

VII. Quarta petitio est contra tristitiã, qua dicitur : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Tristitiã namque tædium est animi marcidi (2), quando mens quodam modo tædio affecta, et vitio suo amaricata, bona interna non appetit. Propterea ad sanandum hoc vitium deprecari potest misericordiam Domini, ut in se solita pietate, animæ tædio suo languenti, internæ refectionis pabulum admoveat, ut quod ipsa absens nescit appetere, gustu præsentis admonita incipiat amare. Datur ergo huic petitioni spiritus fortitudinis (3), ut fatiscentem animam erigat, quatenus ille, pristini vigoris virtute recepta, ad desiderium interni saporis convalescat. Creat ergo fortitudo in corde famem justitiæ, ut dum hic per desiderium pietatis fortiter accenditur, illic pro præmio plenam beatitudinem consequatur.

(1) Cod. *patientiam*, et non habet *sed*.— (2) Id. *cum mercede*.— (3) Id. *male scilicet fortis*.

VIII. Quinta petitio (1) est contra avaritiam, qua dicitur: « Dimitte nobis, » et cætera. Justum est, ut in reddendo debita non deberet esse anxius, qui in exigendo noluit. Atque cum a nobis per Dei gratiam vitium avaritiæ tollitur, qualiter a nostro debito absolvi debeamus ex proposita salutis conditione donatur. Huic ergo petitioni datur spiritus consilii, qui doceat nos in hoc sæculo libenter peccantibus in nos misericordiam impendere, ut in futuro cum pro peccatis nostris rationem reddaturi sumus, mereamur misericordiam invenire.

IX. Sexta petitio est contra gulam, qua dicitur: « Ne » nos inducas in tentationem, » id est (2) induci permittas in tentationem. Hæc est tentatio, qua nos illecebra carnis, per (3) naturalem appetitum ad excessum trahere nititur, et latenter voluptatem subjicit, dum manifeste nobis de necessitate blanditur. In quam (4) profecto tentationem tunc nequaquam inducimur si sic studemus, secundum mensuram necessitatis naturæ subsidium impendere, ut tandem semper meminerimus appetitum ab illecebra carnis coërcere. Quod ut implere valeamus, datur nobis spiritus (5) intelligentiæ, ut interna refectio verbi Dei appetitum exteriorem cohibeat et mentem spiritualiter roboret, ne valeat corporalis egestas frangere, neque (6) carnis voluptas superare. Propterea namque ipse Dominus tentatori suo respondit: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod » procedit de ore Dei<sup>1</sup>, » ut aperte monstraret quia, cum mens illo interiori pane reficitur, non magnopere curat si foris ad tempus carnis famem patiat. Datur ergo contra gulam spiritus intelligentiæ, sed ille ad cor veniens emun-

<sup>1</sup> Matth. iv, 5.

(1) Cod. male *proprie*. — (2) Id. male *idem*. — (3) Id. male *sæpe*. — (4) Id. male *qua*. — (5) Id. male *scilicet*. — (6) Id. male *nisi*.

dat illud atque purificat, et illum interiorem oculum cognitione verbi Dei, quasi quodam collyrio sanans, eo usque luminosum efficit, ut ad deitatis ipsius claritatem contemplandam prospicax fiat. Contra vitium igitur gulæ remedium opponitur spiritus (1) intelligentiæ, ex quo nascitur cordis munditia. Munditia vero cordis visionem Dei promeretur, sicut scriptum est: « Beati mundi corde, » quoniam ipsi Deum videbunt<sup>1</sup>. »

X. Septima petitio est contra luxuriam, qua dicitur: « Libera nos a malo. » Convenienter sane servus libertatem petit, et ideo huic petitioni datur spiritus sapientiæ, qui amissam captivatis (2) libertatem restituat et jugum iniquæ damnationis evadat. Sapientia namque a sapore dicitur, cum mens gustu æternæ dulcedinis tracta (3), jam se per desiderium colligit intus, nec foris in carnis voluptate enerviter dissolvitur. Spiritus ergo sapientiæ cor sua dulcedine tangens, et foris concupiscentiæ ardorem temperat, et, sopita concupiscentia, intus pacem creat, quatenus dum mens tota ad internum gaudium colligitur, plane ac perfecte homo ad imaginem Dei reformetur, sicut scriptum est: « Beati pacifici, quoniam » ipsi filii Dei vocabuntur<sup>2</sup>. » Quod nobis ipse præstare dignetur, qui hoc præcepit Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Matth. v, 8. — <sup>2</sup> Ibid. 9.

(1) Cod. *scilicet*. — (2) Id. *male quia mittam captivatio*. — (3) Id. *male tractate*.





APPENDIX  
SERMONUM INEDITORUM  
SANCTI AURELII  
AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI  
CLÁSSIS III.

SERMONES  
DE SANCTIS.

---

SERMO XXXIV.

In Cœna Domini I.

*Rejicitur hic sermo in appendicem propter rationes sæpius memoratas, cum extrahatur ex cod. x, fol. 17 b, Bibl. Ædil. Locus ejus post sermonem cXLIX appendicis cum numero in Cœna Domini II.*

SYNOPSIS.

I. Christus per novum Pascha, Pascha vetus finit. II. Corpus

et sanguinem dedit Christus sub panis et vini figura. III. Christus hæc symbola adhibuit, ne homines a carnis sumptione abhorrent. IV. A solis sacerdotibus, bonis aut malis, conficitur Eucharistia, quæ sæpius propter peccata nostra iteratur. V. Panis specie charitas commendatur. VI. Unusquisque se probet antequam accipiat corpus Domini. VII. Nemo accedat cum odio ad sacramentum charitatis. VIII. Pacis commendatio et encomium.

I. IMMINENTE, fratres charissimi, Domini passionis circulo, quoniam jam erat in ipsa traditione ipse Deus et homo, qui prius legales observantias et sacrificia tenuerat, quæ omnia fuerant figura passionis et incarnationis ejus; se, ipso veniente, noluit liberum dimittere ab (1) aliqua lege. Voluit tamen Deus et homo perfectus agnum figuratum comedere et immolare, et umbram rei futuræ tamdiu servare, donec immolatio sui fieret. Itaque, fratres, ante tempus suæ passionis voluit Pascha vetus cum Discipulis celebrare, et agnum comedere, quem tamen nunquam antea (2) Salvatorem comedisse meminimus; deinde veteribus figuris fidem dare. Post cœnam igitur agni, corpus suum et sanguinem Apostolis suis distribuit; si enim corpus suum prius dedisset, deinde agnum comedisset cum Discipulis, non jam (3) fuisset vetus Pascha finitum per novum.

II. Accepit itaque panem, et benedixit, et dedit illis; deinde calicem. Attendite, fratres, quod tota natura humana in anima et in corpore corrupta erat; ideo necesse erat, ut anima per animam, et corpus per corpus liberaretur. Ideo etiam in altari ad utrumque repræsentandum panem et vinum apponimus, ut per panem, corpus Christi factum, et a nobis digne acceptum, corpus nostrum corpori

(1) Cod. *ut liberam dimittere in aliqua lege.* — (2) Cod. *carnes*, pro qua voce legendum forte *antea*, nisi legas *cujus tamen nunquam carnes.* — (3) Cod. *usum.*

Christi immortalitate et impassibilitate quandoque conformandum credamus; et similiter per vinum in sanguinem conversum, et a nobis acceptum, animas nostras animæ Christi credamus conformes fieri in mundo, dum vivimus, et in gloria, dum resurgemus. Et cum anima ibi (1) per aliquod corporeum, sicut corpus, representanda esset, nihil animæ (2) inventum est in omnibus creaturis vicinius, per quod representaretur, quam per sanguinem, qui sedes ipsius animæ dicitur. Sed quia sanguinem quasi horribile naturæ humanæ sumere videbatur, ideo vinum pro sanguine positum est ad significationem animæ. Nec intelligendum quod (3) in sanguinis acceptione solam animam et non corpus, vel in acceptione corporis solum corpus et non animam accipiamus, sed in acceptione sanguinis totum verum Christum Deum et hominem, et in acceptione corporis similiter totum. Licet enim separatim corpus, separatimque sanguinem sumamus, non tamen bis, sed semel Christum sumimus. Ideo tamen modum istum (4) sic accipiendi servamus, quia hoc Dominus sic in cœna constituit. Sed dicet quis: Etiam postquam cœnavit, Apostolis corpus et sanguinem dedit. Quare et nos hoc servare negleximus? cujus causa est, quia licet ipse hoc pro tunc fecerit, non tamen amplius faciendum (5) reliquit. Aqua etiam poni debet cum vino, ut aqua cum sanguine, qui de latere Christi fluxit, repræsentetur; quæ aqua figurat populum, vel baptismum, in quo populus per effusionem sanguinis Christi mundari debebat.

III. Nec dubitare debetis, fratres, quod res (6) per verba sacra sacerdotis et benedictionis in verum Christi corpus convertatur, ita ut panis substantia non remaneat; sed colorem et saporem panis tantum voluit remanere, et sub illa specie veram substantiam corporis Christi latere, ne si in ea qualitate, qua revera est, appareret, verum hominem

(1) Cod. ubi. — (2) Id. nihilominus. — (3) Deest quod in cod. — (4) Cod. modus iste. — (5) Id. fiendum. — (6) Id. quare.

animus hominis assumere abhorreret. Unde dum Dominus dixit : « Nisi manducaveritis carnem filii hominis et sanguinem biberitis (1), non habebitis vitam in vobis<sup>2</sup>, » hoc audientes ex Discipulis quidam abierunt retrorsum, abhorrentes, et putantes quod (2) eum sub specie, qua eis apparebat, juberet comedi. Ideo Dominus cupiens nos non abhorrere, sub specie panis corpus sumendum (3) fidelibus dereliquit. Credere namque debemus, quod per manus cujuslibet sacerdotis, non tamen alterius... (4), quia nulli (5) alteri gratiam concessit Deus. Sacerdotes vero, sive boni, sive mali sint, æqualiter per verba potestativa benedictionis, panem in corpus Domini possunt consecrare, et tunc Spiritum sanctum in illa consecratione esse non est dubitandum. Circa etiam sacerdotem Angelorum choros esse omnino (6) est æstimandum. Hæc namque oblatio Christi corporis ideo quotidie reiteratur, licet (7) Christus semel passus sit, quia (8) quotidie cadimus in peccatis, sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest, ut peccantes sive mortaliter, sive venialiter, videndo Christi corpus, petant gratiam, et petendo etiam gratiam per gratiam obtineant.

V. In specie vero panis sumi voluit Christus, quia ipse est « Panis qui de cælo descendit<sup>2</sup>, » et unionem corporis cum capite voluit designare. Sic ait Apostolus : « Unus Panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus<sup>3</sup>. » Sicut enim ex diversis granis unus panis fit, sic ex diversis membris nos unum corpus Christi in nomine spei, fidei et charitatis efficimur. Itaque qui corpori Christi sicut membrum uniri vult, pani cælesti cum aliis participet. Fregit enim Dominus panem, et dedit,

<sup>1</sup> Joan. vi, 54. — <sup>2</sup> Ibid. 51. — <sup>3</sup> 1 Cor. x, 17.

(1) Cod. *bibetis*. — (2) Deest *quod* in cod.; forte legendum *se pro eum*. — (3) Cod. *sumere dum*. — (4) Hic una deesse videtur linea, nempe *corpus et sanguinem Christi suscipimus*. — (5) Cod. *nullis*. — (6) Id. *male omni non*. — (7) Id. *quia licet*. — (8) Id. *sed quia*.

quia, quod unum est, ab omnibus voluit participari, dicens: « Accipite » per conformitatem, « et comedite » ipsum sacramentum; « hoc facite in meam commemorationem<sup>1</sup>; » ut accipiendò corpus ejus et sanguinem, habeamus passionis ejus memoriam, ut sicut pro nobis mortuus est, ita et nos moriamur in mundo, si necesse fuerit. Et de calice similiter, quem vocavit « Novum Testamentum<sup>2</sup>, » id est, novam promissionem, quia ipsum digne sumentibus non temporalia promittebat, sed æterna. Ideo « Calix Novi Testamenti » dicitur, quia promissio per illum data est nobis. Hæc enim Domini commemoratio debet fieri, donec veniat ad judicium.

VI. Attendite ergo, fratres, quod ait Apostolus nobis: « Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, ad judicium sibi erit et non ad salutem<sup>3</sup>. » Ideo « Homo primo se ipsum probet<sup>4</sup>, » ante quam accedat, utrum in criminali peccato ligatus sit, vel in voluntate faciendorum (1) sit, vel in odio proximi sui sit, vel si proximum diffamaverit, vel si alienum rapuerit, vel si sanguinem effuderit; sic enim probet se ipsum homo, et si in cunctis peccatorem invenerit, doleat de præterito, et caveat de futuro. Sed dolere tantum non sufficit, nisi et opere compleamus. O peccator, offendisti Deum; effunde lacrymas, proba te ipsum antequam ad sacramentum accedas. Ora, jejuna, fac eleemosynas, ut per orationem placeas Deo, per eleemosynas possis placare proximum, per jejunium evitare possis futura mala. Si hoc autem feceris, si contritionem et dolorem habueris, si confessionem et satisfactionem, ut poteris, perfeceris, sic ergo primo proba te ipsum. At sic (2) dicet quis: Alienum rapui, nec reddere (3) possum. Quid ergo, homo? graviter peccasti; in-

<sup>1</sup> Luc. xxii, 19. — <sup>2</sup> Matth. xxvi, 28. — <sup>3</sup> 1 Cor. x, 27-29. —

<sup>4</sup> Ibid. 28.

(1) Nempe peccatorum, nisi legas facinorum. — (2) Cod. et si. — (3) Id. dicere.

gemisce , percutite pectus , effunde lacrymas ; habeto voluntatem reddendi , si possis (1) , sed si possibilitas non fuerit , ut asseris , sufficit bona voluntas. O fratres , cavete a rapina , ne submergamini in infernum. O quantum dulce est alienum sine magno labore rapere ! o quam forte , o quam difficile , o quam quasi impossibile est bene omnia rapta reddere , ut debemus ! Omnia tamen acquiruntur cum pœna et labore , sed longe fortius amittuntur cum dolore. Probet ergo se ipsum homo , et si sic de peccatis doluerit , secure accedat ; de pane illo edat , et de calice bibat. Probet ergo se ipsum homo , ante semper quam accedat. Non comparatione aliorum , sed pro se solo , qualis sit vel fuerit , consideret , quia « Qui manducat et bibit indigne , in » iudicium sibi erit. » Ideo , ut ait Apostolus , « Inter nos » multi infirmi et imbecilles dormiunt<sup>1</sup> » in damnatione mortis , qui ad hoc sacramentum indigne accesserunt , quorum etiam mortem et damnationem in presenti vita super tales (2) advenisse jam cernimus , dum febribus et aliis multis necessitatibus puniuntur.

VII. Itaque , fratres , pacem habeamus , ut (3) corda nostra ab omni malo mundantes , secure accedere possimus ad corpus Christi et sanguinem. Itaque , fratres mei , cum ad unitatem custodiendam voluerit (4) Dominus corpus suum assumi et participari a nobis , si aliquis a pace et unitate discedat per iram , vel discordiam , vel odium , non digne accipiet corpus Domini , nec participatione ejus poterit cum Christo uniri. Sicut enim charitatis vinculum plures unit , ita discordia et odium , quod unum est dividit. Videte igitur , fratres , ne venenum discordiæ inter vos odium generet , et ne dulcedinem charitatis in vobis corrumpat. Respicite caput nostrum , respicite causam

<sup>1</sup> I Cor. XI, 30.

(1) Cod. *reddendi* , *si posses*. — (2) *Quorum super tales* , locutio dura , quasi vellet auctor dicere *quorum super quosdam*. — (3) Cod. *et*. — (4) Id. *voluit*.

redemptionis nostræ. Ex sola enim dilectione salvavit nos Christus. «Deus enim qui dives est per omnia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui » peccatis, vivificavit nos; gratia enim ejus salvati sumus<sup>1</sup>. » Itaque « Cum inimici essemus, sumus reconciliati Deo per » mortem ejus<sup>2</sup>. Majorem hanc dilectionem nemo habet, » ut animam suam ponat quis pro amicis suis<sup>3</sup>; » et tamen Christus majorem habuit, quia (1) cum adhuc infirmi essemus, reconciliati sumus Deo per mortem ejus, et sic pro impiis tempore (2) mortuus est. Hanc dilectionem nemo alius habet, ut pro inimicis moriatur. Quis enim fidelium audet pro bono aliquid mali pati? quis sponte hodie inimico parcat? quis alapam inimico non (5) præparat? quis verbum injuriosum sustinet? quis debitoribus parcat? quis pro Christo hodie audet? O fratres, ubi Patriarcharum charitas? ubi hodie Prophetarum reprehensionis assiduitas? ubi Apostolorum labor et mendicitas (4)? ubi Martyrum aviditas? ubi Confessorum et Virginum perseverantia et longanimitas? ubi sanctarum Monacharum et Viduarum orationum et eleemosynarum firmitas? Non est hodie pax in terra nostra; non est jam hodie in terra qui bene faciat; non est qui pacem loquatur cum proximo; non est hodie in terra charitas, quoniam superabundavit iniquitas, imo charitas multorum refrigerata est<sup>4</sup>. Quid ergo, fratres, faciemus, si pacem et dilectionem cum proximo non habuerimus? Nam sine pace et dilectione beati esse non poterimus, nec beatorum regnum quis unquam intravit cum odio.

VIII. Quod si illud, o peccator, obtinere cupis, semper pacem habere memento, cum nil pace et dilectione perfectius. Hæc est illa summa virtus et beatitudo, quam An-

<sup>1</sup> Ephes. II, 4. — <sup>2</sup> Rom. v, 10. — <sup>3</sup> Joan. xv, 13. — <sup>4</sup> Matth. xxiv, 12.

(1) Cod. qui. — (2) Forte amore. — (3) Deest non in cod. — (4) Cod. pessime mendacitas.

geli cupiunt, quam Sancti affectant, quam demones odiant. Hæc est Paradisi porta, scala virtutum, morum disciplina; hæc est Christianorum vita, Paganorum quies, Judæorum expectatio; hæc est Beatorum solatium, Medicorum salus, Perfectorum refugium; hæc est Christi mater et doctrina, ad quam semper Apostolos invitavit, ad quam dulciter conduxit, ad quam fortiter inflammavit in cœna hodierna die solemniter celebrata, ut eorum animo firmiter tanquam testamentum maneret relinquens, exemplo et dictis seminans, dicens: «Pacem relinquo vobis, pacem meam do» vobis, non quo modo mundus dat, ego do vobis<sup>1</sup>. » Numquid non (1) sæpe mundi pax mala est, sæpe falsa est, sæpe ficta est, sæpe deceptibilis est, et non diu mansura? Hanc autem pacem vobis non relinquo, quoniam mea non est; sed illam vobis do et assigno, et pro testamento relinquo, quæ exsuperat omnem sensum. Ipsa ergo pax, fratres mei, custodiat corda vestra in Christo Jesu Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Joan. xiv, 27.

(1) Deest *non* post *numquid* more solito.



## SERMO XXXV.

## In Cœna Domini II.

*Ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 18, eductus hic sermo, ponatur post præcedentem cum numero in Cœna Domini III.*

## SYNOPSIS.

I. Christi humilitas lavantis pedes Discipulorum. II. Humilitas et Petri. III. Sic pastores lavent in subditis pedes corporis et mentis. IV. Petrus vult abundantius lavari, ne partem cum Christo perdat. V. Exhortatur Discipulos Christus ad charitatem et pacem.

I. « ANTE diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, in finem (1) dilexit eos<sup>1</sup>. » Discessurus enim a Discipulis ad tempus, qui remanebant in mundo, ne tribularentur ad invicem, nec etiam dividerentur, in fine specialiter ostenditeis signum amoris, ne eum propter timorem relinquerent (2) animo. Invitavit enim eos ad concordiam inter cætera, quæ est summa fidelium victoria, per quam diabolus debellatur. Quibus invitatis, « Surgit a cœna et deposuit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, præcinxit se: deinde mittens aquam in pelvim, cœpit lavare pedes Discipulorum, » et manus mulierum (*sic*), ut ait sanctus Cyprianus martyr, « et extergere linteo, » quo erat præcinctus<sup>2</sup>. » Quam humilitatem cum Petrus

<sup>1</sup> Joan. XIII, 1. — <sup>2</sup> Ibid. 4, 5.

(1) Cod. *in fine*. — (2) Id. *reliquerent*.

videret, exclamavit coram illa multitudine Apostolorum et Discipulorum, dicens : « Tu mihi lavas pedes<sup>1</sup> ? Absit, Domine, non fiet istud. Numquid non (1) tu Magister et ego Discipulus ? numquid non ego malus et tu bonus ? numquid non tu Pater cunctorum, et ego pauper piscator ? numquid non tu dives et ego pauper ? numquid non tu sapiens et ego grossissimus virorum ? numquid non tu David filius, et ego Joannis Cromani (2) piscatoris filius ? Cur ergo, Domine, vis mihi pedes lavare ? tu Deus et ego homo, tu Creator et ego vilis creatura ; tu sedes super thronum Angelorum, et ego miser sum constitutus in terra. Tu ergo mihi lavas pedes ? tu palmo cælum et terram concludis, et ego tantum sine te ignoro remigare. Magister, tu ergo mihi lavas pedes ? Absit. « Domine, non lavabis mihi pedes in » æternum<sup>2</sup>. » Et tunc cælorum Deus, ante (5) piscatorem semper genibus flexis, serena et jucunda facie in quam desiderant Angeli respicere, dixit : Petre, « Quod ego facio, » tu nescis modo ; scies autem postea<sup>3</sup>. » Nam bene Magister postea Petro et cæteris Discipulis, postquam eorum pedes lavit, dixit : « Scitis quid fecerim vobis ? Ego Dominus et Magister lavi pedes vestros, et vos etiam debetis » alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, » ut et vos similiter faciatis<sup>4</sup>. »

III. Attendere nanque debent Pastores, ut lavent pedes suorum subditorum, non solum corporis, sed etiam mentis ; ne velut infecti et putridi Pastores cum ovibus in æterna vita sordescant. Attendite, o vos, Ecclesiarum Pastores et agnorum Christi ; ecce ad perfectam suam humilitatem et dilectionem hodierna die singulos invitavit ; ne aliquis ex vobis erubescat facere, quod ipse cunctorum Magister facere demonstravit. Et certe vilissimum (4) hactenus vide-

<sup>1</sup> Joan. xiii, 6. — <sup>2</sup> Ibid. 8. — <sup>3</sup> Ibid. 7. — <sup>4</sup> Ibid. 14, 15.

(1) Deest *non* in cod., juxta morem, et sic deinceps. — (2) Sic cod. Unde illud sumpserit auctor, nescio. — (3) Cod. *quando*. — (4) Cod. *ut ille et vilissimus*, absque sensu.

batur potenti personæ, fœdos alicujus pedes lavare; quod etiam sanctus Abraham propria manu non dignabatur<sup>1</sup>, sed servos ad hoc deputatos in domo pro transeuntibus cum magno fervore tenebat. Sed modo, o quam gloriosum, o quam decorum, o quam ineffabile pedes infectos lavare mentis et corporis! o quanti meriti, o quanti lucri est, proximi pedes mentis a sorde peccati abluere! Vade ergo, o Pastor, lava pedes camelorum tuorum, ut ambulare possint ad montem Dei Oreb; nam debiles sunt; adjutorio indigent. Lava ergo eos, infunde in pedibus (1) mentis Christi humilitatem; fac quod Christus fecit; nam propter te hoc fecit. Sequitur, fratres: nunc audite quod locutus fuerit Christus piscatori. Ait enim Magister humilitatis: « Si non laverò te, non habebis partem mecum<sup>2</sup>. »

IV. Quo verbo prolato, altius clamat Petrus, pedes parat, manus festinat, pectus discooperire accelerat, caput inclinat, corde et membris ante Salvatorem se inclinat, et dicit: « Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, » et caput<sup>3</sup>, » ut non expellas me ab expectatione mea. Et quid mirum, fratres, si Petrus hoc dicebat? Nam tantam lætitiã, tantam gloriam, tantum gaudium (2) in transfiguratione Petrus viderat, quod sine Christo vivere se posse (5) non credebatur.

V. Et lotis Discipulis, cœpit eis dicere et ad dilectionis vinculum exhortari: « Quo ego vado, vos non potestis modo » sequi<sup>4</sup>; » et necesse est, ut vos corpore relinquam; ideo « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem: in hoc enim agnoscent quia mei estis discipuli, si dilectionem » habueritis<sup>5</sup>. » Discessurus sum a vobis ad tempus, et vado ad Patrem, et parabo vobis viam, et murum qui est inter vos et Patrem obruam; ideo « Non potestis venire modo. »

<sup>1</sup> Gen. XVIII, 4. — <sup>2</sup> Joan. XIII, 8. — <sup>3</sup> Ibid. 9. — <sup>4</sup> Ibid. 33. — <sup>5</sup> Ibid. 34, 35.

(1) Melius legeretur *pedes*. — (2) Cod. *tanta lætitiã, tanta gloria, tanto gaudio*. — (3) Desunt hæc duo verba in cod.

Desero ad præsens; ideo rogo, ut nulla dissensio sit inter vos; non solum rogo, sed et mandatum facio; nec ullus audeat ipsum transgredi, hoc enim mandatum novum voco, quod tamen vetus est, sed novum voco, ut in vobis semper renovetur. Ideo specialius hoc mandatum vobis facio, quia « In hoc cognoscent omnes, quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis<sup>1</sup>. » Certæ enim virtutes possunt esse communes tam bonis quam malis; sed dilectio tantum Christianis debita est. Ecce signum honorum Christianorum, si pacem habent ad invicem, si pacem amant et quærunt, si pacem tanquam divitias amplectuntur: isti sunt prædicandi et dicendi beati, qui totis affectibus pacem concupiscunt. Ipsi veri filii Dei sunt, ipsi cives cælorum, ipsi Angelorum socii, ipsi Sanctorum delectatio. Soli pacifici filii Dei vocati sunt<sup>2</sup>. Qui vere pacem amat, Dei filius est: qui vero pacem frangit vel impedit, ex patre diabolo est, et antichristus est, et perditionis filius<sup>2</sup> est. Quam autem dilectionem debeamus habere, exponit Dominus cum ait: « Sicut dilexi vos<sup>3</sup>. » Non enim dilexit nos Dominus dilectione, qua diligunt homines, nempe (1) homines facientes et operantes iniquitatem, sicut cupidus pecuniam, sicut luxuriosus feminam, sicut hypocrita gloriam. Ista dilectione non dilexit nos Dominus; ideo non tali dilectione debemus diligere homines, sed qua dilexit nos, sicut homo homines; sed propter utilitatem nostram dilexit nos, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus<sup>4</sup>; quod faciat et concedat ipse qui est benedictus in sæcula. Amen.

<sup>1</sup> Matth. v, 9. — <sup>2</sup> Joan. xvii, 12. — <sup>3</sup> Id. xiii, 34. — <sup>4</sup> Ephes. 1, 4.

(1) Cod. *nam*.

## SERMO XXXVI.

## In Coena Domini III.

*Sermo iste eductus ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 19. ut præcedentes, rejicitur in appendicem, non solum propter easdem rationes, sed quia plura continet satis temerarie dicta, et quæ aliquando sanctæ doctrinæ non congruentia videntur, licet et alia multa habeat quæ utiliter colligi possunt. Locus ejus post præcedentem cum numero in Coena Domini IV.*

## SYNOPSIS.

I. Relictis presbyteris et Valerio episcopo, orator Evangelium venit prædicaturus in eremo. II. Christus multa fecit ad Judæ procurandam conversionem. III. Pedum lavatio quo ordine facta. IV. Quid sit, *Non indiget nisi ut pedes lavet*, et de exemplo dato a Salvatore. V. Judas proditor indicatur. VI. Satanus intrat in Judam, qui nocte exit ingratus ad crimen perpetrandum. VII. Christus undecim hortatur ad charitatem, cujus ordo demonstratur. VIII. Pax mandatum novum cœlestis civitatis. IX. Pulso odio, pax sectanda. X. Simplicii miseranda defectio, pro quo facienda oratio.

I. AUDIVIMUS, fratres charissimi, quod « Cum Dominus » intinxisset panem, et daret Judæ, post (1) buccellam » panis intravit in eum Satanus, et ait : Quod facis fac cius. Cum ergo accepisset illam buccellam, exivit continuo : erat autem nox. Cum autem exiisset, ait Dominus

(1) Cod. male iterat quod ante post.

« Discipulis suis : » Surgite (1). Et postea : « Filioli, adhuc » modicum vobiscum sunt; » ergo antequam a vobis recedam, « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, » sicut dilexi vos<sup>1</sup>. » Satis enim novit Charitas vestra quod tota perfectio vitæ et ædificationis nostræ ex Evangelio accipitur, cujus verba a summo nostro Magistro data sunt; ideo pretiosiora sunt, et satis nos hortantur et ædificant quotidie, et ea vobis quotidie representamus, et ad memoriam vobis reducimus, non quia non bene intelligatis, licet in eremo permaneat et segregati sitis a gentibus; at (2) hactenus, antequam essem Presbyter et Episcopus (3), pariter me videre potuistis; sed ideo vobis ad memoriam reduco, non ut vos (4) doceamus, sed ut et me et vos, fratres, moneamus. In Evangelio quidem quod ad præsentem diem pertinet, de patientia, et dilectione, et humilitate instruimur. Ideo, fratres, ut ego valeam una vobiscum corrigi et doceri, relinquere volui Presbyteros meos, quorum vita vestra et apostolica eorum una est; et sanctum senem Valerium etiam corpore hodierna die relinquere non curavi, cupiens vos docere et a vobis doceri, ut fructum aliquem Deo in die tantæ solemnitatis digne pariter offerre possimus.

II. Ideo, fratres, ad expositionem sancti Evangelii accedentes, primo audire et scire vos volo quod Dominus Jesus discipulum Judam multis modis, minis, sacramentis et exemplis, et planctu volens (5) corrigere, et prædictis modis ad correctionem eum invitare (6), ad ultimum eum indicavit (7) in damnationem et ruinam jam esse paratum, dum in cœna dixit : « Qui intingit manum mecum in paropside (8), hic me tradet<sup>2</sup>. » Cum enim Judas pravam suam

<sup>1</sup> Joan. XII, 26-34. — <sup>2</sup> Matth. XXVI, 23

(1) Vox *surgite*, non legitur in Evangelio Joannis. — (2) Cod. *ut*. — (3) Cod. *presbyter episcopus*, sine particula *et*. — (4) *Docet vos* in cod. — (5) Cod. male addit *eum*. — (6) Cod. *invitasse*. — (7) Id. *indicavit*. — (8) *paropside*.

voluntatem nulli patere voluisset (1), Magistrum audiendo erubuit, sed non pœnituit. Multo enim ante passionem dixit: « Nonne (2) duodecim elegi? et unus ex vobis diabolus est<sup>1</sup>. » Et post cœnam ait: « Vos mundi estis, sed non omnes<sup>2</sup>. » Hoc autem Magister dicebat, volens Discipulum verbo corrigere; ecce quomodo eum (3) verbis timoris corripuit (4). Sed videns Dominus quod verbis eum corrigere, ipso nolente, non poterat, studuit eum corrigere (5), et illi (6) timorem æternum incutere, dum ait: « Vae homini illi per quem tradar ego; melius enim fuisset, si natus non fuisset<sup>3</sup>. » Sed videns Dominus cor Discipuli nequiter induratum, ad dilectionem sacramenti eum dulciter invitavit, dicens illi post Petrum et cæteris: « Accipite et manducate: hoc est corpus meum<sup>4</sup>. » Sacramentum enim illud ideo hominibus datur, ut corpus Ecclesiæ capiti coadunetur. Sicut enim multa grana unum panem faciunt, et ex multis racemis unum vinum extrahitur, sic ex multis hominibus Christi corpus constituitur. Obtulit autem Dominus Discipulo sacramentum unitatis, ut eum invitaret ad unitatem dilectionis. Licet etiam propter alios Discipulos humilitatis exemplum præbuerit, tamen ovem perditam recuperare valde cupiebat.

III. Sed videns eum nequiter obstinatum, surgit a cœna, vestimenta deponit, linteo se præcinxit<sup>5</sup>, et ad principem Apostolorum, fratres, ut arbitror, primo pervenit, ante eum se genuflexit Deitas incarnata, Deus ante hominem, Creator ante creaturam, Magister ante discipulum, Rex ante piscatorem, doctus ante indoctum, sapientia ante ignorantiam, pulchritudo ante deformitatem. Ideo Petrus Deitatem incarnatam videns ante se inclinatam, expavit,

<sup>1</sup> Joan. vi, 71. — <sup>2</sup> Id. xiii, 10. — <sup>3</sup> Matth. xxvi, 24. — <sup>4</sup> Ibid. 26. — <sup>5</sup> Joan. xiii, 4, et seqq.

(1) Cod. *potuisset*. — (2) Cod. *non*, sine interrogationis nota. — (3) Id. *eum*. — (4) Id. *correpsit*. — (5) Forte *exterrere*. — (6) Cod. *sibi*, et sic deinceps.

exhorruit, per cœnaculum velut insensatus cucurrit (1), et clamavit: « Non lavabis mihi pedes<sup>1</sup>. » Nam, inquit Petrus, Domine, jam dixi quod eras Christus Filius Dei<sup>2</sup>, et tu mihi lavas pedes? Sed notare debetis, fratres, qui in eremo habitatis. Cur, inquit, « Cœna facta<sup>3</sup> » dicitur, cum post ablutioem pedum dicatur buccellam panis Judæ Dominum porrexisse<sup>4</sup>? Non debemus intelligere cœnam finitam, cum dicatur adhuc panem esse super mensam: adhuc enim cœnabatur, quando Dominus a mensa surrexit, et tamen cœna jam facta dicitur. Intelligere hęc namque debetis, quod non facta erat, sed parata: ad convivandum mensæ jam (2) superducta. Ideo Joannes, aquila grandis, in eadem cœna omnia diligenter attendens, prius nostri Salvatoris celsitudinem veluit commendare, dum ait: « Sciens Jesus quia omnia Pater dedit ei in manus, et quia » a Deo exivit, » et venit in mundum, « et ad Deum vadit<sup>5</sup>. » Magnam Christi potentiam exprimit Joannes, cum omnia Patrem ei dedisse affirmat: magnam celsitudinem Christi prædicat, cum eum a Deo exiisse asserit. Et tamen hodie audimus, quod ille, qui omnia habet in manu, vestimenta deponit. Sed quid mirum, si pro Discipulis vestimenta deponit, qui (5) etiam carnem pro inimicis assumpsit? Et quid mirum, si more famuli præcinxit se linteo, qui formam servi accipiens, habitu invenitur ut homo<sup>6</sup>? Quid mirum si fudit aquam in pelvīm, qui dignatus est sanguinem fundere pro nostra redemptione? Et ait Joannes: « Venit » ergo ad Simonem Petrum<sup>7</sup>. » Videtur denique quibusdam, sicut fuit ille sanctissimus martyr et doctor Cyprianus, ante Petrum Judam lavasse, volens Dominus perditum Discipulum revocare, sed non videtur ratio ponderosa. Ex quo enim jam Petrum cunctorum caput fecerat, accessit

<sup>1</sup> Joan. XIII, 8. — <sup>2</sup> Matth. XVI, 16. — <sup>3</sup> Joan. XIII, 2. — <sup>4</sup> Ibid. 26. — <sup>5</sup> Ibid. 3. — <sup>6</sup> Philip. II, 7. — <sup>7</sup> Joan. XIII, 6.

(1) Hęc longe distant ab Augustini gravitate. — (2) Cod. *usum perducta*. — (3) Id. *quia*.



primo in honore, ut cæteri postea simile facerent. Ideo sic intelligendum est: cum summam (1) rei bene transcurrisset dicendo: «Cœpit lavare pedes, et linteo tergere<sup>1</sup>;» redit postea ad ordinem rei, ostendendo dicens: «Venit ergo ad Simonem<sup>2</sup>.»

IV. Quid est ergo quod postea dicit Dominus: «Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus<sup>3</sup>.» Si est mundus totus, quare necesse est ut pedes lavet? Ideo, fratres, attendere debetis quod hic facit mentionem Dominus de ablutione baptismatis. Qui ergo lotus est in baptismate totus, non est necesse, nisi ut lavet pedes venialium peccatorum, a quibus peccatis humana mens stare non potest immunis (2), nec infans cujus unius diei vita regnat<sup>4</sup>. Paratis denique et consummatis sacræ cœnæ sacramentis, factis et ordinatis Apostolis sacerdotibus, communicatis, et lotis eorum pedibus, iterum intravit mensam et ait: «Scitis quid fecerim vobis? Si ergo ego Deus et Magister lavi pedes vestros, et vos debetis alter alterius lavare pedes<sup>5</sup>.» Si sum Magister, discite a Magistro; si Dominus, erubescat hoc despiciere servus; si jam pepercit proditori, et vos parcere studeatis; si ante eum genuflexi, humiles contra adversarios studeatis esse; si me ab eo permisi osculari, et vos maxillas præbere<sup>6</sup> dignemini; si amicum proditorem vocavi, et vos amicum inimicum vocare non dedignemini corde et ore, quia «Non est servus major Domino<sup>7</sup>.»

V. Et post pauca de filio perditionis<sup>8</sup> dolorem ostendens et dolens, turbatus est in spiritu, et conturbatus ait: «Unus vestrum me tradet<sup>9</sup>.» Oh! quantum doluit Dominus de Discipulo perditio! Oh! quantum studuit eum ad se revo-

<sup>1</sup> Joan. XIII, 5. — <sup>2</sup> Ibid. 6. — <sup>3</sup> Ibid. 10. — <sup>4</sup> Job. XXV, 4, juxta 70. — <sup>5</sup> Joan. XIII, 14. — <sup>6</sup> Matth. V, 39. — <sup>7</sup> Joan. XIII, 16. — <sup>8</sup> Id. XVII, 12. — <sup>9</sup> Id. XIII, 21.

(1) Cod. *summa*. — (2) Deest *immunis* in cod. Hic graviter errare videtur auctor, supponendo venialia peccata post baptismum perstare in infantibus vel unius diei, quod fidei catholice repugnat.

care! Doluit, quia non potuit eum corrigere; doluit quia obstinatum esse cum diabolo cognoscebat, quia super eum sententiam aeternae damnationis daturus erat. Et videntes Discipuli faciem, quam « Angeli aspicere desiderant<sup>1</sup>, » esse turbatam, dixerunt: Quis est iste<sup>2</sup>? quærentes etiam quis eorum esset major<sup>3</sup>. Sed quare hoc, nisi quia arbitrati sunt (1) ut homines? Ille qui major est, ut domine- tur, Magistrum perdere procurat, aliique (2) fortiter de Petro suspicabantur, quia plus et plura se facturum promiserat pro Magistro, suspicantes quia ficto corde toties loqueretur: « Tu es Christus Filius Dei<sup>4</sup>. » Sed quia Petrus in necessitate se sciebat, innuit Joanni ut peteret. Cui Dominus: « Cui panem intinctam porrexero, ille est<sup>5</sup>; » sed cave ne nemini dicas. « Et cum intinxisset Jesus panem, » dedit Judæ<sup>6</sup>. » Non est credendum, quod Dominus alta voce dixerit, quia Petrus si hoc scivisset, dentibus proditorem dilacerasset (3); nec etiam putandum quod Judas tunc Christi corpus sumpserit, quia jam Dominus omnes Discipulos communicaverat et Judam, sicut Lucas evidenter ostendit; panem intinctum tamen Dominus porrigere Discipulo voluit, ut cor illius intinctum (4) veneno significaret.

VI. « Et post buccellam intravit in eum Satanas<sup>7</sup>. » Numquid Satanas non (5) ante corpus ejus intravit? Omnino, fratres, Satanas cor Judæ intravit ante buccellam, sed affectu et voluntate tantum, sed post buccellam intravit effectum et opere: tamen bona fuit buccella, quam Christus Discipulo dedit, bonum etiam sacramentum quod ei tribuit; sed aliquando bona obsunt, et mala prosunt quandoque.

<sup>1</sup> 1 Petr. v, 12. — <sup>2</sup> Luc. xxii, 23. — <sup>3</sup> Ibid. 24. — <sup>4</sup> Matth. xvi, 16. — <sup>5</sup> Joau. xiii, 26. — <sup>6</sup> Ibid. — <sup>7</sup> Ibid. 27.

(1) Id est cogitaverunt. — (2) Cod. *alii qui*, nisi legas *alii erant qui*. — (3) Hæc parum accurate dicta videntur, nec erga Petrum satis reverenter. — (4) Cod. *instincto*. — (5) Deest *non post numquid* in eod., et sic deinceps.

Corpus enim Domini, quod bonum est, malis malum est; et carnis stimulus, qui malus est (1), tamen Paulo bonus est: et quod malum est, ipsi profuisse cognoscimus. Sic, ut supra diximus, fratres, panis iste porrectus sancte fuit (2) a Christo, et a Juda indigne receptus. Fecit ex merito Christus, ut major esset licentia diabolo super eum, et (5) post manifestationem, graviolem vindictam in eum fecit. Subtracta enim gratia, eum Dominus ad malum agendum dimisit, et « Dimisit eum secundum desideria cordis sui, et » ivit in adinventionibus cordis sui <sup>1</sup>, » et prætermittens eum in propria voluntate et arbitrio, ait Discipulo: « Quod (4) » facis fac citius <sup>2</sup>, » quasi dicat Dominus quia non possum te revocare timore verecundiæ nec mortis æternæ, nec amore, do ergo tibi potestatem, ut agas factum, quod jam voluntate fecisti. O Juda, attende quod facis, antequam facias. Nam post factum, gratiam forte pœnitendi habere non poteris (5). O Juda, cupis tradere, qui multa peccata tibi pepercit (6)! Numquid non a morte te sæpe liberavit? numquid non tui amore patrem tuum a lepra liberavit, et matrem, cum qua concubueras, a paralyti etiam liberavit (7)? numquid non te discipulum constituit? numquid non te bursarium fecit? numquid non in furto te sæpe invenit, et semper tibi pepercit? numquid non te post Petrum ut plurimum honoravit (8)? numquid non Christus semper te juxta se habere voluit? numquid non ad pacem, postquam te eum proditurum cognovit, sæpe revocavit? numquid non tibi sacerdoti suum corpus donavit? numquid

<sup>1</sup> Psal. LXXX, 13. — <sup>2</sup> Joan. XIII, 27.

(1) Hæc verba *qui malus* desunt in cod., qui male addit *et ante tamen*. — (2) Hæc verba *sancte fuit* desunt in cod., et illa opinando adjecimus. — (3) Deest *et* in cod. — (4) Cod. *quid*. — (5) Duriora hæc verba, nisi intelligantur de impossibilitate morali, non de impossibilitate absoluta. — (6) *Parcere peccata*, loquendi modus omnino barbarus, sicut et deinceps *vox bursarium*. — (7) Opinio ista de patre et matre Judæ, ejusdemque atroci facinore a doctis plerisque inter fabulas amandatur. — (8) Hoc factum nullibi reperitur, nisi in fabulosis.

non ante te se genuflexit? numquid non pedes lavit? numquid non et eos osculatus est? Cur ergo prodis (1) Magistrum, a quo tot dona recepisti? Sed hæc omnia non considerans, recepta buccella, exivit continuo. Et bene, fratres, exivit, quia vere a Deo et consortio Discipulorum exivit. Et « Erat, inquit Evangelista, autem nox<sup>1</sup>. » Merito nox Discipulo proditori data erat, quia cæcitas ejus mentem caligaverat.

VII. Qui postquam Discipulus ab eis nocte recessit, mox Magister undecim congregavit, et ait: « Filioli mei, modicum cum tempus adhuc vobiscum sum; ideo mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos<sup>2</sup>. » Novus enim erat homo, quia cum quatuor modis generentur homines, aut sine matre, ut Eva; aut sine patre et matre, ut Adam; aut ex patre et matre, ut homines; aut sine patre, ex matre tantum, ut Christus; bene ergo novus erat, quia Deus et homo erat. Novum etiam regnum promittebat, quod nemo promittere ausus fuerat, scilicet cæleste regnum. Ideo novum mandatum dedit. In Lege namque veteri dictum fuerat: « Diliges (2) amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum<sup>3</sup>; » sed Christus novum mandatum dedit, quia amicos et inimicos diligere mandavit. Cæteræ namque virtutes, scilicet fides, spes, oratio, elemosyna, virginitas, ac cæteræ aliæ virtutes, communes etiam et infidelibus esse possunt, sed inimicos diligere tantum Christianorum virtus est; et ideo Magister veritatis dicit: « In hoc cognoscent homines quod mei estis Discipuli, si dilectionem ad invicem habueritis<sup>4</sup>. » Scitote tamen, fratres, quod talis ordo in diligendo servandus est: primo nempe (5) super nos et super omnia Deum diligere debemus, deinde animam nostram quæ nostra proxima est, deinde

<sup>1</sup> Joan. XIII, 30. — <sup>2</sup> Ibid. 33. — <sup>3</sup> Matth. v, 43. — <sup>4</sup> Joan. XIII, 35.

(1) Cod. *prodens*, aut *proderis*. — (2) Cod. male *dilige*. — (3) Cod. *denique*, et deinde *super se*.

corpus quia factura Dei est. Ideo Apostolus dicebat: « Nemo » carnem suam odio habeat<sup>1</sup>. » Ideo nutrire debemus corpus, nec ipsum occidere, sed sustentare ipsum debemus cibo et potu, quantum valetudo permittit. Sic enim vult Deus, sic vult Apostolus, sic et vobis, fratres mei, præcipio. Ideo, fratres, hortor vos et moneo, atque sane præcipio, ut tantum carnem vestram dometis, quantum natura portare potestis. Nam cum videam inter vos quosdam sexagenarios, quosdam centenarios (1), videns eos Dei amore ferventes, corpora eorum crucifigentes, vinum etiam non bibentes, timeo ne potius Deum offendant, quam illi placeant. Talibus stricte in Christi nomine præcipio, ut saltem diebus solemnibus vinum vel cervisiam bibant. Jvenes autem qui fortes sunt, et jam de inimico triumphare cœperunt, in nomine Christi pœnitentiam agant, ne devincantur ab hoste. Sic enim volo; sic et sæpe observari præcepi; sic non occidemus corpora nostra, sed servient (2) suo Creatori. Deinde diligere debemus proximum, scilicet fratrem nostrum, amicum vel inimicum. Ideo attende: « Si inimicum videris » esurire, ciba illum, da illi potum<sup>2</sup>, cooperias eum, et carnem tuam ne despexeris<sup>3</sup>. » Dilectio enim spiritualis bonorum est, quia omnis habens eam bonus est. Numquid etiam cum odio Paradisum quis intravit? Ad infernum sæpe descendisse memini, sed ad cœlum nunquam volare concedam.

VIII. Cupimus ergo, fratres, esse cives civitatis cœlestis? Illa, inquam, civitas habet pacem, et ideo servemus novum mandatum novæ civitatis. Præcipit enim Christus, rex illius civitatis, pacem, et diligit diligentes pacem. « Sequamur ergo pacem, sine qua nemo Deum videre potest<sup>4</sup>. » Quæramus ergo pacem, et postea sequamur pacem; in ipsa Deus habitat, in ipsa quiescit et pausat, quia « Factus est in pace locus ejus<sup>5</sup>. » Non ergo habeamus cor inunctum odio, ne filii Judæ proditoris simus, ne cum eo

<sup>1</sup> Ephes. v, 29. — <sup>2</sup> Rom. x, 20. — <sup>3</sup> Isaï. LVIII, 7. — <sup>4</sup> Hebr. XII, 14. — <sup>5</sup> Psal. LXXV, 3.

(1) Cod. *centennarios*. — (2) Id. *serviant*.

suspendamur, et a diabolo ad infernum pariter cum eo trahamur. Qui enim odium in corde semper portat, secundus diabolus est, et qui pacem impedit, Antichristus est, et qui pacem inter fratres ponere ordinat, vere Dei filius est. Attendite, fratres, Mariam, quoniam «Mulum» dilexit, et ideo dimissa sunt ei peccata multa<sup>1</sup>?» Quid etiam Petro Deus dixit, nisi: «Petre, amas me<sup>2</sup>?» Et quia amavit, meruit et amari, meruit et audire: «Pasce oves» meas, pasce agnos meos<sup>3</sup>.» Quid etiam Discipulo ait qui diligebat Jesum, et quem Jesus diligebat? «Dilecte mi, veni<sup>4</sup> ad me, quia tempus est ut epuleris.» Pacem ergo habeamus, fratres, si pacem cum Christo habere volumus. Si vis amari a Christo, ama inimicum propter Christum. Si ergo vis amari, ama: hanc amplectimini, hanc diligite, hanc pacem et concordiam servate usque ad mortem, si vultis cum Deo pacem habere. Pax enim omnium custodia et cura virtutum est; hanc pacem in suo ortu Angelis præcepit, pacem sæpe annuntiavit Apostolis, pacem prædicari præcepit hominibus, pacem pro testamento Apostolis dereliquit, pacem in cruce pendens postulavit, pacem in sacrificio toti populo prænnuntiari voluit; nulla denique dabitur venia, nisi pacifico viro.

IX. Pellite ergo a vobis hoc odium, mortiferum venenum. Pacem inter vos habete, quia fratres estis; uno enim pani, indumento uno nigri coloris (1), uni aquæ omnes participamus. Revocemus (2) igitur, fratres, ad nostram memoriam quod Dominus ab inimico osculatus est, et tamen amicum vocat illum proditorem. «Amice, inquit, ad quid venisti<sup>5</sup>?» Date igitur reconciliationis pacem, sed non osculum proditionis; qui enim fiete inimicum osculatur, vel verbo blanditur, Judæ proditoris fratrem esse et socium quis dubitabit? sed qui amore Christi, filius Christi est. Vos enim, fratres, quorum vita lux mundi<sup>6</sup>; licet

<sup>1</sup> Luc. vii, 47. — <sup>2</sup> Joan. xxi, 17. — <sup>3</sup> Ibid. 16, 17. — <sup>4</sup> Apoc. xxii, 17. — <sup>5</sup> Matth. xxvi, 50. — <sup>6</sup> Id. v, 14.

(1) Cod. nigro colore. — 2) Id. redeamus.

mundus vos non videat, tamen lucem mundi vos appello et saluto; ideo quia lux estis, « Luceant vestra opera » bona<sup>1</sup>. » Nos qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis, et nomen sanctæ religionis habemus, nigram etiam vestem humilitatis portamus, zonis etiam pelliceis præcincti apparemus, caveamus ne « Similes simus » sepulcris dealbatis, quæ foris pulchra et speciosa apparent, sed intus plena sunt ossibus mortuorum<sup>2</sup>. » Provideamus ne nobis dicatur: « Væ vobis, qui clauditis regnum » cælorum ante homines. » Timeo enim satis, ne « Nec (1) » Paradisum intremus, nec alios permittamus intrare<sup>3</sup>. »

X. Hoc autem quare dico? Non quod credam, fratres, vos malos esse, sed quia doleo de fratre vestro perduto Simplicio, qui ad hanc sanctam congregationem cum tanto fervore pervenit, et audiens patrem interfectum esse, a vobis recessit, et mundum reintravit (2), ut patris mortem vindicare posset. « Qui ergo existimat se stare, attendat et » videat ne cadat<sup>4</sup>; » et sic hominibus videntibus eos (5), qui columnæ sanctitatis esse videbantur, tam nequiter cadere, non solum sibi ipsis regnum cælorum claudunt, sed etiam illis qui in sæculo demorantur. Nobis denique, fratres, qui nomen et habitum sanctæ religionis assumpsimus, vita mala periculosior erit quam in sæculo demorantibus. Ploremus ergo peccata nostra, fratres, et fratris amissi. Diligamus et nos invicem, quia « Charitas ex Deo est<sup>5</sup>. » Non erubescat alter ab altero veniam postulare, quia non erubuit Christus inimicos invitare ad pacem, ad pacem (4) in cruce revocare: non erubescat facere servus, quod prius fecit Dominus. Deus autem « Qui inhabitare facit unius » moris in domo<sup>6</sup>, qui est vera pax, qui fecit utraque unum<sup>7</sup>, nos in vera pace perseverare faciat. Amen.

<sup>1</sup> Matth. v, 16. — <sup>2</sup> Id. xxiii, 27. — <sup>3</sup> Ibid. 13. — <sup>4</sup> 1 Cor. x, 12. —

<sup>5</sup> 1 Joan. iv, 7. — <sup>6</sup> Psal. lxxvii, 7. — <sup>7</sup> Ephes. ii, 14.

(1) Deest *nec* in cod. — (2) Cod. *reiteravit*. — (3) Cod. *homines videntes*. — (4) In cod. non iterantur voces *ad pacem*.

## SERMO XXXVII.

## De Passione Domini I.

*Sermo iste qui eruitur ex quinque codicibus Florentinis, nempe Bibl. Laur., Plut. xvii, cod. xxxix, fol. 21; Plut. xxx sinist., cod. ii, fol. 16, Plut. xxxiii sinist., cod. iv, fol. 152 b; Bibl. Ædil., cod. cxli, fol. 2, et cod. cxliii, fol. 201; tantis abundat ridiculis sententiis, ut rhetori cui-dam, non autem sancto Augustino tribuendus videatur, quam ejus nomen ubique habeat. Sit in appendice post sermonem appendicis clvi, cum numero de Passione viii.*

## SYNOPSIS.

I. Christus in meridiano patitur. II. Mundus, Christo moriente, tenebris obruitur. III. Christi resurrectio et ascensio.

I. SAPIENTISSIMUS Salomon, fons sapientiæ, censor justitiæ et magister disciplinæ, in Canticis canticorum sic affatus est dicens : « Ubi pascis ? ubi manes ? in meridiano<sup>1</sup>. » Quis interrogabat, et quem interrogabat ? Vox est Spiritûs interrogantis Dominum Christum. « Ubi pascis ? ubi manes ? » Et ille : « In meridiauo. » Et miramur, fratres charissimi (1), quod interrogat Spiritus sanctus, eo quod (2) non habet corpus, cujus totus est (3) mundus ; qui ante (4) tempus

<sup>1</sup> Cant. i, 6.

(1) Cod. cxliii dilectissimi. — (2) Sic cod. cxliii ; cod. xxxix eoque. —

(3) Cod. cxli in cujus potestate totus est. Cod. iv cui totus natus est. —

(4) Sic cod. cxliii ; cod. xxxix quia an.



fuit, nec initium habuit, sic nec aliquando finem habebit. Neque æternitas habet ætatem, aut aliquando finem, quæ (1) nescit originem. Sed ad hoc Spiritus sanctus cogit de passione sua Dominum Christum dicere, ita ut (2) populus qui ignorabat, possit audire: « Ubi pascis? » id est, ubi pateris? Et Dominus respondet (3): « In meridiano. »

II. Cum in sexta hora per medium cæli spatium sol igneus in sua libra penderet, et axe flammigero divisa mensura cæli, subjectas umbras clypeo vibrante (4) colligeret, cum mundi penderet umbra, et inferi simul in nocte (5), sic omnis Judæa vestita est cæcitate, quando furibundo impetu clamabat (6): « Crucifige, crucifige<sup>1</sup>. » Sicut omnis creatura sexta hora non vidit solem, sic quidquid sub cælo jacebat didicit majestatem. Parva enim dico; sic lumen Christi, qui « In sole posuit tabernaculum suum<sup>2</sup>, » universas gentes collegit, et conscientias nostras temporum nocte (7) totus intravit. Pependit in cruce sexta hora Dominus Christus, et sol pependit, ut famulus. Cum latus Christi lancea perforatur, « Ab hora sexta usque in horam nonam<sup>3</sup>, » solis claritas jugulatur. Luget cælum auctorem, perdidit (8) oculum dies, et orbatus facula cæli, velut nox factus (9) est dies, et subito adveniens nox excæcat claritatem. Propterea in passione Domini Christi velut nox facta est dies, quia in ejus resurrectione nox inclaruit (10) ut dies, sicut scriptum est: « Quia (11) tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur<sup>4</sup>. » Pecca-

<sup>1</sup> Luc. xxiii, 21. — <sup>2</sup> Psal. xviii, 6. — <sup>3</sup> Matth. xxvii, 45. — <sup>4</sup> Psal. cxxxviii, 12.

(1) Sic cod. ii; cod. xxxix, *qui*. — (2) Sic cod. iv; in cæteris deest *ita*. — (3) Codd. *respondit*. — (4) Cod. iv *breviante*. — (5) Sic codd. i: Qui potest capere, capiat. — (6) Sic cod. ix; cod. xxxix *clamabant*. — (7) Sic cod. xxxix; cod. cxliii *temporum noctes*. Neutrum captu facile; forte legendum *tempore noctis*. — (8) Sic cod. xxxix; cod. ii *perdit*. — (9) Codd. *facta est*. — (10) Cod. xxxix *declaravit*; cod. ii *declaruit*, pro quo posuimus *inclaruit*. — (11) Sic cod. cxliii; cod. xxxix *qui*.

ret (1) enim creatura, si non lugeret Creatorem, vel si dies suam non consciuderet (2) vestem. Judæa jure admisisset (5) sacrilegium, si non in crimine suo sexta hora palparet, et solis cæcitas testimonium perhiberet. Antecedit Dominum ad inferos dies. Nox æterna (4), quod ignorabat, didicit; dies noctem, quam nesciebat, expavit, dicente David : « In sole posuit tabernaculum suum. » Bene ostendit tabernaculum suum Christus crucem, hospitium corporis sui, in qua unius machina materiæ (5) jugulati sunt inferi. Adhuc pendet in materia Christi (6) corpus, et jam (7) debellatur (8) infernus. Timent terrorem Tartara majestatis (9). Peregrina mors ad inferos, dum decipit, fugit; a suis sedibus mors exclusa, currit ad cælum; cælum (10) videt, quam (11) non noverat, noctem. Pallent astra, tremunt (12) terra, turbantur elementa, procedunt ex suis tumulis funerata (13). Neque enim sepulcra aliquam partem corporis tenere potuerant, quando gehenna simul crepuerat (14) tota.

III. Ad hoc enim (15) reversus est dies ad proprium statum, quia ad verum (16) diem reversus est auctor qui fecit hunc diem, sicut scriptum est : « Hæc est dies, quam fecit Dominus<sup>1</sup>. » Propterea elementa recipiunt speciem suam, quia, si omnia cum ruina mundi perirent, hodie non esset (17) qui timeret. Et ideo in fide Christi totus

<sup>1</sup> Psal. CXXII, 24.

(1) Sic cod. II; cod. XXXIX *peccaverat*. — (2) Sic cod. CXLIII; cod. CXLII *scinderet*; cod. XXXIX *consideret*. — (3) Codd. *admiserat*. — (4) Sic cod. XXXIX; cod. IV *addit est*. — (5) Sic cod. II; cod. XXXIX *unius materiæ destina*; cod. IV *materies destinata*. — (6) *Deest Christi* in cod. CXLIII. — (7) Sic cod. II; cod. XXXIX *etiam*. — (8) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *debellatus*. — (9) Sic cod. II; cod. XXXIX *Tartari majestatem*; cod. IV *tamen terrore Tartari majestate peregrina. Mors*, etc. — (10) Hanc vocem addidimus, sine qua nullus est sensus. — (11) Sic cod. II; cod. XXXIX *quem*. — (12) Sic cod. II; cod. XXXIX *tremet*. — (13) Sic cod. II; cod. XXXIX *funera*. — (14) Sic cod. XXXIX; cod. II *excreperat*. — (15) *Deest enim* in cod. II. — (16) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *adventum*. — (17) Codd. *erat*.

mundus unus est locus; adeo (1) hoc nomen per terras volavit. Navigavit per undas, quia Spiritus non habet iter, nec fides (2) aliquando querit vectorem. Quid dictura est Judæa adversus Dominum Christum, quem natum stella flammigera demonstravit, et (3) passum solis cæcitas declaravit? Jam perdidit æstimationem suam humana perfidia, quia natum Dominum audivit, passum vidit. Expavit populus post resurrectionem, videndo novum, post inferos sanum. Et post clavos et mortem, ipsum iterum ad Patrem vehiculo (4) lucis usque ad cælos volantem (5) populus supinis vultibus adorabat. Et ne totus abiret, per sacramentum corporis in nostris cordibus (6) sese dividit (7), dum enim intra conscientiam nostram per fidem portamus. Martyria per sanguinem, virginitas per pudorem, totiusque (8) populi cætus adorabant (9), non flentes, sed gaudentes, quia ostendit nobis breve (10) iter ad cælos Dominus Christus qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(1) Sic cod. II; cod. XXXIX a Deo. — (2) Deest *fides* in cod. CXLIII. — (3) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX ut. — (4) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *vehiculos*. — (5) Sic cod. II; cod. XXXIX *ipse .. volare*; cod. IV *evolare*. — (6) Sic cod. XXXIX; cod. II *corporibus*. — (7) Sic cod. XXXIX; cod. IV *se induit*. — (8) Sic cod. II; cod. XXXIX *totusque*. — (9) Sic cod. II; cod. XXXIX *adorabat*. — (10) Cod. XXXIX addit *tempus*, quod deest in cod. IV, ubi nec legitur *breve*. Cod. CXLII *quod ostendit*.

## SERMO XXXVIII.

## De Passione Domini II.

*Hic sermo eruitur ex cod. Cassin. CCCLXXXVII, fol. 115. Nomen auctoris nullum præfert; sed sancto Ambrosio potius quam sancto Augustino videtur tribuendus, utpote qui longioribus et numerosioribus periodis confletur. Sententiarum nobilitas cum styli dignitate apprime concordat. Locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini IX.*

## SYNOPSIS.

**I.** Christus vera hostia veterum figurarum impletiva. **II.** Christus hircò, vitulo, et vitulæ rufæ merito comparatur. **III.** Passionem dominicam summa cum devotione celebrent Christiani.

» Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per  
 » amplius et perfectius tabernaculum non manufactum,  
 » id est, non hujus creationis, neque per sanguinem  
 » hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem introiit semel in sancta, æterna redemptione  
 » inventa, » *et reliqua*<sup>1</sup>.

**I.** Doctor gentium in fide et veritate, Paulus apostolus in legitimis cæremoniis et sacrificiis ab ipsis incunabulis enutritus, et in legis scientia super suos cœtaneos eruditus, novissime legalium sacrificiorum mysteria Spiritu revelante

<sup>1</sup> Hebr. IX, 11, 12.

cognoscens (1), amoto cortice litterarum occidentis, ad spiritualis intelligentiæ medullam se transtulit; ostendens sanguinem Christi ad remissionem peccatorum, ad emundationem scelerum majoris esse efficaciam et virtutis quam fuerit hircorum et taurorum sanguis, qui de mandato Legis populi inquinamenta mundabat. Unde et idem Apostolus adjungit: « Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vituli inquinatos emundat, quanto magis sanguis Christi<sup>1</sup> ? » Animalium enim sanguis, qui effusionem sanguinis Christi significabat, poterat quidem inquinatos a lepræ macula emundare, poterat populum a maledicto Legis absolvere, sed peccatorum veniam præstare non poterat. Sed sanguis Agni immaculati, qui per Spiritum sanctum semetipsum Deo Patri hostiam obtulit, totius mundi peccata abstulit, ab operibus mortuis nostras conscientias emundavit, et populum a maledicto Legis seu maledictione absolvit. « Christus enim, ait Apostolus, pro nobis maledictum crucis factus est (2), ut nos de maledicto Legis liberaret<sup>2</sup>. » Unde et in hujus veri sacrificii significatione multæ in Veteri Testamento hostiæ sunt oblatæ, ut effusio sanguinis Christi non putaretur inefficax, non videretur inutilis, quæ Prophetarum vocibus longe fuerat ante prædicta, et tot legalibus hostiis præsignata, ut novissime in fine sæculorum prophetia in lucem, umbra in veritatem, Lex in Evangelium verteretur, et multiplici victimarum veterum cessante mysterio, singularis et nova hostia novo imponeretur altari.

II. Inde est quod in hujus veræ hostiæ præfiguratione, quandoque hircus, quandoque vitulus, quandoque vitula rufa in Lege jubetur offerri. Hircus autem in Scripturis, quia immundum est animal, pro peccato sæpe accipitur. Et Christus pro nobis hircus factus est, dum in similitudine carnis peccati apparuit, ut « De peccato damnaret pecca-

<sup>1</sup> Hebr. ix, 13. — <sup>2</sup> Galat. iii, 13.

(1) Cod. male *cognoscas*. — (2) Legitur in Vulgata: *Christus nos crucis emittit de maledicto legis factus pro nobis maledictus*. Sermoni autem illi magis sensum potius Scripturæ affert quem verba.

» tum<sup>1</sup>, » et opus diaboli, de diaboli opere solveretur. Ipse est etiam vitulus, qui pro nobis in ara crucis Deo Patri oblatuſ, humani generis debitum ſolvit, et antiqui facinoris cautionem pio cruore delevit. Ipa eſt etiam vitula ruſa, cujuſ cinis aſperſuſ inquinatoſ ſanctificat: unde et in Levitico (1) ad Moylem dicitur: « Accipient, inquit, a te vitulam ruſam ſine vitio, et cui non ſit impoſitum jugum, » et dabiſ eam ad Eleazarum ſacerdotem, et ejiicient eam » extra caſtra in locum mundum, et occident eam in conſpectu ejuſ, et Eleazar aſperget contra faciem tabernaculi » Teſtimonii de ſanguine ejuſ ſepties, et cremabunt eam in » conſpectu ejuſ; et pellis, et caro, et ſanguis cum ſtercore ejuſ cremabitur<sup>2</sup>. » Hæc autem quæ ſcripta ſunt, dilectiſſimi, « In figura contingebant illiſ, ſed ſcripta ſunt » propter noſ, in quos ſineſ ſæculorum devenerunt<sup>3</sup>. » Chriſtuſ enim ſecundum infirmitatem aſſumptæ carniſ eſt vitula. Nam per vitulam, quæ ſexuſ ſœminei eſt, Dœmnicæ Incarnationiſ infirmitaſ figuratur. Chriſtuſ enim mortuſ eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute. Hæc autem vitula ruſa eſt, ſanguine ſcilicet paſſionis cruentata; ex Salvatoriſ enim latere dextero mucrone lanceæ vulnerato, noſtræ ſalutiſ pretium emanavit, et immaculati Agni candida membra roſeo rubore perfudit; unde et in Canticis dicitur: « Dilectuſ meuſ » candiduſ et rubeuſ<sup>4</sup>; » candiduſ quidem ex divinitate, rubeuſ ex ſanguine paſſionis. Et per Prophetam ei dicitur: « Quare rubra ſunt veſtimenta tua quaſi calcantium in torculari<sup>5</sup>. » In torculari enim cruciſ poſituſ, et paſſionis dolore, quaſi quodam lapide preſſuſ, aſſumptæ humanitatiſ veſtimenta, effuſione ſui ſanguiniſ rubere fecit. Hæc etiam vitula, quæ ſine vitio eſſe debet, et cui non ſit ſu-

<sup>1</sup> Rom. viii, 3. — <sup>2</sup> Num. xix, 1-6. — <sup>3</sup> 1 Cor. x, 11. — <sup>4</sup> Cant. v, 10. — <sup>5</sup> Iſai. lxxiii, 2.

(1) Hæc verba in Levitico non reperiuntur, ſed ſunt ex Numeriſ deprompta, non ad verbum, ſed quantum ad ſenſum attinet. Vide ſuper hanc comparationem benedictionem cerei in Sabbatho ſancto, quæ S. Ambroſio tribuitur.

perpositum jugum, illum profecto significat, « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus<sup>1</sup>, » cui quidem peccati jugum nullatenus fuit impositum. Ex carne quippe humana sine peccati delectatione conceptus ab immaculatæ matris utero exiit alienus a culpa, et ab omni peccati jugo factus est liber. Hæc autem vitula extra castra educta debebat in conspectu omnium immolari. Christus enim extra civitatis mœnia ob culpas suorum facinorum diruendæ, ad crucis supplicium est deductus, et in conspectu totius populi immolatus. Dignum quippe erat, ut in conspectu omnium pateretur, qui pro salute omnium erat moriturus.

III. Vos igitur, dilectissimi, quos non « Taurorum et » hircorum sanguis emundat, » quos non « Cinis vitulæ aspersus sanctificat, » sed Agni immaculati impollutus sanguis effusus, a jugo vetustæ servitutis absolvit, recurrentia Dominicæ passionis tempora cum summa devotione suscipite, pretium sanguinis Christi, qui pro vobis effusus est, agnoscite, Christum pro vobis in ara crucis positum, oculis mentis aspiciate, et ei qui pro vobis passus est, afflictione corporis membra vestra cum vitiis et concupiscentiis mortificantes, vitiorum mortificatione compatimini. Si enim compatimini, et conregnabitis. Veterem hominem cum suis actibus in crucis ligno confixum reviviscere non sinamus. Omne peccati corpus destruamus in nobis, ut ultra non serviamus peccato. Mutuatione vitæ sepeliatur cum Domino, et cum eo in vitæ novitate resurgamus. Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus cum illo, qui vivit cum Patre per omnia sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Isai. Lxx, 9, et 1 Petr. ii, 22.

## SERMO XXXIX.

## De Passione Domini III.

*Habetur hic sermo in Bibl. Ædil., cod. x, fol. 1; sit in appendice, propter easdem rationes, ac illi qui superius leguntur, post sermonem præcedentem cum numero de Passione Domini x.*

## SYNOPSIS.

I. Christi quanta impropria. II. Non delectemur in carne. III. Portanda cum Christo impropria. IV. Eliseus imago Christi, cum a pueris contemnitur. IV. Sic et Noë a Cham filio inhonoratus. V. Exhortatio moralis.

I. QUANTO enim (1) beneficium sæpius, fratres, memoratur, tanto plus animus in amorem benefactoris inflammatur. Recordari igitur, fratres, sæpe debemus, quantum improprium pro nobis passus sit Dominus, qui, cum ad turpem mortem duceretur, quasi vilissimus virorum, extra civitatem ejectus est, crucem portans, quam duo fere homines, ut arbitror, portare minime potuissent, et inter latrones crucifixus est, in (2) loco Galvaricæ, in quo loco, ut ait sanctus martyr Cyprianus, Abraham immolavit Isaac. Sic enim immolatus est Christus, ut latro credatur (5). Sicut stultus, veste alba indutus est; sicut homo, barba pilatus est; sicut latro, cum latronibus deputatus est, in tantum ut non homo, sed «Opprobrium hominum et ab-

(1) Ex hac voce credendum est hunc sermonem esse alterius sequelam.—  
(2) Cod. et in. — (3) Id., velatur.



» jectio plebis<sup>1</sup> » videretur. Licet tamen Judæi prava intentione hoc fecerint, prius tamen Dominus magna dispensatione hoc fieri voluit. Non solum enim in hoc genere mortis redemptionem voluit hominibus dare, sed etiam vitam nostram informare : non enim sine causa voluit crucifigi potius quam lapidari, vel alio genere supplicii puniri.

II. Quod ut nos debeamus (1) intelligere, Apostolus docet : « Exeamus ad eum extra castra<sup>2</sup> ; » videamus, fratres, quomodo debeamus exire, ex (2) quibus castris, et quod improprium portare debeamus (3). Quamdiu enim, fratres, « In hoc mortali corpore vivimus, a Deo peregrinamur<sup>3</sup>. » Sumus enim in his corporibus quasi in castris, bellantes contra spirituales inimicum. Sed in his castris, scilicet in carne, non est delectandum, quia « Debitores » sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, quia « si secundum carnem vixeritis, moriemini<sup>4</sup>. » Exeamus ergo ab his castris, ut non subjiciamur carni. Debet enim caro servire, non imperare, quia « Væ civitati cujus servus dominabitur<sup>5</sup>. » Castigare igitur carnem debemus, et in servitutem redigere, id est, ut serviat animæ. Qui ergo vult ire post Christum, « Abneget semetipsum<sup>6</sup>, » scilicet propriam corporis voluntatem. Nam « Si oculus tuus scandalizat te, erue eum<sup>7</sup> ; » non gladio, sed mente eum et facto fortiter claudere, ne quæ placita sunt ei videat. Sic etiam abscindere pedes debemus, ne discurrant, et manus<sup>8</sup>, ne illicita tangant. Sic et aures ne nequam (4) audiant; et sic extra castra, scilicet extra carnem nostram, exhibimus.

III. Audivimus modo, fratres, quomodo debeamus exire, audiamus nunc quomodo debeamus impropria portare. Ait enim Veritas incarnata : « Tollat crucem suam et se-

<sup>1</sup> Psal. xxi, 7. — <sup>2</sup> Hebr. xiii, 13. — <sup>3</sup> 2 Cor. v, 6. — <sup>4</sup> Rom. vii, 12  
13. — <sup>5</sup> Eccl. x, 16. — <sup>6</sup> Luc. ix, 23. — <sup>7</sup> Matth. v, 29. — <sup>8</sup> Ibid. 30.

(1) Col. quod aliud nos debemus. — (2) Id. et. — (3) Id. debemus. —  
(4) Id. ne nequa.

« quatur me<sup>1</sup>. » Quid est enim tollere crucem, nisi pœnitentiam agere? Hoc tormentorum genus Dominus tollere voluit, ut inde formam vivendi tollamus. Aspicite ergo in cruce pendentem; nam ipsum videmus impotentem propter nos membra sua ad aliquas actiones dirigere, qui solo verbo cuncta creavit; eodem et nos (1) modo debemus crucifigere, ut nec pedes, nec manus, nec aliquod membrum corporis aliquam nequitiam possit agere, nec cogitare cum sensu. Tollamus ergo crucem pœnitentiæ, vitia crucifigentes. Duobus enim modis tollitur crux, vel cum caro propter pœnitentiam maceratur, vel cum proximo patienti compatimur (2). Sed non sufficit tollere crucem, nisi sequamur eum; ideo ait Dominus: « Et sequatur me. » Non enim omnis qui portat crucem, sequitur Christum; nam latro crucem portavit, et reus exiit. Ille vero Deum sequitur, et Domini crucem vere portat, qui vitia carnis optime conculcat sponte: hic vere (5) moritur mundo, hic vere crucifigitur mundo. Talis fuit Apostolus qui dicebat: « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo<sup>2</sup>. » Scire namque, fratres, vos credo, quod duos legimus crucem Christi portasse; scilicet portavit Simon Cyrenæus veniens de villa<sup>3</sup>, sed primo Christus sponte portavit, et mortuus est in ea. Simon significat illos, qui sponte non agunt pœnitentiam, et ideo coacti in bono, cum Christo in cruce mori (4) non possunt; isti sunt velut Simon, qui non sponte crucem Christi portavit, nec in ipsa mortuus est.

IV. Audivimus, fratres, jam Christi improprium, audiamus modo quomodo fuerit præfiguratum. Legitur enim de Eliseo propheta, quod dum ascenderet in montem sequebantur eum quidam pueri clamantes et vituperantes eum, et dicentes: « Ascende, calve<sup>4</sup>. » Sed oratione sancti

<sup>1</sup> Luc. ix, 23. — <sup>2</sup> Galat. vi, 14. — <sup>3</sup> Luc. xxiii 26. — <sup>4</sup> 4 Reg. ii, 23.

(1) Cod. *denique*. — (2) Id. *compatiamur*. — (3) Id. *vero*, et sic deinceps. — (4) Id. *novi*.

virī facta, venerunt duo ursi de sylva et devoraverunt illos. Eliseus, fratres, Christus est, qui calvus est, et omni peccato privatus; capilli enim membra sunt hominis absque sensu, per quos superflua significantur; pueros vero Judæos esse intelligo, qui Eliseum, Christum deridebant in monte Calvarie ascendentem: tamen duo ursi venerunt de sylva Romanorum, scilicet Vespasianus et Titus de gentilitate, post mortem Christi annis quadraginta, et devoraverunt pueros Judæos.

V. Igitur, fratres, cavere debemus ne Christum deludamus in membris, scilicet in suis fidelibus, ne maledictioni Cham subjaccamus. Legitur enim quod Noë tres filios habuit, scilicet Sem, Cham et Japheth. Noë plantavit vineam, et de vino illius inebriatus est, dormitque in tabernaculo, detectis virilibus<sup>1</sup>. Videns autem Cham filius Noë patrem suum detectum, derisit et denunciavit fratribus. Duo vero fratres hoc audientes, processerunt cum pallio versa facie pergentes, ne patris turpitudinem viderent. Pater vero cum didicisset (1) hæc, maledixit non Cham, sed Chanaan filium ejus, et ait: «Maledictus sit Chanaan; servus sit fratrum suorum<sup>2</sup>.» Noë, qui quies interpretatur, Christum significat. Vineam quam plantavit significat Judæos, qui dederunt illi (2) vinum passionis; obdormivitque in cruce, et tunc discooperta sunt et denudata membra ejus. Duo fratres sunt duo populi, Judæus scilicet et Paganus, qui videntes patrem in cruce denudatum, unus accessit ad Pilatum, ut de cruce elevaretur, et alter lintamina candida detulit (3), ut eum involverent et cum cooperirent.

V. Oh! quid ergo, fratres, faciemus, si crucem Christi non portamus? Sunt enim quidam ex nobis, qui in castris suis nimis periclitantur, quia in castro carnis nimis delectantur, quidam circa divitias, quidam circa libidinem,

<sup>1</sup> Gen. ix, 20, et seqq. — <sup>2</sup> Ibid. 25.

(1) Cod. *diāisset*. — (2) Id. *sibi*. — (3) Deest verbum *detulit* in cod.

quidam circa gulositatem, quidam circa gloriam mundi hujus. Tales Christi crucem non portant, tales Christi passionem non plorant, tales Christum velatum, conspu- tum, derisum, ligatum, flagellatum, alapatum, spinis co- ronatum, clavis perforatum, aceto et felle potatum, lan- cea perforatum non considerant. O divites, quid agitis? cur superbitis? cur vos extollitis putantes vos esse beatos? an ignoratis, quod nihil infelicius felicitate peccantium? Audite quod dictum est diviti ardenti in flamma: « Recordare » quod recepisti bona in vita tua<sup>1</sup>. » Credite ergo, fratres, credite quod hic et in futuro gaudere non potestis. Sunt etiam et alii inter nos, qui, licet divites non sint, divites esse cupiunt. Tales consueti sunt dare ad usuram et rapere; tales miseri sunt in præsenti, et miseriores erunt in futuro; qui licet deprædando et usuram faciendo videantur ditari, de malis tamen acquisitis fere gaudere poterit tertius hæres. « Væ, væ, qui deprædaris, quia et tu nequius depræda- » beris<sup>2</sup>. » Væ qui in præsenti lupus factus es, quia et in futuro esca luporum eris. Tales non solum homines, sed etiam Deum deprædari conantur, ecclesias expoliantes et incendentes. Surgat contra istos Apostolus, et dicat: « Qui » violaverit (1) templum Domini, disperdet eum Dominus<sup>3</sup>. » Tales, sive clerici, sive laici sint, lupi rapaces<sup>4</sup> appellandi sunt, et tanquam lupi a consortio ovium expellendi; « Ne etiam tanquam leo rugiens<sup>5</sup>, » devorent perseverantes in fide; a quibus nos liberet ipse, qui hodie pro salute mundi mori dignatus est. Amen.

<sup>1</sup> Luc. xvi, 25. — <sup>2</sup> Isai. xxxiii, 1. — <sup>3</sup> 1 Cor. iii, 17. — <sup>4</sup> Matth. vii, 15. — <sup>5</sup> 1 Petr. v, 8.

(1) Cod. *voluerit*.

## SERMO XL.

## De Passione Domini IV.

*Idem ejus sermonis fons, ac præcedentium, nec dissimiles illum rejiciendi in appendicem rationes. Legitur enim in Bibl. Ædil., cod. x, fol. 22. Locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini XI.*

## SYNOPSIS.

I. Caro ancilla, animæ dominæ vult dominari. II. Quinque ministros habet, qui sunt quinque sensus, quos vicit Christus in cruce. III. Argumento adaptatur Gabaonitarum historia. IV. Et postes agni pascalis sanguine limitæ. V. Et Petro demissum linteamen. VI. Nunquam deest persecutio.

I. ANTE Christi passionem, fratres dilectissimi, hostem pessimum (1) habebamus, qui totum orbem subverterat, et cum ancilla esset, dominam (2) tamen inservire cogebat. Et quæ erat hæc ancilla, nisi Agar caro, quæ semper concupiscebat adversus spiritum? Ideo, fratres, bene dicebat Paganus ille, qui dicebat: « Nulla pugna gravior illa scilicet quæ inimicum suum portat et pascit, quando etiam ei omnia bona facit, et ipse mala pro bonis semper retribuit. » Talis inimicus caro nostra est, quæ quanto magis nutritur, tanto magis gloriatur; quæ quanto magis ei blanditur, tanto magis inflatur, et adversus animam insurgit.

(1) Cod. *pexinum*. — (2) Id. *Domina*.

II. Quinque enim ministros caro nostra miserima habet, quibus anima nostra ducitur captivata. Quando enim aliquis peccat, vel videndo capitur, vel audiendo attrahitur, vel odorando allicitur, vel comedendo delectatur, vel tangendo male operatur. Isti enim sunt quinque carnis ministri, qui primum hominem deceperunt in Paradiso, sed prius a debiliore inceperunt, scilicet a muliere, ut parte debiliore. Audite, fratres, audite quomodo mulier quinque sensibus peccavit in Paradiso: primo enim auribus diabolo persuadendo (1), qui ait: «Eritis sicut dii<sup>1</sup>.» Ecce quomodo per auditum succubuit. Cum enim vidit quod bonum esset lignum et ad vescendum suave, ecce quomodo capta est odoratu. Cum aspexit pulchrum oculis, ecce quomodo illaqueata est visu. Cum enim tulit de fructu et comedit, ecce quomodo manus tetigit, et os comedit. Tactus igitur ministravit, et gustus peccatum consummavit. Prostratum igitur ab origine (2) ministri carnis totum mundum subjugarunt. Sed videns Redemptor humani generis, quod caro tam crudeliter pugnabat adversus (3) mundum, quia ipsa ancilla subjugarat dominam, habuit cum misericordia consilium, ut (4) ab hac captivitate mundum liberaret, tunicam nostræ mortalitatis induens, ut eam expugnaret et opprimeret, quinque suos ministros debilitaret, ut deinceps posset illi (5) resisti, et domina famulam suam, ut decet, castigaret, elegitque acerrimam pœnam in qua hostem nostrum vincere posset, ipsumque crucifigeret et ligaret, et nostros quinque sensus puniret. Oculi sole lucidiores caligati et velati sunt, turpitudinem pœnæ et insultantes viderunt, et tenebras mortis senserunt. Aures opprobria audierunt. Os dulcissimam locutum est: «Sitis<sup>2</sup>!» et aceti et fellis amaritudinem grandem gustavit. Manus, quæ cælum plasmaverant, in cruce extensæ, perforatæ

<sup>1</sup> Gen. i. 5. — <sup>2</sup> Joan. xix, 28

(1) Col. est *credendo*. — (2) Id. *prostrata igitur origine*. — (3) Deest *adversus* in col. — (4) Cod. *quod*. — (5) Id. *sibi*.

sunt. Ibi denique tota Christi caro passa est, ubi tota caro Adæ delectata fuerat. Ecce quomodo caro Christi in cruce debilitata est, ut nostra posthac caro non domina, sed ancilla reputaretur. Ecce quomodo non (1) habemus amplius causam peccandi; ecce quomodo caro ancilla flagellata est; ecce quomodo vetus homo noster crucifixus est. Rogo ergo vos, o fratres, ut ne iterum carnem impinguetis, ne iterum in peccatis alliciat, ne iterum consentiendo ad Tartara deducamur. Ideo Christus eam crucifixit, ut, destructo corpore, amplius non serviamus peccato. Hæc est enim victoria nostra, hæc est lætitia nostra et sempiterna festivitas, ut carnem nostram cum Christo crucifigamus.

III. Hæc crucifixio designata est per Josuë. Legitur enim, quod mortuo Moyse, Josuë, qui in (2) terram promissionis populum Judaicum introduxit, gentes (3) illius regionis alias destruebat, alias a se (4) timore avertibat (5). Contigit tamen quod populus ejusdam magnæ civitatis, quæ Gabaon (6) vocabatur, cum Josuë fœderatus est. Audientes autem quinque reges illius regionis, quod Gabaonitæ cum Josuë fœdus fecissent, ascenderunt ut expugnarent. Miserunt ergo Gabaonitæ ad Josuë, ut mitteret eis præsidium. Quo audito, aggressus est Josuë quinque reges, et conturbavit eos Dominus a facie Israël. Misit ergo Dominus de cælo lapides magnos super eos, et multi mortui sunt lapidibus grandinis. Oravit etiam Josuë ut «Sol » contra Gabaon staret et luna, et non moverentur donec » filii Israël se plenarie de hostibus suis vindicarent; stetit » que sol in medio cæli et non festinavit occumbere spatio » unius diei, nec fuit ante nec postea tam longa dies, obediente Domino voci orantis hominis in terra. Fugerunt » enim quinque reges et absconderunt se in spelunca: nuntiatum est igitur Josuë, quod in spelunca reges fugientes

(1) Deest non in cod. — (2) Deest in in cod. — (3) Cod. et gentes. — (4) Id. sibi. — (5) Id. advertibat. — (6) Cod. male sabaon, et deinceps sabaonitæ.

» latitaverant cum cæteris fugientibus ; præcepitque Josuë  
 » reges extrahi de spelunca, et ait ad principes exercitûs sui :  
 » Ite et ponite pedes super colla regum istorum , quo facto  
 » suspendite eos in quinque stipitibus ; et interfecit eos ,  
 » fueruntque suspensi usque ad vesperam. Cumque occum-  
 » beret sol , præcepit Josuë ut deponerentur a patibulis, et  
 » projecta sunt horum regum corpora in spelunca, in qua  
 » latitaverant, et posita sunt saxa magna super cadavera<sup>1</sup>. »  
 Hæc enim figura pugnae nostræ, fratres charissimi, est,  
 quia Josuë Christus est, populus Israël fideles sunt, quos  
 Dominus introduxit in terram viventium, quando venit in  
 mundum : tunc inimicos nostros debellavit. Gabaonitæ fi-  
 deles sunt, qui per fidem Christo associati sunt; quinque  
 reges, quinque sensus sunt, qui animas fidelium subjugare  
 conantur; sed ut fideles Gabaonitæ pugnam sentiunt, ad  
 auxilium Josuë, scilicet Christi confugiunt; Christus vero  
 per suos prædicatores quinque reges, scilicet quinque cor-  
 poris sensus, aggreditur præstando auxilium resistendi et  
 vincendi; lapides vero qui de cælo descendebant, quid  
 aliud sunt quam flagella quibus Deus homines corrigit,  
 carnem domat, et sensuum voluptates comprimendo de-  
 bilitat? Sol et luna steterunt spatio unius diei, quia ante-  
 quam Christus in mundum veniret, luna, scilicet Ecclesia,  
 deficiebat, et non ad occasum tendebat, quia pauci erant  
 Christi fideles. Sol, id est, Christus, transibat, quia (1)  
 peccaverunt. Tempore gratiæ stetit ipse sol justitiæ, dum  
 mentem suorum ardore fidei suæ inflammavit, et status ille  
 erat unius diei, id est, toto tempore gratiæ. Quinque enim  
 reges lataerunt in spelunca, quia quinque sensus semper  
 infra terram demerguntur; sed Deus extraxit eos a terrenis,  
 et suspendit eos in patibulo crucis pœnitentiæ. Tunc bene  
 præcepit Josuë, Christus, ut colla pedibus conculcentur,

<sup>1</sup> Josuë, x, 12-27.

(1) Hæc vox, et vox *mentem*, que deinde sequitur, vix apparent in cod.,  
 et quasi opinando restituuntur.



quando vitia carnis in cruce pœnitentiæ conculcantur. Sed circa vesperam de patibulis deponuntur, et in spelunca ponuntur, quia post crucis pœnitentiam quinque regum cadavera, scilicet quinque corporis sensus, sic in spelunca Ecclesiæ lapidibus Christi obtusi et cooperti sunt, ut non viventes, sed quasi mortui existimati sint.

IV. « Absit ergo, fratres, gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi<sup>4</sup>, » in qua est salus et vita nostra. Claude ergo ista quinque ostia, si vis amplecti Christi crucem: aspice crucem, salutis nostræ vexillum. Hæc est clavis, qua omnia ostia claudere poteris; sic ergo ista te semper munias, o peccator. Ideo figurative legimus, fratres, quod Moyses in Ægypto præcepit sanguine agni liniri (1) et ungi duos postes, et super etiam liminare, ne Angelus exterminator intraret<sup>2</sup>. Duo postes, fratres, corpus et anima sunt, quæ sunt sanguine Christi, id est, signo crucis, munienda; corpus muniendum est per sacramenti assumptionem, et anima per conformitatem. Superliminare frontem nostram intelligo, quæ semper signo crucis debet muniri. Quod si sic fecerimus, fratres, exterminator Angelus ad nos non perveniet. Ad hanc arborem crucis cupiens Dominus ascendere, in Jerusalem ascendit in Dominica Palmarum cum lætitia. Eamus ergo et nos cum eo, et crucifigamus carnem nostram. Eamus denique cum lætitia, et suscipiamus improperium mundi pariter cum eo. Moriamur peccatis pro eo, sicut ipse pro peccatis nostris mortuus est.

V. Ideo dictum est Petro in visione, in qua linteamen plenum immundis animalibus sibi oblatum est: « Surge, » Petre, macta, occide et manduca<sup>3</sup>; » quasi dicatur: Tu pastor es, et ideo animalia quæ sunt in linteamine Ecclesiæ, quæ immunda sunt, occide ea et macta crucis pœnitentia, et fac ea tibi similia. Crucifigamus ergo nos ipsi (2) plorando et gemendo vitia et peccata.

<sup>1</sup> Galat. vi, 14. — <sup>2</sup> Exod. xi, 7-13. — <sup>3</sup> Act. x, 13.

(1) Cod. *liniari*. — (2) Cod. *male ipsos*.

VI. Sed dicet quis : Mori pro Christo cupio, sed nulum habeo persecutorem; tempus pacis adesse prospicio : omnes Christum in Africa publice confitentur. O fidelis, numquid adhuc secure vivis? numquid caro non (1) stimulat? numquid mundus non te semper vocat? numquid diabolus ad illicita non provocat? Quomodo ergo persecutores medo non sunt? Sed tamen dicendum est, quod duo sunt martyrii genera, unum siquidem occultum, aliud manifestum. Quod bene ostensum est duobus filiis Zebedæi, quibus dictum est : « Calicem meum bibetis<sup>1</sup>; » Et Jacobus gladio mortuus est, quod fuit manifestum martyrium, et Joannes in pace vitam finivit, sine sanguinis effusione, et tamen jejunando, discurrendo, prædicando et laborando, occultum martyrium perpessum fuisse non dubitamus. Semper ergo martyrium est, semper Christi crux parata est. Qui ergo vult Christum sequi, abneget semetipsum, id est propriam carnis voluntatem; et istud est Christi crucem tollere et portare; et istud est ille (2) calix passionis quem David accepturus dicebat : « Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo<sup>2</sup>; » cujus calicem nos Dominus (3) faciat capere, qui pro salute mundi hodie pendit in ligno Jesus Christus Dominus noster. Amen.

<sup>1</sup> Matth. xx, 23. — <sup>2</sup> Psal. cxv, 4.

(1) Deest *non* post *numquid*, et sic deinceps. — (2) Hæ voces quasi abraſæ in cod., sic videntur restituendæ. — (3) Idem dicendum et de istis *nos Dominus*; forte legendum *quem* pro *cujus*.

## SERMO XLI.

## De Passione Domini V.

*Ex eodem cod. x, Bibl. Ædil., fol. 22 b educitur hic sermo de quo nihil aliud dicendum occurrit ac de præcedentibus, nisi quod auctor clarius docet semipelagianam doctrinam, quando Latronem gratiam conversionis meruisse asserit aut per se aut per parentum merita. Sit in appendice post præcedentem cum numero de Passione Domini xli.*

## SYNOPSIS.

I. Christi patientis ad populum suum querelæ. II. Crucifixionis Christi modus. III. Christi derelictio. IV. Duplex voluntas, naturalis et spiritualis. V. Passio Christi per Joseph figurata. VI. Iudicium Christi erga Latrones VII. Joseph iterum gloriæ Christi figura. VIII. Pœnitentia-facienda per orationem et confessionem.

I. **DIU**, fratres charissimi, toleravit nos Dominus, et sustinuit, distulitque pœnam inferre; sed videns se (1) frustra nos expectare, prospiciens corda nostra lapidibus duriora perseverare, cupiens *nos tamen* (2) corrigi, clamat et causam tantæ indurationis *querit*: Popule meus, quid feci tibi? cur me reliquisti? *cur me captivum dimisisti?* cur me velatum non aspexisti? *cur me ligatum non dissolvisti?* cur me *samelicum non pavisti?* cur mihi sitienti po-

(1) *Se* deest in cod. — (2) Hæ voces *nos tamen*, et cæteræ quæ italicis distinguuntur, opinando restitimus, utpote quæ vetustate sint deletæ.

tum non tribuisti : *cur me incarceratum non visitasti ? cur meum caput ad terram inclinatum non tenuisti ? cur me vulnerato (1), mea vulnera non fasciasti ? cur matrem meam fere a cunctis relictam, ad crucem non associasti ? Nihil mali feci tibi, nec in aliquo tibi molestus fui. Numquid non eduxi te de terra Ægypti ? numquid non (2) de terra tenebrarum liberavi te ? numquid non de servitute Babylonis et diaboli, qui a patria expulerat, extraxi te ? Quid ergo commisi, ut me crucifigas ? Dic, si habes aliquid contra me ; arguas me, si non feci quod facere debui<sup>1</sup>. Numquid et mortuos non tibi resuscitavi ? numquid leprosos non (5) mundavi ? numquid cæcos non illuminavi ? numquid et dæmoniacos non liberavi ? numquid non socrum (4) Simonis a febribus sanavi ? numquid non paralyticum ? numquid non hydropicum ? numquid non hominem languidum per annos triginta octo in momento liberavi ? numquid non filium Reguli ? numquid non servum Centurionis ? numquid non de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavi ? numquid non regem me facere voluisti ? Quid ergo facere tibi potui, et non feci ? Responde mihi. Si quid tamen boni feci, non propter meritum tuum hoc feci, nec parentum tuorum, quia pater tuus, primus homo peccavit, et doctores tui sæpe prævaricati sunt in me.*

II. Et licet Dominus in sua passione « Non aperuit os visuum, sicut ovis ad occisionem<sup>2</sup>, » tamen hæc verba quæ supra diximus et similia dicere potuisset, dum per viam angariatus esset illa ponderosissima cruce ; et sic dicendo pervenerunt ad locum supplicii, et ibidem, fratres, ut arbitror, fixerunt in montis cacumine crucem. Et, ut sanctus martyr Cyprianus dicit, in proprio loco ubi sepultus fuerat pater Adam, et tribus scalis præparatis, quarum

<sup>1</sup> Isai v, 4. — <sup>2</sup> Id. Lnt, 7.

(1) Cod. *vulneratum*. — (2) Deest non post *numquid*, et sæpius deinceps. — (3) Cod. *Christi*. — (4) Cod. *male socrum*.

una appodiata erat ad partem dexteram crucis, altera quoque ad sinistram; alteram vero ante faciem crucis paraverunt: et ascendentibus latronibus, uno scalam dextram, et altero sinistram, ministri qui Christum ligatum adhuc juxta crucem tenebant, Christum coram omni multitudine expoliaverunt, et denudatæ sunt carnes Salvatoris tui. Mater vero dolorosa aderat, nec carnem filii cooperire poterat, nec ipsi loqui, nec amplecti, nec eum osculari, sicut pia Mater, videns Filium mori, *facere debebat*. Pensate, fratres, quantus dolor fuit Matris, *cum ita vidit* Filium pertractari. Et capientes Christum Nazarenum, *mediam hanc scalam* sic denudatum ascendere fecerunt. *Latro*, qui a dextera parte stabat, accepit manum, quæ cælum et terram formaverat, et extendens eam, clavum accipiens, *infixit eum*, ut credo, sicut moris erat, et multis ictibus manum Dei perforavit; quod et sic fecit postea et alius. *Tunc ministri*, fratres, scalam, in qua pedes Christi quiescebant, levaverunt (1), et sic corpus ponderosum pro nobis peccatoribus in cruce pendebat. Videntes autem Judæi quod *ad paratum locum* pedes (2) non veniebant, ligaverunt funibus illos, et corpus extendentes, fixerunt *eos clavis* ad terminum, quem voluerunt.

III. Tunc enim *dinumerata sunt* omnia ossa ejus<sup>1</sup>. Tunc etiam (3), ut arbitror, ait Christus *voce magna*: « Deus, » Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Deus » meus, clamabo per diem, et non exaudies<sup>2</sup>. » Sed *quomodo fit* ut Filius Dei dicat se derelictum a Patre, qui est ei *unigenitus et consubstantialis*. Ideo, fratres, scire debetis, quod Deus antiquis *possessionem* temporalium tantum conferebat, copiam scilicet olei, vini et frumenti, et victoriam de inimicis; sed Deus in mundo veniens alia bona promittens, quæ genus humanum per culpam amiserat (4),

<sup>1</sup> Psal. xxi, 18. — <sup>2</sup> Ibid. 2, 3.

(1) Cod. *elevaverunt*. — (2) Id. *pedum*. — (3) Id. *enim*. — (4) Id. *admiserat*.

ut ostenderet verbo et exemplo ista temporalia non esse bona, ideo voluit in mundo esse pauper, in tantum ut non habuerit ubi reclinaret caput<sup>1</sup>. Nunquid non et fœminæ aquam petiit, ut biberet juxta puteum<sup>2</sup>? Bene ergo, fratres, derelictus videbatur a Deo, qui egere, et tribulari, et despici videbatur; ideo ait: «Deus meus, respice in me;» ideo roboram me, ut non deficient membra tua, scilicet Discipuli videntes in me hanc magnam tribulationem, in qua videor derelictus a Deo. «Quare me dereliquisti?» id est, derelictum me ostendisti? Alii nesciunt, sed ego agnovi; ideo necesse erat in vita et in morte mea ut a te (1) derelictum ostenderes. Verba ergo, Pater, derelictorum filiorum meorum clamant, ut interficiar: clamant, ut tanquam vermis conculcatus sim, et vilis reputatus; ideo «Non homo, sed abjectio plebis<sup>3</sup>.»

IV. Ideo scitote intelligentes, quod nunquam iste mundus liber exitisset, nisi Deus ut vermis et opprobrium hominum reputatus fuisset. «Deus meus, clamabo per diem et non exaudies.» hoc modo est intelligendum. Duplex est enim voluntas, quarum una est naturalis, et altera spiritualis. Naturalis voluntas est diligere præsentem vitam, mortem abhorrere, prospera adamare, quæ tamen non est peccatum si voluntati spirituali consentiat. Voluntas vero spiritualis est amare cœlestia, adversitates non timere, nec etiam mortem. Utramque enim voluntatem Christus habere voluit, ut nos doceret, quomodo utraque habenda erat. Timuit enim ex natura carnis mori quando dixit: «Tristis est anima mea usque ad mortem<sup>4</sup>,» sed naturalem per spirituales superavit, quia cum oraret pro prosperitate non est exaudita; cum autem pro (2) adversitate et redemptione (5) mundi exaudita est. Et hoc est: «Deus meus, clamabo per

<sup>1</sup> Luc. IX, 53. — <sup>2</sup> Joan. IV, 7. — <sup>3</sup> Psal. XXI, 7. — <sup>4</sup> Matth. XXVI, 38.

(1) Cod. *te* sine voce *a*. — (2) Id. *ita*. — (3) Id. *adversitatem et redemptionem*.

» diem, et non exaudies. » In prosperitate clamavit, quando satiavit quinque millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus; propterea populus voluit eum constituere regem. Vellet hoc caro, sed voluntas spiritûs superavit, quia cum vidisset populi voluntatem, fugit ad montem; voluit itaque caro, et non est exaudita. Et iterum: « Clamabo per diem et non exaudies. » In nocte clamavit cum ait: « Pater, transeat a me calix iste<sup>1</sup>, » scilicet passio ista; hoc oravit caro, et non est exaudita mortem timens et abhorrens; sed spiritus oravit: « Non, Pater, sicut ego volo, » secundum carnem, « sed sicut tu<sup>2</sup> » et ego volumus secundum spiritum. Timere namque voluit caput, ne deficerent membra; timere voluit dominus, ne servi desperarent; timere voluit, ne Martyres deficerent, cum ex lege naturæ mortem timerent. Nisi primo caput Martyrum timuisset, forsitan membra dicerent et dixissent: Non sumus de capite, quia moriendo caput nostrum non timuit. Ideo timere voluit caput, ut securaret membra; timere voluit, ut eum hominem esse non dubites; timuit ergo, ut et membra doceret non esse peccatum mori timere.

V. Sic enim passus fuit Dominus, cujus passio figurata fuit et traditio in Joseph. Jacob enim habuit duodecim filios; super omnes tamen Joseph plus dilexit. Cum venisset Joseph in Dothaim ad fratres suos, dixerunt fratres jam inflammati veneno invidiæ: « Ecce somniator venit, venite » et occidamus eum; incusaverat enim fratres suos apud patrem peccato (1) pessimo<sup>3</sup>; » quia eos viderat agere non solum ad se invicem, sed etiam cum bestiis, quas pascebant. Tandem compellitur Joseph agere a fratribus, agere cum fratribus; sed omnino agens et patiens renuendo, consilio Judæ fratris sui venditur Ismaëliticis; accipientes tunicam sanguine cruentatam miserunt Jacob. Deprecabatur tamen Joseph fratres, ut non facerent hoc; tandem vendi-

<sup>1</sup> Matth. xxvi, 39. — <sup>2</sup> Ibid. — <sup>3</sup> Gen. xxxvii, 2-19.

(1) Cod. *peximo*.

tur et ducitur in Ægyptum. Hæc omnia, fratres, mystice de Christo dici possunt; nam quid per Jacob figuratur (1), nisi Deum Patrem, qui misit Filium suum Joseph, qui Salvator mundi interpretatur? Misit eum in Dothaïm, id est, in mundum, ad visitandum fratres suos Judæos, ut videret quid agerent ipsi et greges sibi commissi. Dothaïm enim interpretatur Defectus, ad quos conculcandos Joseph Salvator est missus a Deo Patre. Fratres enim Joseph erant in Dothaïm pascentes greges suos nequitiis et dolositate. Ideo ipsi Christum videntes et audientes, quæ in cœlesti curia audierat, somniatorem existimabant, quia cum inaudita eis Dominus prædicaret, quasi somnia reputabant. Manipulus Joseph, est fidelium congregatio, qui fideles, velut manipulus fructificans, adorabant (2) Joseph; sol, et luna, et stellæ Christum adorant et benedicunt. Venditur etiam Christus a Juda, quia venditur Joseph Ismaëlitis a Juda fratre suo; Ismaëlitæ Judæi interpretantur, et Judæi sanctæ Legis auditores fuerunt, sed non factores. Isti enim fuerunt Ismaëlitæ qui duxerunt Joseph in desertum, id est, in tenebras mortis Christum duxerunt. Et cum adamasset eum mulier, voluit eum tenere, sed fugit; ipsa enim mulier accusavit eum apud Pharaonem. Quæ namque, fratres, est hæc mulier quæ Joseph Christum tenere voluit, nisi Judæorum synagoga, quæ Christum allicere voluit, dum sibi similem in Legis intelligentia facere studuit? Adamasset Christum Judæorum synagoga, si Christus Legem litteraliter tenuisset. Sed ipse prædicans non littera, sed spiritu, fugit ab ea Christus, tanquam eam despiciens. Quapropter accusavit eum synagoga ad Dominum suum, scilicet Herodem et Pilatum, quasi cupientem Legem solvere; et damnatus est per eam suspendi cum duobus latronibus, quorum unus ait: « Memento mei, Domine, cum (3) veneris in regnum tuum <sup>1</sup>. » Et ait Dominus ei: « Amen dico tibi: » Hodie mecum eris in Paradiso <sup>2</sup>. »

<sup>1</sup> Luc. xviii. 42. — <sup>2</sup> Ibid. 43.

(1) Deest figuratur in cod. — (2) Cod. adornabat. — (3) Id. dum.



VI. O Christi mansuetudo! o Dei benignitas! o vere inaudita dilectio! Moritur Christus, nec misereri obliviscitur Christus; pendet in cruce Christus, et oculum pietatis Latroni porrigit Christus; despicitur in cruce Christus, et tamen flectit ad Latronem caput; sitit in cruce Christus, et tamen Latroni loquitur Christus: Hodie eris in loco parante tibi risum, quia ubi ego ero, ibi et tu eris; quia ubi ero in Paradiso, eris. Alter vero latro damnatus est. O quam dissimilia merita istorum latronum! Christus in medio duorum latronum pendet, et tamen eorum corda discernit, et aperte intuetur. Sed numquid « Personarum » acceptor Dominus<sup>1</sup>, » qui uni vitam et alteri mortem donat? Quid enim meruerat ille, cui vita æterna data est? Numquid pro Christo credidit? numquid eum excusavit? Absit; et tamen vita ipsi (1) datur. De latrone, Christi socius efficitur; de alieno, domesticus; de alienigena, civis Sanctorum et domesticus Dei<sup>2</sup>. Numquid tamen acceptor personarum Deus? absit. Quid ergo fecerat Latro? quid boni commiserat, propter quod vita æterna ipsi datur? O fratres, sæpe et frequenter diximus, quod nullum malum impunitum, et nullum bonum irremuneratum. Fecerat enim hic Latro vel parentes ejus bonum aliquod (2): licet ipse in gratia non fuerit, tamen illud bonum quod fecit (3), via fuit prævia ad merendam gratiam. Licet nobis occultum sit, Deo soli tantum notum est; ideo grave valde est secundum exteriora judicare. Pendet ergo Christus hodie in medio duorum latronum; quod judicium futurum significat, in quo per crucem quosdam damnaturus, quosdam salvaturus est. O quam diversæ viæ, fratres! Alius ascendit in cælum, alius descendit ad infernum; pœna similis, sed dissimile præmium. Non ergo pœna, sed causa martyrem beatum facit. Aspice, o vos peccatores, Latro

<sup>1</sup> Act. x, 34. — <sup>2</sup> Ephes. ii, 19.

(1) Cod. *sibi*. — (2) Hæc verba Pelagianam doctrinam aperte sapiunt, et declinant a vera fide. — (3) Cod. *fuit*.

nem in cruce pendentem; capiat ab eo exemplum qui in articulo mortis positus ait: «Memento mei, Domine, cum (1) veneris in regnum tuum<sup>4</sup>.» Et quia corde hoc primum dixit, et ore idem complevit, meruit audire per gratiam: «Hodie mecum eris in Paradiso.» Timete, o vos, pœnitentes, et considerate, ne desperetis. Aspiciate Latronem, et eum imitemini, et (2) si non tempore juventutis, saltem tempore senectutis dicite: «Memento mei, Domine.»

VII. Hac autem hora, fratres charissimi, Adam exiit de Paradiso, in qua Latro intravit et stetit, quoadusque Dominus ascendit in cœlum. Solvitur autem postmodum Joseph a carcere, et efficitur dominus Ægypti; quod ad resurrectionem Domini pertinere videtur, qui post mortem Dominus factus est habens potestatem in cœlo et in terra solvendi atque aperiendi librum et solvere signacula<sup>2</sup>. Tunc dicitur Mariæ post resurrectionem Filii, sicut dictum fuit Jacob: «Filius tuus vivit, et ipse dominatur in universa terra Ægypti<sup>3</sup>.» Tunc oblita erit Maria amplius dicere: «Fera pessima (5) devoravit<sup>4</sup>» Filium meum. Tunc enim ipsi dicetur per Joannem vel Jacobum: «Aspice an (4) tunica filii tui sit<sup>5</sup>.»

VIII. Festinemus ergo, fratres, pœnitentiam agere, et a Domino veniam postulare, per quam David salvatur, per quam Maria liberatur, per quam Latro in Paradisum recipitur. Non est, fratres, qui non peccet<sup>6</sup>; ideo omnes cœtione et confessione indigemus. Hæc est ultima Christianorum medicina, confessio; hæc est turris fortitudinis Sion, a qua omnes oppressi sanantur et defensantur: hæc est medicina, ad quam vulnerati fugientes sanantur; per hanc Petrus apostolatam recuperavit. Hæc autem utilitas sola ex Dci bonitate est, quia «Suavis est, et misericordia ejus super omnia opera ejus<sup>7</sup>.» Non ergo est differenda con-

<sup>1</sup> Luc. xxii, 42. — <sup>2</sup> Apoc. vi, 5 — <sup>3</sup> Gen. xlv, 26. — <sup>4</sup> Id. xxxvii, 20. — <sup>5</sup> Ibid. 32. — <sup>6</sup> 3 Reg. viii, 46. — <sup>7</sup> Psal. cxliv, 9.

(1) Cod. dum. — (2) Id. ut. — (3) Id. pexima. — (4) Id. ut.

fessio et pœnitentia, fratres, quia præsens vita nullis (1) promissa est. Clamat in cruce Dominus, brachiis extensis, capite inclinato, manibusque et pedibus perforatis: Confitemini, filii convertentes vos, et ego sauabo vos. Nam propter vos sic affixus sum cruci; inclino ad vos caput invitans vos ad pacem. Currite igitur, fratres, ad sacerdotes, et confitemini, et facite pacem cum Deo non cras, sed hodie, quoniam « Jam posita est securis ad radicem arboris<sup>1</sup>, » ut feriat, nisi vos properetis emendare. Non desperet aliquis de tam (2) piissima misericordia; non est enim aliqua tam gravis culpa, quæ non habeat veniam. State ergo, fratres, in confessione, quia hinc dæmones, hinc caro, hinc mundus nos expugnant. Impii autem prospera diligunt, labores pœnitentiæ vitant, vitiis non resistunt Tales Christum pacificum non videbunt. O miseri, divitiæ mundi vos excæcant. In hoc enim apparet, quod longe estis a Deo, quia plus divitias quam Deum amatis. Relinquetis (3) divitias vestras alienis, et sepulcra domus vestræ (4) erunt in æternum<sup>2</sup>. Thesaurizate vobis, o divites, thesanros virtutum in cœlo, facite cum Deo usuram, ut in æternum florentes, recipiatis fructum in tempore suo. Amen.

<sup>1</sup> Matth. III, 10. — <sup>2</sup> Psal. XLVIII, 12.

(1) Cod. *ullis*. — (2) *Id. tui*. — (3) *Id. relinquitis*. — (4) *Id. eorum*.

## SERMO XLII.

## De Passione Domini VI.

*Educitur hic sermo, ut præcedentes ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 25 b. Multa continet incerta et temerarie dicta, præsertim de Beata Virgine, quæ sancto Augustino minime conveniunt; aliunde idem est codex, de cujus auctoritate nulla haberi potest ratio. Plura tamen complectitur pie et sancte dicta, quæ non sine jucunditate et profectu possunt perlegi. Locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini XIII.*

## SYNOPSIS.

I. Gaudentibus Judæis in passione Christi, quæritur a sanctis mulieribus mater Salvatoris. II. Mariæ dolor, quæ Pilati uxorem pro filio deprecatur. III. Maria dolendo non peccavit. IV. Maria Christo fit obvia. V. Matri et sanctis mulieribus loquitur Christus in via. VI. Crucifigitur in conspectu Matris, quam de cruce alloquitur. VII. Et dilectum Discipulum, cui pro matre Maria datur. VIII. Christo mortuo, plangit Maria, quæ domum reportatur.

I. FRATRES, scilicet, ut arbitror, numquam Judæi in exitu Israël de Ægypto<sup>1</sup> tantum gavisii sunt, quantum in passione Domini gaudium fecerunt; quorum clamor gaudii et exultationis, non solum per civitatem Jerusalem audie-

<sup>1</sup> Psal. cxliii, 1.

batur, sed, ut puto, etiam per alias Jerosolymorum regiones, maxime dum Christum Jerosolyman captum et ligatum de horto duxerunt; quorum clamores audientes sanctæ mulieres, quæ per gyrum Jerosolymæ civitatis habitabant, nobiles matronas ad sciendum quidnam esset, dubitantes ne Magister jam captus esset, Jerosolyman festiuantes miserunt dicentes: « Adjuro vos, o filiæ Jerusalem, ut nuntietis ubi jam sit dilectus, ubinam cubet, ubi quiescat, quem si nullatenus invenire poteritis, circuite vias Jerusalem, et inveniatis<sup>1</sup> domum Lazari, Mariæ et Marthæ sororum ejus; ibidemque adhuc quiescit mater sponsi et dilecti nostri Salvatoris; more angelico ei dicite: Dic, o pulcherrima mulierum, quo abiit dilectus tuus? » Cumque sanctæ istæ matronæ (1) Jerosolyman intrassent, ad eas cucurrit Maria illa soror Lazari crinibus dissolutis, brachiisque et vocibus elevatis, dicens: « O vos omnes, qui transitis per viam<sup>2</sup>, » an ignoratis quia jam mortuus est Abimelech maritus Noëmi? Et sic dicendo ad Mariam matrem Salvatoris pervenerunt, inveneruntque eam juxta portam templi, expectantem si jam filium videre posset. Stabat ergo Maria multitudini (2) Judæorum sociata; aliqui deridentes, aliqui ipsi (3) compatiētes.

II. Stabat ergo Maria brachiis elevatis, crinibus dissolutis, pectore dilaniata, facie jam *dolore denigrata* (4), faucibus jam irraucata, vestibibus dilacerata, quam Matrem sic sanctæ matronæ aspicientes *lacrymabantur, tristes in voces prorumpentes*. Omissa enim salutatione, dixerunt: « O jam non pulcherrima mulierum, sed Noëmi appellata, quid ploras? Quo abiit dilectus tuus, quo abiit *princeps Angelorum et Dominus?* » Quibus Maria ait: « O sponsæ dilecti mei, vere non pulcherrimam mulierum amplius me

<sup>1</sup> Cant. iii, 2. — <sup>2</sup> Thren. i, 12.

(1) Cod. *matrones*. — (2) Id. *multitudine*. — (3) Id. *sibi*. — (4) Voces omnes, quæ italicis distinguuntur, opinando restituimus, utpote quæ diuturnitate temporis fuerint consumptæ.

vocate, quoniam omni turpitudine et obscuritate hodie vallata sum. O filiae Jerusalem, aspice et videte dolorem meum. » Aspice, o anima christiana, et statim videbis Salvatorem tuum, facie consputa et denigrata, barba pilata, spinis coronatum, cruce angariatum, veste fatuorum indutum. Aspice, et mox videbitis Filium dolentis Mariæ exeuntem de templo sic ornatum, sic decoratum, ad domum Caïphæ (1) vel Pilati. Cunque Maria hæc loqueretur, ecce (2), ut arbitror, uxor Pilati, quæ primo ad eum miserat, ut Christum dimitteret, et videns quod verba sua Pilatus non curaverat, adhæsit ipsa, diabolo instigante, volens Christi mortem per scēminam impedire. Quam Maria aspiciens dicentem: « Multa passa sum ista nocte pervisum<sup>1</sup>, » eam amplectitur, reveretur eam, humiliter eam deprecatur, ut procuret eum viro suo quod Filius non occidatur (5).

III. Sed quis dicere posset: Nunquid et Maria et Apostoli domerunt de morte Christi? Omnino sic credimus; omnino sic et prædicamus. Doluit ergo Maria super omnes matres; doluerunt et Apostoli. Ploramus hodie et tristemur nos. Cum ergo dolor sit causa de nolentibus (4), ergo Maria, in qua peccatum non fuit, peccavit dolendo de morte Christi! ergo et nos peccamus plorando, tanquam de morte Christi dolentes! Sed dicit quis: Tenemur innocentem liberare a morte, vel dolere saltem si non possumus liberare, quia consentire malum volentibus (5), malum est. Sed qui consentiebat Judæis, consentiebat male volentibus; ergo Christum dolere debemus. Scire tamen debemus, fratres, quod Maria et Sancti sciebant Deum velle pati, quia

<sup>1</sup> Matth. xxvii, 19.

(1) Cod. *templi*. — (2) *Id. et ecce*. — (3) Hæc irreverenter de Maria dicta sunt, quæ juxta sanctum Bernardum et alios doctores ita morti Christi consentit, ut de ea dici possit: *Sic maria dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*. Idem dicendum et de pluribus sequentibus. — (4) Sic cod. dictione multum incorrecta, qua auctor videtur intendere, quod *dolor sit ex eo quod rem noluerimus esse, de qua dolemus*. — (5) Cod. male hæc iterat *malum*.

per Scripturam saltem hoc sciebant. Ideo Christo Petrus dicens : « Absit, Domine; non fiat istud<sup>1</sup>, » volens ipse Christi passionem impedire, Satanas appellatus est<sup>2</sup>. Passionem tamen Christi considerare possumus, vel secundum se et absolute, in quantum est passio, vel in comparatione ad finem. Primo modo, fratres charissimi, habet rationem mali per comparationem ad nocuumtum naturæ patientis; et sic noluit Maria, et sic noluerunt eam Sancti; sic nec et nos velle debemus. Ideo ploravit et doluit isto modo Maria, et Sancti, et nos. Per comparationem (1) ad finem Christi passio habet rationem boni, quia ad redemptionem mundi, quia ad gloriam. Sic voluit eam Maria, sic et Sancti, sic et fideles omnes. Et sic non (2) voluit Judæorum synagoga; sic nec diabolus, ne (3) per mortem ejus amitteret mortis imperium. Sic audistis, fratres, et quomodo pati Christum dolere, et quomodo gaudere debeamus. Sic etiam Angeli doluerunt et lætati sunt, quia licet ipsi impassibiles sint, non tamen incompassibiles. Redeuntēs autem *revertamur* ad ea quæ supra diximus.

IV. Cum Maria mater Salvatoris uxorem Pilati sic alloqueretur, ecce (4) portæ templi apertæ sunt, et prospiciens Maria, quia præ multitudine appropinquare non posset, Filium suum vidit in medio Judæorum, cruce ponderosissima angariatum, spinis usque ad cerebrum coronatum, pilis barbæ privatum, genis et facie inflatum: nam talem alapam in domo Annæ receperat ab illo cui auriculam sanaverat (5), quod maxillæ dentium omnes movebantur. Et quid miraris ex hoc; quia caro Christi tenerrima, quam ille crudelis percutierat (6), quia manus fortis erat et forte ferrea chirotheca armata. Sic angariatur; sic livido et sanguineo colore ornatur; sic sputis inquinatur; sic veste alba

<sup>1</sup> Matth. xvi, 22. — <sup>2</sup> Ibid. 23.

(1) Cod. male *compassionem*. — (2) Deest *non* male in cod. — (3) Cod. male *nec*. — (4) Il. *et ecce*. — (5) Hæc videntur inter fabulas amandanda, aut saltem inter incertas historias. — (6) Cod. *percutiens*.

desuper induitur, cujus per scissuras (1) brachia nuda et genua Salvatoris videbantur. Quem sic Mater doloris aspiciens, alte clamare non satiabatur, dicens: «O fili mi, Caiaphas te percussit ut puerum, te ut latronem ligavit, te derisit ut fatuum, te velavit et conspuit ut leprosum. Anna te percussit alapa, et ecce nunc Pilatus te expoliavit, te verberavit et ad columnam ligavit in tantum quod undique video sanguinantem, quem tantum aspicio ego misera mater: et ecce modo te ad crucem cum latronibus video deputari. Heu, fili mi, a cunctis derelictus!» Tu vero anima christiana, «Respice in faciem Christi tui<sup>1</sup>,» et considera qualis erat facies Christi tui ante passionem, et qualis hodie facta est, ut opposita juxta seposita magis elucescant. Lego enim ego, o bone Nazarene Jesu, ante passionem, faciem tuam splendere luminosam, amore desideratissimam. Numquid, o bone Jesu, non (2) in facie tua relucebat sapientia? numquid non splenduit facies tua nuper, sicut sol? numquid non propter claritatem vultus tui ejecisti vendentes et ementes de templo? Aliquid enim igneum et sidereum divinitatis tuæ, in oculis tuis apparuit; propter quod nemo vendentiam et ementium tibi resistere potuit<sup>2</sup>. Mensas pecuniæ evertisti, nec ausus fuit quisquam tibi resistere. Bone Jesu, sonare consueverat vox tua in auribus tuorum, et ecce hodie mutus factus es. Facies ergo tua plena gratiarum, hodie Judæorum sputis maculatur. Non amplius dicet tibi Mater tua: «Domine, ostende mihi» faciem tuam decoram<sup>3</sup>, et salvi erimus, quoniam multo opprobrio repleta est. Quidquid enim desiderari poterat, quidquid salutis vel gratiæ, in facie tua inveniebatur, o bone Domine, antequam anima tua esset tristis usque ad mortem<sup>4</sup>, antequam tædere et pavere cœpisses<sup>5</sup>. Sed heu! Do-

<sup>1</sup> Psal. LXXXIII, 10. — <sup>2</sup> Matth. XXI, 12, 13. — <sup>3</sup> Cant. II, 14. — <sup>4</sup> Matth. XXVI, 38. — <sup>5</sup> Marc. XIV, 33.

(1) Has voces addidimus *per scissuras* ad complendum sensum. — (2) Decet *non* in cod. post *numquid*, et sic semper.



mine, quia pro nobis a crucifixoribus illa facies pulchra præ filiis hominum, velatur contra claritatem, inflatur contra speciositatem, conspuitur contra desiderabilitatem. O Judæe perfide, cur faciem Christi velas? An forte, ut non videas eam, an forte ut non videaris ab ea. Illa enim facies tantæ reverentiæ erat, quod nisi illam (1) velassent, nullatenus eam verberare vel conspuere potuissent.

V. Velaverunt ergo faciem ejus, percusseruntque ducentes eum festinanter ad crucem; et dum sic cruce angariaretur et duceretur, ut latro, audiens super omnes vocem Matris lamentantis, volens se Matri demonstrare, volens eam intueri et consolari, ut poterat, cum maxima difficultate *convertit* se ad Matrem cruce sic angariatus, et ait cæteris mulieribus: « Filiæ Jerusalem, nolite flere super me<sup>1</sup>; » Matri vero quid aliud dicere poterat, nisi: « O Mater, jam non mater, aspice faciem Filii tui? Aspice si sum ille, quem in ventre portasti; aspice si sum primogenitus tuus, quem in præsepio reclinasti; aspice, o Mater, jam non mater, indutum me non tua tunica, quam in pueritia mihi texuisti; sed super illa indutus sum veste, quam synagoga mihi præparavit. »

VI. Et sic ductus est Christus ad locum passionis, et in præsentia Matris, ut latro, expoliatur, nec Mater valet Filium cooperire; manibus ligno affigitur, nec valet Matris auxilium postulare; corpus in cruce pendet, nec valet mater sustentare; corpus in cruce per pedes trahitur, nec valet pia Mater Judæos, ut Filio parcant, deprecari. Sic enim crucifigitur Jesus, sic suspenditur ille, qui peccatum non fecit; et dum sic in cruce penderet, aperiens oculos, prout poterat, recognovit inter omnes piam Matrem condolentem; et si non dixit, tamen hæc verba dicere poterat: « O fœmina, testamentum meum feci; Petro apostolatûs curam, Apostolis pacem, Mariæ peccata dimisi, Judæis cor-

<sup>1</sup> Luc. xxiii, 28.

(1) Cod. *ubi etiam*.

pus, Discipulo damnationem, Deo Patri spiritum, dæmonibus ligationem; tibi vero fidem meam, ut columna sis in templo meo, quæ certior cunctis creaturis me Deum esse novisti. Tu vero fidelius (1) credidisti, tu ferventius dilexisti, tu adhæsisisti constantius, tu doluisti intensius; tu ergo scis arcana secretorum Dei, tu sola turris fortitudinis<sup>1</sup> et clypeus fidei meæ, licet nepotem (2) tuum Joannem juxta stare videam. Ideo rogo te, o fœmina, ut ipsum in filium recipias. « O mulier, ecce Filius tuus<sup>2</sup>. » Nec tu turberis, si te matrem non voco, quoniam non dicitur mater, nisi sit alicujus mater. Cum jam mori me (3) videas, appellare te matrem non audeo, quoniam cito me es amissura. Non etiam matrem te voco, ne dolorem super dolorem tibi addam. Non voco te matrem, quia materna opera in Filium non amplius vales exercere; nam mater dum videt filium expoliari, consuevit induere; dum videt filium vulnerari, consuevit vulnera fasciare; dum audit filium incusari, solet mater excusare. Hæc autem omnia mihi Filio facere non vales. Me denique vidisti conspui, et faciem meam non potuisti lavare; me vidisti vulnerari (4), nec potuisti fasciare; me vidisti cruce angariatum, nec potuisti me juvare; me vidisti sitibundum, nec potuisti mihi porrigere potum; me vides capite inclinatum, nec vales ipsum sustentare; me jam mori vides, nec potes me tangere vel osculari. Non ergo turberis, si fœmina appellaris. « Stabat ergo Maria juxta » crucem Filii<sup>3</sup>, » stabat et aspiciebat Filium jam migrare; stabat Maria immobilis perseverans; stabat et expectabat Filium, si Filius diceret: « Mulier, veni ad crucem, ut sicut viximus una vita, una tranquillitate, ita una morte moriamur. » Stabat igitur Maria, non amplius pulcherrima mulierum, juxta crucem Jesu, ut si Angelus, vel aliquis *propheta diceret*: « Filius tuus non sufficit ad salutem humani

<sup>1</sup> Psal. LX, 4. — <sup>2</sup> Joan. XIX, 26. — <sup>3</sup> Ibid. 25.

(1) Cod. *fidelis*. — (2) Quid significet *nepotem* non satis patet. — (3) Cod. male *non*. — (4) Id. *vulnerare*.

generis, nisi et tu ascendas super crucem, ut moriaris ibidem. Stabat ergo ut et ipsa crucem ascenderet, si necesse fuisset: stabat *inmota mater* et Filium deprecabatur: «O Fili, agnosce me miseram matrem, voca me ad te, ut saltem valeat mater Filium *osculari moriendo*. Obone Jesu, o Nazarene Jesu, cur non permittis matrem tuam simul tecum crucifigi? Cur permittis matrem tuam vivere post mortem Filii? Jube, Domine, ut in te requiescat mater; jube ut tollatur mater, et ut requiescat cum Filio. Noli ergo parcere matri.»

VII. Deinde ait Discipulo: «Ecce mater tua<sup>1</sup>.» O sancte Joannes, aspice quid recipis, considera quid tollis, animadvertite quid amplecteris. Nam si aspicias quod recipis, quid aliud invenies recepisse quam Matrem Dei, qua nihil charius, qua nihil dulcius, qua nihil sanctius inveniri potest? Recipe ergo Matrem Dei, ut vere sis filius Dei. Considera, o sancte Joannes, quid tollis (1), de qua curam geris, pro quo ipsi (2) daris. O sancte Joannes, animadvertite, et cum tremore Mariam amplecti festina, reginam Paradisi, scalam virtutum, Angelorum dominam, fidei fundamentum. Quid recipis, o sancte Joannes? Quod donum, quod sacramentum, quod mysterium mirabile! Petro datur Ecclesia, tibi vero mater Ecclesie; illi datur labor, tibi requies: illi conceditur peccatorum remissio, tibi vero ignara omni peccato. O sancte Joannes, amplectere Matrem Dei omni reverentia, omni sanctitate, omni claritate plenam (3); et pro quo Mariæ datus sis aspice. Nam traditur Mariæ pro Jesu Joannes, servus pro domino, discipulus pro magistro, homo pro Deo, filius Zebedæi pro Filio Dei (4), piscator pro rege, creatura pro Creatore.

VIII. Post hæc autem Jesus, emissa voce et inclinato capite, circa horam nonam (5) emisit spiritum<sup>2</sup>. Et dum

<sup>1</sup> Joan. XIX, 27. — <sup>2</sup> Matth. XXVII, 46 et seqq.

(1) Deest *tollis* in cod.; et deinde habet *de quo*. — (2) Cod. *sibi*, et sic deinceps, ubi de Petro. — (3) Id. *plena*. — (4) Vide S. Bernard. de 12 Præf. B. M. n. 15. — (5) Cod. *nona*.

Mater vidit Filium exaltari (1) a terra, et ipsa cecidit in terram velut mortua (2); et cum excitata quasi a morte fuisset, Judæos alloquitur, dicens: « Obsecro vos, o Judæi, ut amodo Matri Christi non parcatis; suspendite me cum prole; non pepercistis Filio, non parcatis et matri. » Dum Maria hæc loqueretur, ecce (3) Joseph ab Arimathea civitate cum Nicodemo viro sapientissimo, et pluribus aliis Discipulis plorantibus, ad deponendum corpus Jesu venerunt. Quo deposito, Mater irruit super eum in tantum ut fere potuerunt eum sepelire. Tandem sepulto (4) Domino, inter brachia Discipulorum Maria portatur, et dum sic deportaretur voce rauca loquebatur, dicens: « O filiæ Jerusalem, aspice me privatam sponso, desolatam patre, orbatam Filio; flete igitur mecum, flete cum Maria desolata et privata omni gaudio. » Et omnes qui Mariam videbant, tam fideles, quam infideles, cum Maria lacrymas continere non poterant. Sic denique domum Lazari (5) vel Joannis intravit, et ibidem cum dolore remansit quousque ipsi (6), ut arbitror, primo resuscitatus apparuit, ut firmiter credo, et nullatenus dubito (7), volens per omnia Legem adimplere dicentem: « Honora patrem tuum et matrem tuam<sup>1</sup>. » Quo modo autem ipsi apparuit, et quando ipsi apparere voluit, credo, donec donet nobis Dominus gratiam, ut in die resurrectionis explicare et audire mereamur. Amen.

<sup>1</sup> Exod. xx, 12.

(1) Cod. *exaltare*. — (2) Hoc contrarium est Evangelio dicenti: *stabat*; cætera quoque repugnant sanctæ Matris fortitudini. — (3) Id. *et ecce*. — (4) Id. *insepulto*. — (5) Hæc dubitatio contradicit Evangelio, ubi dicitur *et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*. — (6) Cod. *sibi*, et sic deinceps. — (7) Credit hoc auctor, de quo valde dubitandum ex Evangelio dicente: *Apparuit primo Mariæ Magadlene*.

## SERMO XLIII.

## De Passione Domini VII.

*Hic sermo eductus ex eodem cod. x, Bibl. Ædil., fol. 24, non est sancti Augustini, sed sancti Chrysostomi, partimque reperitur in serm. CLV appendicis. Cum autem in pluribus differat sive ab eo qui legitur in appendice, sive ab eo qui habetur in editionibus sancti Chrysostomi, et esse videatur antiqua versio, operæpretium est illam conservare. Unde sit post præcedentem cum numero de Passione Domini XIV.*

## SYNOPSIS.

I. Lætitiae causa in Christi passione. II. Christi Dei et hominis sacrificium. III. Ejusdem effectus.

I. HODIERNA die, fratres charissimi, Dominus noster pependit in cruce: et nos festivitatis eximiae lætitiâ celebremus, ut discamus crucem Domini et spiritualis congratulationis esse substantiam. Etenim ante Domini passionem vocabulum crucis pœnam significabat, sed nunc ad gloriam nuncupamus. Ante condemnationis (1) ferebat horrorem; sed nunc indicium et principium salutis est. O crux, totius beatitudinis causa! Hæc est quæ nos a cæcitate liberavit erroris; hæc est quæ nos de tenebris dedit luci; hæc est quæ debellatos nos quieti sociavit; hæc est, quæ alienatos Deo conjunxit et longe constitutos proximos præsentavit;

(1) Cod. *condemnationem*.

hæc peregrinantes, cives ostendit; hæc est discordiæ amputatio, hæc est pacis firmamentum, hæc est honorum omnium abunda largitio. O crux, orbis terræ cautela, templorum destructio, idolorum subversio, perditio impiorum, scandalum Judæorum, invalidorum virtus, ægrotantium medicus, curatio leprosoꝝ, paralyticorum requies, esurientium panis, sitientium fons, invidorum protectio, eremitarum gloria et cunctorum fidelium lætitia. Per hanc démonstrantur Angeli, per hanc regales aulas intrare compellimur, per hanc diaboli sagittas despiciamus, per hanc flammam ejus extinguimus, per hanc fortificamur in cunctis. « Induamur ergo arma lucis<sup>1</sup>, » quia sponsus expectatus advenit. Lupum jam non possumus formidare, quia bono ac diligenti muniti hodie sumus pastore. Nolite, o peccatores, jam timere, sed mansueti Regis stigmatibus adhærere. Aspiciate ergo, ut vexillum, crucem pro nobis hodie in monte explicatam, in quo salus nostra pependit, in quo resurrectio nostra refulget, in quo vita nostra consistit. Denique ibi (1) peccatorum nostrorum immolatio et amputatio, ibi Domini reconciliatio, ibi remissio peccatorum, ibi festivitas et gratulatio honorum.

II. Immolatur ergo hodie ille sacerdos magnus, immolatur in celsa cruce, in altari noviter constituto (2), quia sacrificium novum et inopinatum; nam et ipse et sacrificium fuerat et sacerdos; sacrificium secundum carnem et Sacerdos secundum spiritum sanctitatis. Idem ipse offerebat et offerebatur: offerebat secundum spiritum, et offerebatur (3) secundum carnem. Unde necesse erat quod ipse haberet aliquod, quod offerret, sacramentum. Ecce se hodie offert, quia et ipse oblatus multorum abstulit peccata<sup>2</sup>: ecce hic oblatus, ibi se obtulit: ecce quomodo fuit Sacerdos, ut Deus: ecce quomodo fuit sacrificium, ut homo. Nam nisi

<sup>1</sup> Rom. XIII, 12. — <sup>2</sup> Hebr. IX, 28.

(1) Deest *ibi* in cod. — (2) Cod. *in altare noviter constitutum*. — (3) *Id. offerebat*.

homo fuisset, immolari non potuisset; necesse etenim fuit ut homo esset et Deus; ut hoc sacrificium non solum diabolo, sed etiam homini occultum esset, et revelatum, cum placuisset. Nam necesse erat Christum pati; expediebat enim quod occideretur. Et licet Judæi Messiam expectarent, et videntes signa quæ Christus in populis faciebat, judicarent (1) ipsum esse Prophetam, et super omnes, virtutes operaretur; videntes tamen (2) quod cum Publicanis et peccatoribus manducaret et biberet<sup>1</sup>: « Numquid et ipse Messias est ille, quem expectamus, dicebant? Numquid et ipse patrem et matrem in terris habebit? Adest istius pater Joseph; ecce astat Maria ejus mater<sup>2</sup>. Scimus enim unde est, et ubi natus est, et tamen Filium Dei se esse facit; « Venite, occidamus eum<sup>3</sup>, et videamus utrum Deus sit. » Et ecce his cum occidentibus (3) terra per totum mundum mota est, petreæ ubique scissæ sunt, sol per totum mundum obscuratus est, sepulcra ubique aperta sunt<sup>4</sup>, et tamen Judæi lapidibus duriores non crediderunt ipsum esse Deum; quem si Deum credidissent, minime cum crucifixissent<sup>5</sup>; per ignorantiam illum crucifixerunt, ut ait Apostolus. Non tamen in templo Salvator crucifixus est, non in Sancta sanctorum immolatus est, non in templo oblatus est, sed foras civitatem, ut inter iniquos reputaretur, ut adimpleret omnia. Extra enim voluit mori (4), et a cunctis voluit videri, sicut pro cunctis dignabatur occidi: in excelso enim monte, in ligno altissimo voluit immolari, ne post resurrectionem dicerent: « Ipsi (5) mortem pepercimus, fiximus ipsi manus et pedes; ipsi postmodum compatiens et Matri, mortem pepercimus, mox eum deponentes de ligno. » Non etiam sub tecto immolari voluit Salvator, ut

<sup>1</sup> Marc. II, 16. — <sup>2</sup> Luc. IV, 22. — <sup>3</sup> Matth. XXI, 38. — <sup>4</sup> Id. XXVII, 51, et Luc. XXXIII, 45. — <sup>5</sup> I Cor. II, 8.

(1) Cod. *judicabant*; et deinde *operabatur*. — (2) Id. *sed videntes*. — (3) Id. *ecce occidentes*. — (4) *Deest mori* in cod. — (5) Id. *diceret sibi*; et sic deinde iteratur *sibi*.

aëris naturam mundaret, et terram etiam sanaret suo sanguine irrigatam. Non ergo tantum hominibus Christi passio profuit, sed et elementa purificavit patenter; et sic (1), Christo adveniente, omnia purgantur, omnia loca orationis et sacrificii deputantur. «Volo, inquit Apostolus, orare viros in omni loco levantes manus suas<sup>1</sup>.» Ecce totus mundus hodie purgatus est, elementa purgata sunt, et omnis terra Sanctorum terra (2) sanctior est. Nam ibi pecus irrationale immolatum est, et tanto majus est sacrificium, quanta major (3) sanctitas de sacramento profertur. Hac de causa, nostra lætitia crux est.

III. O quantum nobis crux profuit! Paradisum annis quinque millibus et amplius clausum fuerat, sed hodie Latroni promittitur. Hac enim die, hac hora Christus introduxit Latronem in Paradisum, qua Adam de Paradiso expulsus fuit, et ejus amœnitates Latroni ostendit, et in eisdem eum collocavit usque ad diem sanctæ Ascensionis. Hodie denique, fratres, due beneficia videmus nobis esse concessa, unum quod Paradisus patefactus (4) est, aliud quod non tantum justis, sed latronibus promittitur. Hodie itaque, fratres, patria redditur; hodie nobis civitas cœlestis ostenditur; hodie paterna domus volentibus redonatur; hodie namque ait Agnus ille in cruce pendens: «Hodie mecum eris in Paradiso<sup>2</sup>;» quia, expoliato inferno, Patres sanctos in Paradiso cum Latrone collocavit, et ibidem Salvator humani generis cunctis se patefecit. Bene ergo ait Salvator: «Hodie mecum eris in Paradiso.» O serene, o Nazareno Jesu, clavis affixus es, blasphemaris, sitis, deluderis, exprobraris; et tamen cunctarum pœnarum oblitus ais (5): «Hodie mecum eris in Paradiso.» Non enim hodie mortuos reddidit luci, nec maris fluctus compescuit (6),

<sup>1</sup> 1 Tim. II, 8. — <sup>2</sup> Luc. XXIII, 43.

(1) Cod. *si*. — (2) Deest *terra* in cod. — (3) Deest *major* in cod. — (4) Cod. *Paradisum patefactum*. — (5) Cod. *ait*. — (6) Deest *compescuit* in cod., ubi solum legitur *nec mare fluctus*.



nec minatus est dæmonia , sed in cruce suspensus , clavis affixus , omnibus vallatus injuriis , totus delusus , totus vulneratus , et tamen ait Salvator : « Hodie mecum eris in Paradiso. » Hodie namque Matri fidem reliquit , Apostolis pacem , Mariæ peccatorum remissionem , Judæis corpus , terræ novitatem motûs , soli eclipsationem , mortuis resurrectionem , peccatoribus remissionem , cæteris Discipulis carnis resurrectionem , aëri obscuritatem , aquæ amaritudinem , igni reflexionem. Hæc omnia Salvator Jesus omnibus creaturis suis in sua passione donavit et tribuit ; ut omnis creatura suum agnoscat Creatorem tam crudeliter pati. Omnis enim creatura mærorem in Creatoris passione ostendit ; omnis lamentum assumpsit ; sed in resurrectione omnis creatura exultationem accepit , sed super omnes ille cui dictum fuerat : « Mecum hodie eris in Paradiso. » Amen.

## SERMO XLIV.

## De Passione Domini VIII.

*Hic sermo , qui legitur , ut præcedentes , Bibl. Ædil. , cod. x , fol. 25 , partim educitur ex sermone sancti Chrysostomi de Zelo et Pietate , partim de illo stampato inter Augustinianos supra , Serm. de secunda Feria Paschæ. Hinc locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini xv.*

## SYNOPSIS.

I. Laus crucis , qua erecta , fiunt tenebræ. II. Latronis et Adæ comparatio. III. Duo Latrones Paganos et Judæos representabant. IV. Latro primus habuit promissionem Paradisi. V. Cur tali gloria donatus est. VI. Conclusio.

I. HODIE , fratres charissimi , crux Christi in terra fixa

est et sæculum sanctificatum est; hodie crux fixa est, et infernus apertus est; hodie crux fixa est, et dæmones dispersi sunt; hodie crux fixa est, et mors subversa est; hodie crux fixa est, et mors victa est; hodie diabolus victus est, et homo solutus est; hodie homo sanctificatus est, quia est Deus homo crucifixus; hodie Judæi audacia grandi Deum occidunt, in cujus occisione petrae scissæ sunt; hodie amabilis pietas Dei universum consuît orbem; decebat enim cum pietate carnem (1) conjungi, sicut David dicebat: «Dirupti sunt, nec sunt compuncti<sup>1</sup>.» Hodie namque non solum apud Judæos ab hora sexta usque ad horam nonam sol obscuratus est; terra ubique mota est, velum templi scissum est, et omnis terra tremuit, quia non poterat ferre creatura sui Creatoris injuriam. Sol retraxit radios suos, ne videret Judæorum scelera; non quod injuria Deitatem tangeret, sed quia quæ audaci superbia fiebant, in contumeliam ejus computabantur. Hodie per totum mundum tenebræ factæ sunt, sed hodie apud nos tenebræ in diem conversæ sunt (2). Etenim hoc pietati proprium est ut in tenebris fulgeat: impietas autem, etsi in lumine fuerit, tenebrescit. Fidelibus nox in diem mutata est, infidelibus autem et lux obtenebrescit, quia palpabunt sicut cæci ad parietem, et ambulabunt in meridie, sicut in medio noctis<sup>2</sup>.

II. Hodie, denique, fratres, Adam ejectus est de paradiso, sed hodie Latro paradisum ingreditur (3); exivit fur, intravit fur; exivit prævaricator, et intravit Latro; exivit contemptor verbi, et introivit confitens verbum; exivit contemnens salutem, et intravit de cruce mercans salutem; exivit superbus, et intravit humilis; exivit malus, et intravit bonus; exivit ignarus, et intravit doctus (4). Ille

<sup>1</sup> Psal. xxxiv, 16. — <sup>2</sup> Job. v, 14.

(1) Cod. *quod pietate carne*. — (2) Id. *tenebra in diem conversa est*. — (3) Vide supra inter Augustinianos Serm. de feria secunda Paschæ, ubi eadem fere leguntur. — (4) Deest *doctus* in cod.

latro furatus est de ligno damnationem; et iste Latro furatus est de ligno crucis salutem; ille furatur de ligno spinas et tribulos, et iste pacem et unitatem; ille furatur dolorem mortis, et iste furatur sempiternam vitam; ille socius efficitur dæmoniorum, et iste socius efficitur Angelorum; ille in ligno furatur panem dolorum, et iste in ligno furatur panem Angelorum; iste Latro mercatur de ligno salutem et furatur cœleste habitaculum. « Regnum enim cœlorum » vim patitur, et violenti diripiunt illud<sup>1</sup>. »

III. In cruce enim duo latrones erant, pari pœna puniebantur, et tamen unus malus, alius bonus efficitur. Non ergo pœna, sed causa Martyrem facit beatum. In cruce imago Judæorum et Gentilium. Latro enim qui pœnitet, imaginem Paganorum gerit, qui prius in errore ambulantes, videntes signa in cœlo et in terra, dicebant: « Vere » Filius Dei erat iste<sup>2</sup>; » et pectora percutientes, dicebant cum Latrone: « Memento mei, Domine, cum (1) veneris » in regnum tuum<sup>3</sup>. » Imaginem vero Judæorum ille latro gerit, qui usque ad finem perseverat latro impœnitens. Primo ostenditur via salutis, et secundo perditionis. In cruce denique Latro didicit veram (2) differentiam viarum; propter unum peccatum damnatur Adam, et propter unam fidei vocem salvatur Latro; unum peccatum eiecit illum, et una voce salvatur iste.

IV. O admiranda rerum materies (5)! nec Abrahæ per vocem data est promissio Paradisi, sed per fidem hæreditavit. Sed ante Latronem nemo Paradisi hæreditatem accepit. Perscrutemur ergo, fratres, Novum ac Vetus Testamentum, nullum invenire poterimus ante Latronem Paradisi repromissionem meruisse. Nam vocavit Deus Abraham dicens: « Exi de terra tua et de cognatione tua<sup>4</sup>; » et non

<sup>1</sup> Matth. XI, 12. — <sup>2</sup> Id. XXVII, 54. — <sup>3</sup> Luc. XXXI, 43. — <sup>4</sup> Gen. XII, 1.

(1) Cod. dum. — (3) Id. viam. — (4) Hæc quasi ad verbum leguntur in Sermon. supra citato, nempe *Serm. de secunda feria Paschæ*.

dixit hæreditatem Paradisi, sed « Veni in terram quam monstrabo tibi<sup>1</sup>, » Moyses quidem Legem Domini accepit et per repromissionem observantiæ Legis, audivit : « Bona terræ comedetis<sup>2</sup>. » Non etiam Isaias, non Jacob audivit velut Latro : « Mecum eris in paradiso. »

V. Sed necesse est quærere cur huic ante alios Paradisi hæreditas promittitur, cujus causam assignare præsumo. Nam « Abraham credidit Deo<sup>3</sup>, » et credidit illi de cælo loquenti, et per Angelos sermones proferenti, sed non sic vidit Latro. Credidit et Isaias, sed in gloria consistenti, quia vidit eum sedentem super thronum excelsum<sup>4</sup>; sed non sic Latro. Credidit Ezechiel, sed Deum super Cherubim contemplatus est<sup>5</sup>. Crediderunt et omnes sancti Prophetæ, qui ut plurimum tanquam Deum gloriosum intuebantur, sicut possibile hominibus Deum videre erat. Credidit et Moyses, sed de medio ignis gloriose sibi loquenti. Sed iste Latro quomodo eum videbat? Non super thronum regale, nec sedentem super Cherubim, non loquentem de cælo, non Angelis sociatum; sed cum latronibus in cruce pendentem, manibus ac pedibus perforatum, latere apertum, spinis coronatum. Sic ergo ornatum, sic honoratum, sic decoratum, sic despectum, sic dilaceratum, sic tormentatum, tanquam Deum adorat, dicens : « Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. » O magna fides! o admiranda constantia! o magna Dei gratia! Videt in cruce Latro Salvatorem hominem, et rogat quasi in cælis sedentem; videt condemnatum, agnoscit (1) in cunctis beatum; videt crucifixum, et tanquam Deo (2) deorum clamare non cessat : « Memento mei, Domine, cum (5) veneris in regnum tuum. » O Latro, jam non latro, in ligno pendere cernis, et cælorum regna meditaris. O admiranda Latronis conversio! Numquid Scripturas legerat? numquid prophetias in-

<sup>1</sup> Gen. xii, 1. — <sup>2</sup> Levit. xxvi, 6. — <sup>3</sup> Gen. xv, 6. — <sup>4</sup> Isai. vi, 1. — <sup>5</sup> Ezech. x, 4.

(1) Cod. *quasi*. — (2) Id. *Deum*. — (3) Id. *dum*.

tellexerat? numquid doctus ante fuerat, quod hic esset Filius Dei? unde eruditus es (1), Latro? quis te in sylva talia docuit? quis te sic cito illuminavit? Quis tibi os et cor tam bene aperuit? quis te docuit talia de Christo fari? Judæi crucifixerunt, qui leges per Prophetas perlegerunt, et tu harum ignarus Deum vocas; condemnatum et crucifixum adoras. Quis te erudit, o Latro? Dic, dic. « Non me Lex, sed Legis Doctor et Factor. Vidi enim crucifixi potentiam, non humanam, sed potius divinam, quia in cunctis « Non aperuit os suum<sup>1</sup>. » Vidi terræ motum et sensi, et elementa mutata intellexi. Petræ quidem scindebantur, sed Judæorum corda non mutabantur. Terra igitur mota est, sol fugit, petræ scissæ sunt, mortuorum corpora apparuerunt (2) super terram viventia, sed super omnia, quod me moveat, est ejus patientia, quia alta voce clamare non desistit: « Pater, ignosce illis<sup>2</sup>. » Hoc video, Hoc audio; et quid aliud dicere possum, nisi: « Memento » mei, Domine, cum veneris in regnum tuum? » Et ait Salvator serena facie: « Amen dico tibi: Hodie mecum eris » in paradiso<sup>3</sup>. »

VI. Non ergo timere debemus, fratres, ut si non in sanitate, saltem in ultima infirmitate ad Deum redire festinanter debeamus (5). Ecce enim Latro clamat in morte, et vita ipsi (4) donatur. Amen.

<sup>1</sup> Isai LIII, 7. — <sup>2</sup> Luc. XXIII, 34. — <sup>3</sup> Ibid. 43.

(1) Cod. est. — (2) Id. apparent. — (3) Id. debemus. — (4) Id. sibi.

## SERMO XLV.

## De Passione Domini IX.

*Imitatio est quedam, vel libera versio duarum homiliarum sancti Chrysostomi de Proditione Judæ. Cum vero in quibusdam duce illæ homiliæ, licet easdem fere sententias complectantur, inter se differant, non inutile erit legere antiquam versionem, quæ et ab iis duabus iterum differt, et quoad ordinem rerum, et quoad ultimam partem, quæ omnino dissimilis est. Legitur in Bibl. Ædil., cod. x, fol. 26 b. Locus ejus post præcedentem cum numero de Passione Domini xvi.*

## SYNOPSIS.

I. Lugendus non traditus, sed traditor, quem luget Christus. II. Inimicis, exemplo Christi, parcendum. III. Maria Magdalene redit ad virtutem, dum pergit Judas ad crimen. IV. Crimen Judæ voluntarium et pessimum. V. Nec desperandum, nec præsumendum. VI. Cupiditatis funesti effectus. VII. Christus non invites peccatores retrahit a vitio. VIII. Christo nullum domicilium. IX. Christus osculo traditur. X. Exhortatio ad fiduciam.

I. HODIE, dilectissimi fratres, Dominus a Judæis captus est, et a discipulo traditus est; nam proximante vespera Judæi eum acceperunt. Sed non te contristet (1) verbum traditionis. Nec (2) cum perceperis, quod Dominus traditus est, dolore movearis, quia necesse erat Christum

(1) Cod. *contristetur*. — (2) *Id. nam*.

pati. Imo ut doleas suadeo et prædico, et ut lacrymæ ab oculis non deficient exhortor. Non tamen traditum lugeas nec fleas, sed factum proditoris ingemiscere non cesses, et futura ejus lamentari (1) supplicia non desistas. Ait enim Salvator plorans discipuli perditionem: « Tristis est anima » mea usque ad mortem<sup>1</sup>. » Nam proditus Christus orbem liberavit universum, et tamen gehennam ille meruit possidere. Traditus in cælo sedet in dextera Patris, sed traditor apud inferos collocatur. Ideo Dominus ejusdem discipuli perditionem ingemuit, quia, cum vidisset eum, turbatus est, et ait cupiens corrigere eum: « Unus vestrum » me tradet<sup>2</sup>. » O quanta Domini misericordia! nam discipulo multa mala pepercerat (2); nam latro semper fuerat (3), patrem occiderat, matrem violaverat, homicidia et prodiciones multorum commiserat, ut ait sanctus martyr Cyprianus, et tamen non tantum Dominus discipulo parcat, sed pro eo adhuc dolet, adhuc proditus pro proditore turbatur, adhuc minis et blanditiis eum revocare conatur, dicens: « Unus ex vobis me tradet. » Simul enim et suæ misericordiæ potestatem ostendit, et nos docet (4) non eos qui mala patiuntur, sed eos qui mala committunt, debere miseros et dignos fletu existimari (5). Hoc enim pejus est; imo (6) illud penitus malum non est; nam malum pati, malum non est; sed malum facere, malum est. Ideo malorum sustentatio cælorum regna nobis pollicetur, malorum vero commissio gehennam minatur et tormenta promittit. « Beati, » inquit (7), qui persecutionem patiuntur propter justitiam<sup>3</sup>. » Videte ergo, fratres, quod regnum cælorum recipiunt, qui persecutionem patiuntur, et accipiunt illud.

II. Attendite igitur, fratres, quod, ut vobis diximus,

<sup>1</sup> Matth. xxvi, 38. — <sup>2</sup> Marc. xiv, 18. — <sup>3</sup> Matth. v, 10.

(1) Cod. *lamentare*. — (2) Id est *condonaverat*. — (3) Hæc desunt in Chrysostomo, et a translate fuerunt male superaddita. — (4) Cod. *docens*. — (5) Id. *extimari*. — (6) Id. male *hoc enim prius est Jesus*. — (7) Id. *denique*.

omnis Christi actio, nostra est instructio. Nam solo verbo poterat se juvare. Numquid et ipsi Judæi non (1) ceciderunt retrorsum? Noluit enim se juvare, nos docens per hoc ut nos circa adversarios nostros iracundiam temperemus (2), et eorum mala doleamus ut propria. Illi enim vere mala patiuntur, qui nobis in mente insidiantur adversa; sed pro illis divinam clementiam exorare debemus, ut simus filii patris Jesu Christi. Assidua enim persuasione verba mea, quæso, cordibus vestris inhæreant (3), ut continuatione sermonis, in pectoribus vestris ira sublata, furor benignitatis (4) remedio temperetur. Nam Christus non tantum inimicis nostris consuluit, sed et nobis voluit esse consultum, cum jussit ut (5) adversariis nostris peccata laxemus. Audi Heli dicentem ad filios suos: « Si peccaverit homo in hominem, orabunt ad Dominum; si vero (6) ad Deum peccaverit, quis orabit pro eo <sup>1?</sup> » Dimittite, fratres, centum denarios in præsentem, ut in futuro decem millia talenta vobis dimittantur.

III. Sed nunc, fratres, si placet, ad passionem Christi redeamus. Nam cum Dominus in domo Simonis recumberet, qui annis triginta tribus leprosus fuerat, accessit illa meretrix Maria, soror Lazari, quæ licet ditissima esset, erat tamen in civitate peccatrix, in tantum quod publice prostituta, vili contenta nobilium pretio, mollia sui corporis pateretur (7). Dilaniata quippe erat, sed minime satiata; prodiga erat, quia si recipiebat, longe plus retribuebat. Accessit ergo hæc meretrix, alabastrum (8) in manibus portans, et caput, postquam ad pedes flevit, optime unxit. Non hoc semel fecisse credendum est, sed et sæpe. Grandem fidem, multam reverentiam, et miran-

<sup>1</sup> 1 Reg 11, 25.

(1) Deest *non* in cod. juxta morem. — (2) Cod. *temperemur*. — (3) Id. *inhæreat*. — (4) Id. *furoris benignitas*. — (5) Hæc verba *jussit ut*, desunt in cod. — (6) Hæc ultima verba *si vero* etc. desunt in cod. — (7) Cod. *patiebatur*. — (8) Id. *vas alabastrum*.



dam correptionem Maria ostendit. Paulo ante meretrix fuerat, et subito pudica processit, et curva, verecundia plena, domum convivantium intrans, ad portum serenitatis pervenit, ad pedes retro se prostravit, capitis pedes extergere cœpit (1), et sic Magistrum pascebat, sic eum consolabatur. Dum enim hæc mulier lupanar exivit, tunc discipulus infernum intravit. Dum enim meretrix mercedem corporis capiebat, tunc discipulus pretium sanguinis jam expectabat; dum illa pedes osculabatur, ut veniam reciperet, tunc discipulus osculabatur, ut proderet. Ideo dixi, «Tunc,» ut non Magistrum infirmitatis accuses, quando discipulum reperis proditorem. Magister enim virtutem doctoris ostendit, qui etiam (2) meretrices ad obediendum suo magisterio convolare profecit. Meretricis enim morem voluit mutare, sed discipulum non potuit retinere, quia voluntas creata in nulla sui actione potest mutari ab aliquo, nec a Deo (3), stante libero arbitrio. Non enim potuit discipulum liberare, quia discipulus noluit; voluit meretricem liberare, quia ipsa se sponte obtulit et voluit.

IV. Abiit ergo latro ille videns unguenti perditionem. Non invitatus, non coactus, non adulatus, non minatus, non necessitate constitutus, sponte processit ad sacerdotes. Clam procedens intravit; propria malignitate consilium eorum fortificavit dicens, omnino esse possibile Christum capi; dicens, ut arbitrator, fratres: «Quid vultis mihi dare?» Dic, o Judas proditor, quis te hoc facere docuit? quis doctorum hoc tibi demonstravit? quis discipulorum

<sup>1</sup> Matth. xxvi, 14.

(1) Cod. absurde *cymbalum Petrus percutere fecit*; nisi supponas legendum contra omnem Scripturæ rationem, *cymbalum plectro percutere fecit*, aut *cœpit*. — (2) Cod. *qui cum*. — (3) Hæc prorsus falsa sunt, quia Deus per gratiam mutare potest cor peccatoris, quin liberum destruat arbitrium. Facere poterat, ut quod nolebat discipulus, attractus gratia libentissime vellet; nec voluit meretrix, nisi quia gratia fuit attracta. Hæc in Chrysostomo non leguntur.

Christi hoc ostendit? numquid et Magister divitias te contemnere non prædicavit? numquid non cuncta despiciere te docuit? numquid non aurum et argentum portare te docuit? Cur ergo Magistrum vendis? Numquid malum tibi fecit? numquid non sæpe te excusavit? numquid non multa mala tibi dimisit? Semper enim te super alios admonebat, quia plus et super alios indigebas; semper suadebat, semper omni studio sanare te cupiebat; et tu dicis tanquam Legis zelator: Occidatur Magister, quia malus est. Sub hac specie intravit ad eos, ostendens se esse zelatorem Legis; et subjunxit: « Quid vultis mihi dare, et ego cum vobis tradam? » O verbum totius superbi! et tradis eum qui cuncta creavit et conservat; tradis eum, qui omnia ligat; tradis eum, cui omnia obediunt; tradis eum qui dæmonibus imperat, cui obtemperant maria, cui omnes subjacent potestates.

V. Omnia enim verba Magistri respuit, omnes Domini sermones contempsit. Christus enim cautio est, et meretrix testis est, quæ de sua fuit liberatione sollicita. Non enim de tua liberatione desperare adhuc debebas (1), o proditer; nam paulo ante meretricem videras, et septem dæmonia ab ea expulsa audieras. Cur ergo ad pietatis fontem redire timebas? Utrumque enim, fratres, periculosum est et confidentia et desperatio; nam confidentia scilicet (2) stantem evertit, et iterum desperatio post lapsum non permittit (3) consurgere. Ideo « Qui putat se stare, caveat ne » cadat<sup>1</sup>. » O homo, debes exemplum utriusque personæ aspiciere. Discipulus enim putabat se stare, et ecce quomodo cecidit; meretrix cecidisse arbitrabatur, et ecce quomodo surrexit. Non ergo de bonis præsumere debemus, nec de malis desperare.

VI. « Quid vultis mihi dare? » O mercator pessime (4),

<sup>1</sup> 1 Cor. x, 12.

(1) Cod. *sed desperatione debeas.* — (2) Id. *displicet.* Forte melius legendum *virum licet stantem.* — (3) Id. *permittit.* — (4) Id. *pessime.*

cur non recordaris, quid fecit Magister languentibus? cur mortuorum resurrectionem non recordaris? cur beneficiorum tibi illatorum non meminis? Has vices persolvis? hæc beneficia Magistro recompensas? hoc ipsi (1) persolvis? « Quid vultis mihi dare? » O falsa cupiditas proditoris! Cuncta enim mala cupiditas procreavit. Hac affectata, Magistrum tradidit Judas; nam cupiditas hujusmodi sortitus est naturam; captas animas retinet, et omnibus alligatas nodis astringit, et Dei (2) in cunctis oblivionem ponit, et alienationem mentis diu noctuque imponit. Et Judas captus cupiditate, beneficia cuncta respuit, et gratiæ (3) apostolatûs oblitus est, phrenesi impeditus cupiditatis. Et ideo Paulus radicem omnium malorum cupiditatem merito appellavit<sup>1</sup>. Sic enim per avaritiam proditur (4) Dominus; sic in horto capitur, ut peccatum quod in horto Paradisi Adam commisit, sua captione deleteret (5).

VII. Sed dicet quis: Cur Deus a tanto vitio non retraxit Discipulum? quia, ut diximus, non potuit ipsum retrahere invite (6). Ipsa enim Deus bona et mala in nostram potestatem et electionis liberum donavit arbitrium. Ideo invitos non cogit, sed volentes amplectitur. Quis ergo Christum accusare præsumet, quia Judæ cogitationem non mutavit adversam? Nam mentis malitia necessitate non tollitur, si sponte omnia quæ meliorare animam possunt, odisse cognoscitur. Et si remedium respuit, non medici culpa (7), sed vitium est languentis. Dixerat enim Discipulis Medicus animarum, quomodo eum tradere debebat. Infernorum tormenta sæpe prædixit, et cælorum regna sæpe repromisit; pedes post Petrum ipsi (8) lavit, ante ipsum se genuflexit,

<sup>1</sup> 1 Tim. vi, 10.

(1) Cod. *sibi*. — (2) Id. *Deum*. — (3) Id. *gratia*, et deinde *cupiditate*. — (4) Id. *perditur*. — (5) Id. *delectet*. — (6) Vide dicta superius; *non potest retrahere invite, sed facere potest ut velit*. — (7) *Deest culpa* in cod. — (8) Cod. *sibi*. Hæc non leguntur in sancto Chrysostomo, sed *pedes ejus ut et aliorum abluit*.

quos etiam pedes osculatus fuit ; ad mensam enim secum vocavit , nihil omnino (1) Magister prætermisit , nihil omnino pro Discipuli salute faciendum (2) reliquit ; sed omnibus admonitionibus conculcatis , proditor ille malignus emersit.

VIII. Et dum iret ut proderet eum , et Discipuli dixerunt : « Ubi vis paremus tibi edere pascha<sup>1</sup> ? » Isti solliciti erant parare , et ille sollicitus erat proderere ; ipsi cupiebant comedere agnum , et ille cupiebat proderere Agnum ; isti festinabant congregari , et ille disgregare eos cupiebat ; ipsi boni , et ipse pessimus. Dicunt ergo Discipuli : « Ubi vis ut » paremus tibi comedere pascha<sup>2</sup> ? » Non enim Salvator domum propriam habuit , ubi caput reclinare posset<sup>2</sup> ; ideo dicebant Apostoli : « Non habes domicilium ; non habitaculum , non susceptaculum tibi est. Ubi ergo vis , ut paremus tibi ? » O Christiani , attendite ; o divites et potentes , quibus in domibus deauratis cura est habitare , attendite et considerate , utrum filii Christi et discipuli. Ecce enim qui cuncta creavit propriam domum in mundo non dignatur habere , et nos miseri non solum domos , sed alta palatia ; non solum palatia , sed turres excelsas petris quadratis et auro a foris perornatas. Numquid et sic Christus ? Cognoscite ergo Christum omnium Dominum , qui locum ubi caput reclinaret non habuit. Omnes enim illi qui paupertatem Christi non amant , regnum cœlorum non consequentur.

IX. Paraverunt ergo Discipuli , Petrus et Joannes (3) , in cœnaculo David prophetæ , et consummata cœna (4) , recessit proditor a fidelibus , et docuit Judæos (5) quomodo eum caute ducerent , cum faculis , et fustibus et lanternis tanquam latronem (6). Occurrit ei Dominus , et ait : « Quem » quæritis<sup>3</sup> ? » Accessit ergo filius iniquitatis , et osculatus

<sup>1</sup> Matth. xxvi, 17. — <sup>2</sup> Id. viii, 20. — <sup>3</sup> Joan. xviii, 4.

(1) Cod. *nihilominus* et sic deinceps. — (2) Id. *fiendum*. — (3) Hæc et cætera apud Chrysostomum non leguntur. — (4) Cod. male *a cœna*. — (5) Id. et *doctis Judæis*. — (6) Id. *ad latronem*.

est eum. O vitanda proditoris perversitas ! o detestanda iniquitas ! o nefanda fraternitas ! o pessima (1) libatio , in qua sub vultûs hilaritate palliatur iniquitas ! o nefanda fraternitas ! Tales sunt sacerdotes et pastores qui præsumunt Christum osculari in altari , quibus labiis osculantur labia fœminarum. Isti sunt intemorati Israëlità , quorum falso testimonio Naboth<sup>1</sup> injuste lapidatur (2); isti sunt senes pessimi (3) , diebus malis veterati , sanguinem justum condemnantes<sup>2</sup>. Tales Christum capiunt , et faciem ejus conpuunt ; tales etiam sunt , qui præsentiam gratiæ ejus respuunt , colaphis eum cædunt , qui suos honores ei præferunt. Qui sunt enim illi , qui Christum percutiunt , nisi qui honoribus ecclesiasticis illicite præsumunt ? Tales clamant : « Prophetiza nobis , Christe , quis est qui te percussit<sup>3</sup>. » Tales proximum percutiunt , Christum tradunt , Christum vulnerant , ejus pallium recipiunt. Tales appellantur custodes murorum ; isti prælati sunt super muros Jerusalem positi , ut custodiant , nec taceant laudare nomen Domini : et ecce non laudant , sed blasphemant ; non custodiunt , sed dormiunt ; non claudunt , sed aperiunt ; isti sunt , qui Christum percutiunt , honores ecclesiasticos procurantes ; non prodesse , sed præesse obsequiis indignis , precibus inhonestis , imprecationibus iniquis usurpant et rapiunt. Sed percussum vulnerant , dum indigne ministrant. Tunc pallium auferunt , dum indigni (4) Christi patrimonium illicite expendunt ; pallium enim breve est , et utramque partem corporis fere cœperire potest ; sic enim Christi patrimonium expendunt. Non enim sufficit parentibus , divitibus et pauperibus , sustentandis. Patienter tamen Dominus tales sustinet , et patienter adhuc , ut convertantur , amicos eos vocat , dicens : « Amice , ad quid venisti<sup>4</sup> ? »

<sup>1</sup> 1 Reg. XXI, 1, et seqq. — <sup>2</sup> Dan. XIII, 2, et seqq. — <sup>3</sup> Matth. XXVI, 68. — <sup>4</sup> Ibid. 50.

(1) Cod. *pexima*. — (2) Id. *lapidatus*. — (3) Id. *proximi*. — (4) Id. *indigne*.

X. Ecce Verbum mansuetum; proditorem amicum vocat. Sed quare amicum vocat, nisi ut non desperetur? Quasi dicat Salvator: « O discipule, ecce jam pecuniam recepisti; ecce jam me in manibus peccatorum posuisti; ecce jam obviam tibi veni, amicum adhuc te voco (1), in amicum te habere desidero; plus doleo de tua perditione, quam de mea passione. Obsecro te, deprecor te, ut revertaris ad me, quia « Amore tui languco<sup>1</sup>, » amore tui affligor, amore tui contremiscere non fatiscor. » Sed quia noluit benedictionem, « Abiit, et laqueo se suspendit<sup>2</sup>. » Jesum autem capientes, eum crucifixerunt, cujus patientiæ et passionis participes nos faciat ille qui regnat in æternum. Amen.

## SERMO XLVI.

### De Cruce.

*Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 26. Qui ante et postea leguntur, licet habeant sancti Augustini nomen, ad sanctum pertinent Chrysostomum. Hunc autem apud eum non inveni. Sit tamen propter codicis minimam auctoritatem in appendice post præcedentem.*

### SYNOPSIS.

I. Christus moriens nobis spem resurrectionis attulit. II. Crux arbor sancta et fœcunda. III. Est et scala sancta, quæ per mysticos gradus ducit ad cœlos. IV. Non desperandum, modo adsit bona voluntas.

I. HODIE memoria fidelissimæ crucis, fratres charissimi,

<sup>1</sup> Cant. 11, 5. — <sup>2</sup> Matth. xxvii, 5.

(1) Cod. volo.

per totum mundum recolitur, quia totus mundus per crucem magnifice liberatur, et quidquid in laude crucis canitur, Christi præconium efficitur. Qui enim Christi crucem digne laudat, Christum in ea passum digne prædicat. Recte crux ista fidelis est, et spes resurgendi nostra est. Descendit igitur Deus naturam humanam assumendo, ut naturam humanam per crucem redimeret. Si Angelos redimere voluisset, angelicam naturam utique assumpsisset; sed quia solos homines dignos redemptione cognovit, ideo per gratiam suam, naturam humanam et servilem personam rationabiliter assumpsit, ut ita (1) morte destructa, nos per crucem salvaret. Cum enim audio Christum ad mortem crucis descendisse, et tertia die resurrexisse, o quam grandis spes resurrectionis in me roboratur? Sed dicet aliquis, quia Deus omnia facere poterat, ideo resurgere optime, quando voluit, potuit; sed ego fragilis et carnis conditione prægravatus, quomodo, si mortuus fuero, resurgam? O homo, qui talia loqueris vel cogitas, scias quod hanc debilitatem (2) cunctis fidelibus Salvator abstulit, carnem fragilem assumendo; nisi enim Salvator in corpore meo hostem meum debellasset, nullam fiduciam mihi contulisset. Numquid Christo resurgente, multa corpora Sanctorum non (3) resurrexerunt? numquid non et multis apparuerunt?

II. Ergo Christi crucem prædicemus, et laudemus, et tanto sacramenti signo nostra corda muniamus. Sive comedamus, sive bibamus, sive loquamur, sive dormiamus, sive vigilemus, sive pergamus, sive stemus, in cunctis quæ agimus, semper Christi crucem feramus, et sic armati defensemur ab hoste maligno. In illo denique ligno agnus ille decoctus fuit; ideo arbor alta et bona fuit: bona quippe foliis, bona floribus et optima fructibus. Folia enim crucis verba sunt evangelica. In his enim verbis invenimus, quod

(1) Cod. in. — (2) Id. *dilectionem*. — (3) Deest in cod. *non post numquid*, et sic deinceps.

quacumque hora peccator ingemuerit, misericordiam consequetur. Ecce quam pretiosa sunt hujus arboris folia. Istud est illud folium quod non fluet in æternum. Nos folia hujus arboris sumus quamdiu vixerimus, et in cruce perseverantes, per opera ad fructum, qui est Christus, pervenimus; non tamen nostris meritis quibuscumque ornati sumus, sed solum per gratiam. Hæc igitur vere est arbor grandis, et ornata foliis, floribus et fructu suavissimo. Hæc virga vespere arida, id est (1), in antiqua Lege arida, sed mane, cum (2) Filius Dei descendit ad nos, fronduit, floruit et fructum fecit amygdala (3); in tantum ut hæc virga tempore passionis aruerit, ut non esset in ea species neque decor<sup>1</sup>; sed frondes protulit, cum Apostolis resurrectio Christi nuntiata fuit; floruit, cum Christus suis (4) Apostolis apparens corporali præsentia eos lætificavit; peperit amygdala, quando Spiritus sanctus super eos descendit.

III. Hæc igitur est scala peccatorum, per quam Christus rex cælorum ad se traxit omnia; hæc est scala per quam Christus cælos ascendit. Sed quibus gradibus videamus; utique paupertate, patientia, humilitate, obedientia, ut sua paupertate nostram miseriam debellaret, sua patientia ad mansuetudinem nos provocaret, sua humilitate (5) nostram superbiam confunderet, sua obedientia primiparentis inobedientiam deleret. Nos igitur, fratres, caput nostrum intueamur, et « Sicut ipse ambulavit, sic et nos ambulemus<sup>2</sup>. » Plures enim gradus in hac scala Deus Pater inseruit, per quos ascendere possunt fortes et debiles, juvenes et senes, donec Deus deorum in Sion videre mereantur<sup>3</sup>. Si quis enim fervens vel robustus est corpore, in ordine duodecim gradus ascendere debet, quoadusque perveniat ad illam « Perfectam charitatem, quæ foras mittit timorem<sup>4</sup>; »

<sup>1</sup> Isai. lxxv, 2. — <sup>2</sup> 1 Joan. ii, 6. — <sup>3</sup> Psal. lxxxiii, 8. — <sup>4</sup> 1 Joan. iv, 18.

(1) Cod. *et*. — (2) Id. *dum*, et sic inferius. — (3) Id. *amindola*, et sic deinceps. — (4) Id. *ait*. — (5) Id. male addit *ut*, et sic deinceps.



qui vero carnis pondere prægravatus, istos ascendere nequit, saltem octo ascendat, quos Sanctus ille Ezechiel proponit<sup>1</sup>. Sed si quis istos ascendere non potest, saltem quatuor, quos David insinuat, dicens: « Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus<sup>2</sup>? » Sed ecce quos quatuor gradus tibi assignat. Primus est, « Mundo corde; » secundus, « innocens manibus; » tertius, « Qui non accepit in vanum animam suam, » sed fructificando de virtute in virtutem; et quartus est, « Qui non jurat in dolo proximo suo<sup>3</sup>. » Conqueritur etiam quis, et excusat se adhuc non posse istos ascendere. O peccator, saltem duos ascendere, si vis ad vitam ingredi, tibi necesse est; scilicet « Diliges Dominum Deum tuum, et proximum tuum, sicut te ipsum: hoc fac et vives<sup>4</sup>. »

IV. Sed adhuc dicet quis: Ego miser corporea infirmitate gravatus sum, in decrepitate positus sum, amisi florem juventutis meæ, Deum in nullo cognovi, totum tempus meum consumpsi luxuriose vivendo, nihil aliud mihi restat, nisi ut moriar, et « Descendam in profundum quasi lapis<sup>5</sup>; » quomodo ergo Deum diligere possum? quomodo proximum sicut me ipsum? namquid ad Deum diligendum (1) sufficit tantum credere? Quid enim est Deum diligere, nisi amore sui omnia contemnere? ut quod (2) amatur, ametur in Deum? quid est Deum diligere, nisi omnia, quæ præcipit, observare? Sed ego miser infirmitate gravatus, operari aliquid quomodo possum? Nihil jam mihi remansit, nisi tantum voluntas. Quid ergo de me esse poterit, nisi quod sine redemptione ad Tartara descendam? O homo, obsecro, ne diffidas, ne desperes. Deprecor te, ne excidas (3) ab omni expectatione. Cupio autem (4) et hortor, ut etiam (5) sic ex infirmitate gravatus, non per-

<sup>1</sup> Ezech. XL, 31, et seqq. — <sup>2</sup> Psal. XXIII, 3. — <sup>3</sup> Ibid. 4. — <sup>4</sup> Matth. XXI, 37-39. — <sup>5</sup> Exod. XV, 5.

(1) Cod. *Deum diligere*. — (2) Id. *et quid*. — (3) Id. *confidas te*. — (4) Id. *tamen*. — (5) Id. *dum*, et deinde *in pro ex*.

gas (1) hæc omnia dicere. Peccata tua confiteri, obsecro, ne graveris, quia ecce jam tempus amissum recuperas confitendo peccatum. Ovem perditam jam invenisti (2), cælorum civis jam factus. Deus qui te sanguine suo pretioso redemit, licet offensus fuerit per te, tamen adhuc pulsat ad te, adhuc interpellat ad Patrem pro te, adhuc valde diligit te, adhuc desiderat te. Cave igitur et vigilantè attende, ne diffidas ab eo. Ecce jam brachia extendit ad te, jam caput inclinat ad te, jam manus perforatas et pedes et latus habet pro te; multa enim passus est pro te. Numquid cupit dimittere te? Absit. Ecce, ut asseris, nihil tibi remansit, nisi tantum voluntas. Confide; adhuc magnam habes hæreditatem, magnam habes possessionem. Esto vir fortis; nihil enim Latroni in cruce pendenti jam remanserat, nisi voluntas, et ecce quam dulciter ipsi (3) Paradisus donatur. Solummodo bona voluntas tibi infirmitati requiritur. Sufficit enim bona voluntas cum confessione et peccatorum dolore, quam si quis habuerit, ad salutem ipsi sufficere poterit. Ascendamus ergo, fratres, dum vivimus, gradus crucis et bonorum operum; ascendamus ad pœnitentiam, dum tempus habemus, quia nescimus utrum juvenes vel senes mori debeamus, subito vel mora, in lecto vel in campo, in igne, vel in aqua, vel gladio. Ergo ascendamus, in bono opere perseverando; et qui laborare non potest, saltem in bona voluntate permaneat, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(1) Cod. *quiescas*. — (2) Forte *ovis perditam, jam inventus fuisti; cælorum civis jam factus es*. — (3) Cod. *sibi*, et sic deinceps.

SERMO XLVII.

In die Paschæ III, de Resurrectione Domini.

*Hic sermo, præterquam quod educitur ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 30 b, multa continet temere dicta, quæ sancto Augustino nullatenus conveniunt. Ponatur in appendice post sermonem supplementi primi IV, cum numero in die Paschæ XV.*

SYNOPSIS.

I. In festo Paschæ nobis lætandum. II. Apparet primo Matri, mæstorum consolatio. III. Et Jacobo jejunanti. IV. Et Mariæ peccatrici. V. Et peccatori Petro. VI. Confidant et imitentur peccatores.

I. GAUDE et lætare, o alma mater Ecclesia, et per omnes vicos tuos festivum Alleluia solemniter decantetur<sup>1</sup>, quoniam « Resurrexit Dominus vere<sup>2</sup>, et sedit in medio » Discipulorum suorum, et dixit: Pax vobis<sup>3</sup>. » Lætare ergo, o Jerusalem, et (1) conventum lætitiae facite omnes qui diligitis eam. Gaudete in lætitia omnes, qui in tristitia fuistis, et fugiat a vobis omnis dolor, quoniam dies boni nuntii jam advenit, in quo Deus et homo, morte destructa, resurrexit a mortuis. Vide ergo, o anima, ne fleveris, quia ecce « Vicit (2) leo de tribu Juda, et radix David<sup>4</sup>. » Hæc est enim dies in qua est nostra salus consummata. « Exultemus

<sup>1</sup> Tob. XIII, 22. — <sup>2</sup> Luc. XXIV, 34. — <sup>3</sup> Joan. XX, 19. — <sup>4</sup> Apoc. V, 5.

(1) Cod. in. — (2) Id. venit.

» ergo et lætemur in ea<sup>1</sup>. » Hæc est enim dies, quam Deus nobis exhibere dignatur. Hæc est enim dies fontalis benevolentiae (1), triumphalis victoriae, præcordialis lætitiæ, spiritualis intelligentiæ. In hac enim die collatum esse cognoscimus sublevamen peregrinantibus, propositum adjuvamen decertantibus, propalatum solamen laborantibus, et amotum (2) velamen aberrantibus. Gaudete et lætamini, et per omnes vicos Jerusalem festivum Alleluia cantetur, o peregrinantes, quia hodie recepistis fiduciam, decertantes constantiam, laborantes perseverantiam, contemplantes refulgentiam. Accedunt peregrinantes ad fontem benevolentiae, ut omnes refocillari valeant in sua peregrinatione, quia hodie resuscitatus apparuit homo ille veniens die tertia de castris Saül, veste carnis conscissa, et pulvere humanitatis aspersus caput. Hic est enim ille Sanctus sanctorum, mæstorum consolatio, afflictorum recreatio, peccatorum confortatio, pupillorum solidatio. Ad quod designandum hæc est dies, festum frondosæ devotionis, sacræ communionis, cerei magnæ illuminationis.

II. Hauriant igitur mæsti aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris<sup>2</sup>, quia hodie resurrexit mæstorum consolatio; nam Mater mæstissima ex Filii visione hodie consolatur. O quanta suavitate et hilaritate Salvator primo illi (3) apparuit. Nam ut opinor, fratres, quamdiu Christi corpus quievit in monumento, tamdiu Mater ejus Maria singultibus et suspiriis satiata est, et (4) sine potu et cibo, donec Filium resurrexisse vidit, perseveravit. Et dum sic anxie persisteret Mater (5) redemptoris, ecce mane diluculo Filius Dei et Virginis, sole splendidior, nive candidior, cunctis fœ-

<sup>1</sup> Psal. cxvii, 24. — <sup>2</sup> Isaï. xii, 3.

(1) Cod. *benivolentiæ*, et sic infra. — (2) Id. *admotum*. — (3) Deest *illi* in cod. Non juxta Scripturarum testimonium asserere videtur scriptor, Christum Matri primo apparuisse, ut videre est supra. Cætera mera sunt piæ mentis somnia. — (4) Deest *et* in cod. — (5) Cod. *unici*; et deinde *et ecce*.

cundior, tanquam victor de bello, crucis vexillum manibus bajulans, domumque Virginis januis clausis intrans, eam reverenter salutans ait: « Ave Redemptoris Mater et Virgo, quæ sola primo digna fuisti videre cælorum Regem et Dominum resurrexisse a mortuis. » Quem Mater Filium intuens, expandens manus et brachia, clamare præ gaudio cœpit: « Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit et fecit » redemptionem plebis suæ<sup>1</sup>. » Agite ergo, o devoti fideles, et fiducialiter adventum sponsi in hac valle miseriæ præstolemini (1), quia Rex regum, primogenitus mortuorum<sup>2</sup>, in hoc paschali gaudio gaudere facit (2) exulantes. Expectent eum patienter pariter et ardentem aliquantulum cum Maria, quia festinus occurret eis (3) sponsus, iterum aspectibus angelicis consolando, et lapidem corporalis obstaculi amovendo, quia hodie Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium<sup>3</sup>.

III. Hauriant afflicti in fornace ferrea recreationem, quia afflictorum consolator et tribulorum adventit. Voverat enim Jacobus, frater Domini, se non comesturum donec a mortuis resurgeret (4). Cui afflicto et famelico Dominus apparuit et dixit: « Epulare gaudens, frater mi, quia Filius hominis jam resurrexit. » Hæc est enim dies clarior cunctis, sanctior universis, de qua Dominus Discipulis ait: « Plorabit et flebitis (5) vos, et iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum<sup>4</sup>. » Hæc est enim dies, in qua spoliatur Ægyptus, Hebræi liberantur de fornace ferrea, quibus in arido constitutis, opus erat servitutis lutum, later et palea in medio terræ. Igitur Dominus egreditur Ægyptum resuscitatus, et sic Moyses assumptus de aquis Pharaonis prostravit exercitum.

IV. Hauriant peccatores spem et fiduciam, quia eorum

<sup>1</sup> Luc. 1, 68. — <sup>2</sup> Coloss. 1, 18. — <sup>3</sup> 1 Cor. xv, 20. — <sup>4</sup> Joan. xvi, 20.

(1) Cod. *præstolantes*. — (2) Id. *faciat*. — (3) Id. *ei*. — (4) Hæc non majorem habent auctoritatem ac præcedentia. — (5) Id. *ridebitis*.

confortator jam Mariæ peccatrici apparuit; quæ, ut diximus, vere peccatrix erat, in tantum ut publice prostituta, vili contenta pretio, mollia et sordida in corpore sæpe, licet non semper pateretur (1), a qua etiam septem dæmonia ejecerat<sup>1</sup>; et tamen publice primo illi (2) apparuit. Voluit Deus per mulierem vitam denuntiare, sicut et ipsa primo denuntiatrix exitit mortis. Sciebat enim Dominus quod mulieres secreta male tenere possunt; et si secretum est, mox prædicatur super tecta. Volens ergo Dominus suam resurrectionem cito propalare, mulierem peccatricem, jam non peccatricem præconizantem fecit.

V. Sed numquid et hæc sola peccatrix exitit, cui Dominus apparuit? Numquid et Petrus peccator non (3) fuit? numquid et non uxores plures ante Apostolatam habuerat (4)? numquid non et ad vocem ancillæ per Deum cæli juraverat, quod Jesum non noverat<sup>2</sup>? numquid non et per illum qui Legem Moysi dederat, quod non noverat hominem? Et tamen tribus annis cum Christo jam steterat. Ideo Judæi jam credebant Petro, ex quo tam fortiter jurare cœpit; ideo Petrus securitate armatus, quia negando clamaverat, ut eum omnes bene audirent, ausus fuit intrare, ubi Deus erat. Et tunc Dominus aspexit Petrum, corde ipsi dicens: «Petre, aspice nunc me cognoscas; non enim te negavi, dum esses in mari.» Et tunc Petrus exivit, et flevit amare<sup>3</sup>. Sed gaude, o peccator, quia licet Petrus peccaverit, et multa mala commiserit, hodie tamen inter cæteros, et super cæteros, a Salvatore nominatur: «Dicite, inquit (5) Discipulis et Petro<sup>4</sup>,» qui caput est Apostolorum, quod non desperet de peccato nuper commisso.

<sup>1</sup> Luc. VIII, 2; Marc. XVI, 9. — <sup>2</sup> Matth. XXVI, 69, et seqq. — <sup>3</sup> Ibid. 75. — <sup>4</sup> Marc. XVI, 7.

(1) Cod. *patiebatur*. — (2) Id *sibi*. Videtur oblitus auctor se paulo antea dixisse Christum primo sanctæ Matri apparuisse. — (3) Deest juxta morem *non* in cod., hic et infra. — (4) Hæc calumniose dicta in sanctum Petrum, de quo nihil tale nobis transmisit certa traditio. — (5) Id. *quia dicite*.

VI. Ecce enim, fratres, duo peccatores, quorum quilibet gratiam magnam recepit: nam Maria videt et denuntiat, sed et Petrus se nominari æstimat. Eia ergo, o peccatores, quid agitis? quid amplius dormitis? cur pigrescitis? Ecce enim Salvator pro vobis (1) mortuus est. Hauriatis ergo spem, hauriatis aquas; flete amare cum Petro, rigate Christi (2) pedes cum Maria. Faciamus quod Maria fecit: emit enim aromata, et venit ungere Jesum<sup>1</sup>. Numquid venit, ut resuscitaret? Scimus enim, quod resuscitare nostrum non est, sed bene ungere nostrum est. Emamus enim aromata cum tribus mulieribus; tres enim mulieres sunt mens, manus et lingua. De his enim, ut arbitror, Petrus a Domino mandatum recepit: « Pasce, inquit, mente, pasce ore, pasce manu (3), id est, opere. » Pasce tu ergo animum tuum et proximi, oratione, pasce verbo et exhortatione, pasce exemplo et exhibitione. Quærat ergo mens vestra aromata compassionis, quærat aromata rectitudinis et justitiæ, quærat etiam aromata discretionis et perseverantiæ. Sic enim fecit Maria; sic et perseveravit, et perseverando vidit et invenit, quod (4) concupivit; quem etiam videre nos ipsos ipse idem faciat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Marc. xvi, 1.

(1) Cod. *nobis*. — (2) Id. *sibi*. — (3) Unde hæc auctor mutuatus fuerit, prorsus nescio, nisi quod sic triplicem Christi vocem velit interpretari. —

(4) Forte *quem*, ut recte dicta concordent.

## SERMO XLVIII.

In die Paschæ IV, de Resurrectione Domini.

*Educitur ex ejusdem Bibl. Ædil. eodem cod. x, fol. 51.  
Sic hic sermo cum cæteris in appendice, post præcedentem,  
cum numero in die Paschæ XVI.*

## SYNOPSIS.

I. Festi Paschalis lætitia. II. Postquam quinquies apparuisset Christus, sexta vice Thomæ se manifestat. III. Cur Christus voluit se tangi a Thoma, non autem a Maria Magdalene? IV. Qui sunt hi ad quos Dominus dignatur intrare? V. Apostolos imitemur.

I. HODIE, fratres charissimi, omnia quæ leguntur, omnia quæ prædicantur, cum omni lætitia audienda sunt, quia ecce jam « Vetera transierunt, et ecce nova facta sunt » omnia<sup>1</sup>. » Hæc est enim dies magnæ novitatis, quæ non inveterascit. Ideo dies Paschæ dies boni nuntii est; ideo, fratres, hodie silendum non est. Sed si tacere voluerimus, merito arguemur. Nam hodie locuti sunt cælorum cives, terra tremuit præ gaudio et exultavit, mortui resurgentes resurgentem crucifixum magnificent; sol clarior apparuit; Infernus ululando, quod suum non est, emittere valde festinat. Omnis enim creatura Creatorem hodie resurrexisse a mortuis manifestat. Numquid et nos tacere debemus?

<sup>1</sup> 2 Cor. v, 17.



II. Annuntiavimus (1) enim hodie quinquies Dominum nostrum apparuisse secundum Evangelii verbum : primo Mariæ<sup>1</sup> flenti ad monumentum (2), secundo eidem et aliis duabus mulieribus, nuntiantibus et redeuntibus a monumento ad Discipulos; tertio Petro; quarto Discipulis euntibus in Emmaüm; quinto ipsis reversis in Jerusalem, absente Thoma<sup>2</sup>. Sed quia hodie satis de his audistis, ideo de sexta apparitione dicere non pigrescat. Nam post dies octo in Jerusalem Discipulis apparuit, Thoma præsentem, et « Intravit » januis clausis, et stetit in medio eorum, et dixit : Pax » vobis<sup>3</sup>. » Sed si quis philosophorum, inimicus virtutis, præsumpsit petere, quomodo Christus januis clausis ad Discipulos intrare potuit, dicat, obsecro, mihi paganus ille, quomodo et idem Deus et homo supra mare siccis pedibus ambulavit. Numquid non (3) et mare et omnia obediunt, tanquam factori et creatori cunctorum? « Intravit enim januis » clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. » Porrexit et dedit id, quod est summum bonum bonorum. Deinde ait Thomæ : Accede, et « Mitte manum tuam in latus meum, » et vide<sup>4</sup>, » et palpa, si sum ille, qui te elegi de mundo. Et ait Thomas : « Deus meus, et Dominus meus<sup>5</sup>. »

III. Sed dicet quis : Cur permisit se tangi a Thoma, et a Maria se tangi non permisit? Cujus rei causam hanc esse decerno. Nam Maria abundavit in fide; statim audiendo in horto vocem Domini, dixit illa : « Vox Domini est; » statim videndo cognovit, et præ gaudio eum amplecti et stringere voluit, non quod dubitaret, sed ut consolaretur tactu, sicut consolabatur auditu et visu. Vel aliter, quia omnia Christi actio nostra est institutio, noluit tangi a fœmina, ut et

<sup>1</sup> Joan. xx, 11, et seqq. — <sup>2</sup> Luc. xxiv, 1, et seqq. — <sup>3</sup> Joan. xx, 26. — <sup>4</sup> Ibid. 27. — <sup>5</sup> Ibid. 28.

(1) Cod. *annuntiamus*. — (2) Legitur hic *lumine ultimo*, aut potius *Luce ultimo*, quæ verba nihil aliud esse videntur, quam indicatio quædam capituli, a quo hæc fuerunt decerpta. Prima tamen apparitio narratur apud Joannem. — (3) Deest in cod. *non* more solito, et deinde *sibi* pro *ipsi*.

nos ipsos tangi ab eisdem non permittamus, quousque ascenderimus ad Patrem in cœlum. Pingatis enim fœminas omni sanctitate, ornetis et homines omni virtute; nil pejus, nil magis dubium, nil imperfectius, nil mortiferius volentibus caste vivere, quam habere consortium fœminarum. Noluit ergo Dominus tangi a Maria, ut nos doceret; voluit tamen tangi a Thoma, ut eum et nos illuminaret, quia non erat fidelis, sed satis incredulus. Sed postquam tetigit, clamavit et dixit: « Deus meus, et Dominus meus. »

IV. Nos autem, fratres, discutiamus et cogitemus, quod (1) jam Dominus intrare dignatur ad nos; non enim visitare et intrare ad omnes dignatur, sed ad bene operantes et perseverantes. Tales erant Apostoli, quia « Cum esset » sero die illa<sup>1</sup>, etc. (2) » Quid per Sero, nisi tota vita hominis designatur? Nam sicut per mane, principium operis, per meridiem medium opus, sic per Sero finis operis designatur, et tempus recipiendi mercedem est. Ad sic perseverantes Christus festinanter advenit; tales visitat, tales confortat, talibus se sic manifestat. Intrat et venit Salvator ad quiescentes, quia « Una sabbatorum<sup>2</sup> » Apostoli quiescebant; sic quiescentibus intravit ad eos; sic sedentibus, Spiritum sanctum misit ad eos. Nemo enim Christum videre poterit, nemo Spiritum sanctum recipere, nisi fuerit mente quietus. Intrat Salvator, et visitat reclusos (3), quia januis clausis intravit. Tu ergo claudas portas corporis tui, oculos ab illicita visione, manus a prava operatione, aures ab omni mala auditione. Fuge ad eremum, si in (4) mundo hæc facere pertimescis, et ibidem beatus a Christo poteris (5) visitari, ut Paulus eremitarum pater. Intravit Salvator, et visitavit congregatos. Nam qui bene fortes non sunt, ad eremum fugere periculum est, si soli

<sup>1</sup> Joan. xx, 19. — <sup>2</sup> Ibid.

(1) Cod. *sed.* — (2) Id. *et quid*, pro *etc. quid.* — (3) Id. *male ad reclusos*; et inferius pariter *reclusos* habet pro *reclusos.* — (4) *Deest in apud cod.* — (5) Cod. *Beati... poteritis.*

ibidem permanserint; quod si ceciderint, non habent mox sublevantem<sup>1</sup>: perfectorum igitur est solus in solitudine habitare. Congregemur ergo simul in unum, si de numero perfectorum non sumus, et sic viriliter præliemur. Una enim candela cito satis extinguitur, sed si multæ simul (1) accensæ fuerint, de levi sic extingui non possunt; et si oves congregatæ non fuerint, facilius capiuntur a lupo. Intrat Salvator et visitat timoratos; nam timidi erant, quia « Propter metum Judæorum<sup>2</sup> » valde timebant. Oportet igitur nos in cunctis Deum timere, quia qui sine timore est, numquid justificari poterit? Per timorem enim concipimus sancta desideria, protulimus sancta suspiria, et parere possumus bona et perfecta opera.

V. Ergo, fratres mei, sanctos istos Apostolos sic timoratos, sic reclusos, sic perseverantes, sic fide ferventes, studeamus sequi et imitari. Nulli jam nostrum, de cætero, veritatis dubium relinquatur, vel ignorantia locus, vel erroris casus. Comedit et bibit, stetit et ambulavit, loqui et tangi voluit. Omnes ergo sanctam fidem catholicam confiteamur, agnoscentes, amplectentes et observantes, clamantes: « Deus meus et Dominus meus! » quem videre nos faciat ille, qui pro nostra salute mori et resurgere dignatus est. Amen.

<sup>1</sup> Eccle. iv, 10. — <sup>2</sup> Joan. xx, 19.

(1) Cod. *insimul*.

## SERMO XLIX.

In die Paschæ V.

*Hæc hunc sermonem in Bibl. Ædil., cod. x, fol. 31 b, de quo satis dictum est. Accedere videtur hæc homilia ad Origenis methodum et dictionem. Sit in appendice post præcedentem, cum numero in die Paschæ xvi.*

## SYNOPSIS.

I. Quomodo vetus Pascha celebrabatur. II. Christus verus agnus paschalis, cujus sanguine salvatur homo, et carne nutritur. III. Cum pœnitentia et bonis operibus accedendum. IV. Agnoscenda Christi divinitas, simul et humanitas. V. Vicia restringenda, mandataque Dei festinanter adimplenda. VI. Sic pervenitur ad veram felicitatem.

I. AUDISTIS, fratres charissimi, quod ille sapiens Architectus, vas electionis, veritatis prædicator, et doctor universi mundi, et turris fortitudinis Sion, nobis prædicavit quomodo in nostro Pascha Agnus immolatus est. Pensare ergo debemus, fratres, quid de Pascha Lex loquatur, ut videamus subtilius, an de Christo dicta videantur. Moyses quippe ait : « Sument de sanguine agni, et ponent super » utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in » quibus comedent illum, et edent nocte illa carnes assas » igni. Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis, nec » remanebit ex eo quidquam usque mane. Si quid residuum

» fuerit, igne comburetis<sup>1</sup>. » Ubi et additur : « Sic comedis illud : renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis, habentes baculos, et comedetis festinanter<sup>2</sup>. » Hæc autem cuncta magnam ædificationem pariunt.

II. Quis namque sit sanguis agni, non audiendo, sed bibendo didicimus; qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed cordis recipitur. In utroque enim poste sanguinem agni ponimus, quando sacramentum passionis illius mente et corpore digne suscipimus. Ideo in superliminaribus domorum poni debet. Et quid est, fratres, domus? nisi mens nostra designatur, cujus domus superliminare est ipsa intentio, quæ præeminet actioni? Qui igitur intentionem suæ cognitionis ad imitationem Dominicæ passionis dirigit, in superliminare (1) domus sanguinem agni ponit. In nocte quippe agnum comedimus, dum in sacramento Domini passionis corpus accipientes, adhuc invicem nostras conscientias non videmus; quæ tamen carnes igne assandæ sunt, quia dissolvuntur carnes quas decoxerit aqua; sed si assantur, roborantur. Sic enim carnes nostri Redemptoris assatæ fuerunt in ara crucis, et aruerunt tanquam testa<sup>3</sup>. Quid namque testa, nisi molle lutum? Sed igni ponitur, ut solidetur. Virtus ergo humanitatis Christi, velut testa exaruit, quia ab igne passionis usque ad virtutem incorruptionis crevit.

III. Sed sola Redemptoris nostri percepta sacramenta ad veram puritatem mentis non sufficiunt, nisi et bona opera conjungantur. Quid enim prodest homini corpus Domini percipere, et mores malos non corrigere? Ideo subdit : « Azymos panes cum lactucis agrestibus<sup>4</sup>. » Vere azymos panes illi comedunt qui recta opera sine vana gloria faciunt. E fermento namque Deo sacrificium immolat qui sacrificium de rapina parat, vel qui sacrificium Deo cum

<sup>1</sup> Exod. XII, 7, et seqq. — <sup>2</sup> Ibid. IX. — <sup>3</sup> Psal. XLI, 16. — <sup>4</sup> Exod. XII, 8.

(1) Cod. non habet *in*.

odio ministrat, vel cum intentione redeundi ad peccata consistit. Tales vero comedunt panem supramodum fermentatum, de quo ait Apostolus: « Modicum fermentum totam » massam corrumpit<sup>1</sup>, » quia « Qui peccat in uno factus est » omnium reus<sup>2</sup>. » Attendite igitur, fratres, a tali fermento Pharisæorum, ne cum eisdem demergamini in profundum maris. Lactuæ vero agrestes valde amaræ sunt, quæ apud Romanos indivia (*sic*) nuncupantur; carnes vero agni cum lactucis agrestibus edendæ sunt. Et quid per lactucas, fratres, nisi amara pœnitentia designatur? Hæ enim lactuæ corpus refrigerant, sed et pœnitentia animam purgat; lactuæ hepares emundant, sed et pœnitentia animam lætificat. Comedendus est igitur agnus cum lactucis agrestibus, ut ipsum digne sumere valeamus.

IV. Sed agni caro nec cruda sumenda est, nec cocta in aqua, quia ipse Redemptor noster nec purus homo existimandus est, nec per humanam sapientiam qualiter incarnari potuit est disputandum. Hoc autem volens Arianus investigare, inter cætera mala, dixit factam esse animam hominis ex substantia Dei; quod falsum esse omnino putamus; nam Dei substantia non mutatur, anima vero hominis de bono in melius, et de malo in pejus quotidie mutari videmus. Pereat intentio illa, quæ in sacra Scriptura fundatur (1), scilicet: « Spiravit in faciem ejus<sup>3</sup>. » Licet enim Deus in faciem hominis inspiraverit, hunc (2) flatum in eum posuit, non tamen anima de substantia Dei est, sed infundendo creatur, et creando infunditur (5). Nolite ergo sapere, nisi in quantum necesse est sapere. Omnis enim qui Incarnationis mysterium (4) juxta humanam sapientiam quærit et studet investigare, carnes in aqua vult coquere,

<sup>1</sup> 1 Cor. v, 6. — <sup>2</sup> Jacob. ii, 10. — <sup>3</sup> Gen. ii, 7.

(1) Id est *fundari dicitur*, quam hæretici in sacra Scriptura fundare frustra nituntur. — (2) Cod. *hoc flatum*. — (3) Sic evidenter legendum; cod. male *in creando creatur, et creando informatur*. — (4) Cod. male *ministerium*, et sic deinceps pluries.

et dispensationis ejus mysterium per vanam scientiam penetrare, ad quam attingere non potuerunt naturales philosophi, sed aperta fuit humilibus piscatoribus. Homo (1) igitur, fratres, per mundanam sapientiam profunditatem Incarnationis penetrare non præsumat, sed assas carnes ejus comedat, ut dispensari omnia per Spiritûssa ncti potentiam sciat: de quo adhuc recte subjungitur: «Caput cum » pedibus et intestinis vorabit<sup>1</sup>. » Caput enim agni vorare est divinitatem ejus percipere: pedes vero vorare, est vestigia ejus humanitatis amando et imitando perquirere. Quid etiam per intestina, nisi verborum illius occulta et mystica mandata, quæ tunc voramus, cum verba vitæ cum aviditate sumimus? Sed quia nullus sufficit, ut omne sacrum eloquium intelligere possit, et mysterium sacrarum Scripturarum penetrare: « Sed si quid ex eo remanserit, igne » comburetur<sup>2</sup>; » tunc enim vere si quid ex agno remanet, comburimus, quando hoc quod de mysterio Trinitatis intelligere et penetrare non possumus, potentiæ sancti Spiritûs, qui ignis est, humiliter reservamus: vere hoc quis (2) igni tradit, quando Spiritui sancto reservat.

V. « Sic enim comedetis illum: Renes vestros accingetis<sup>3</sup>. » Et quid est renes accingere, nisi lumbos restringere? Ideo qui agnum comedere cupit, primo renes præcingere debet, ubi est continua pugna, sed raro satis victoria. Calceamenta (5) etiam in pedibus tenere debemus. Quid enim per pedes, nisi opera? quid per calceamenta, nisi mortuorum vitam conspicerere, et vulnera peccatorum non tergere (4)? quid enim per baculum, nisi pastoralis custodia designatur? Attendere namque, fratres, debemus, quod primo præcipitur renes præcingere, postmodum baculum in manu tenere. Nullo enim modo debent baculum pastorale

<sup>1</sup> Exod. xii, 9. — <sup>2</sup> Ibid. 10. — <sup>3</sup> Ibid. 11.

(1) Deest *homo* in cod. — (2) Cod. *tunc*. — (3) Id. *calciamenta*, et sic deinceps. — (4) Sic cod., nec satis clare. Forte legendum, *nisi sanctorum vitam conspicerere, et vulnera peccatorum abstergere?*

suscipero, qui nesciunt fluxum luxûs edomare. Bene etiam subditur : « Comedetis festinanter<sup>1</sup>; » mandata enim Dei ad cor festinanter mittere debemus. Licet enim, fratres, hodie bene agere possimus, sed utrum eras liceat ignoramus. Nemo enim Dei mandata vorare differat, ne in patria locum amittat.

VI. Devoremus enim Dei mandata, et devorantes perseveremus, et perseverantes ad cœnam Agni ibimus lætantes. Ibi namque non amplius erunt lactuæ agrestes, quia omnis dulcedo ibi aderit; ibi non occidetur Agnus, quia semel occisus est; ibi non expedit, quod renes accingamus, quia ibi luxuria nulla erit. Tunc enim satiabimur, tunc festinabimus, tunc nobis æternum Pascha erit, dum nobis apparuerit gloria ejus, ad quem perducatur nos ipse Christus per gratiam. Amen.

## SERMO I.

De Peregrino, feria secunda festi Paschæ.

*Sermo hic eductus ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 32, propter sæpe allatas rationes in appendicem amandatur; sit locus ejus post sermonem præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Christus vere peregrinus. II. Discipulis inter cœnandum manifestatur, ad quem videndum peccata vitanda. III. Contra falsam philosophiam. IV. Vera scientia cognitiosa erarum Scripturarum.

<sup>1</sup> Exod. xii, 12.



I. AUDISTIS, fratres charissimi, quod dum essent (1) illi Christi Discipuli euntes in castellum, Cleophas videlicet et Lucas, perfectus Dei Matris Notarius, virgo a Deo electus, qui etiam crucis mortificationem in suo corpore pro Christi nomine portavit<sup>1</sup> lætanter; euntes denique in castellum, et confabulantes, de iis quæ acciderant dolentes, et quasi de eorum Redemptore dissidentes; apparuit in medio eorum peregrinus ille, qui solus fuit Dei Patris Filius, solus Virginis primogenitus, solus sine peccato genitus, solus sine macula triginta tribus annis in sæculo conversatus, solus nostros languores sanans (2), solus animas suorum inflammans, solus animas abluens, solus peccata conculcans, solus tentamenta pro nobis portans, solus ad mortem pro nobis se præparans, solus clauso sepulcro resuscitans, solus ad Discipulos januis clausis penetrans. Fabulantes ergo Discipulos interrogat: « Qui sunt hi sermones, quos conferitis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Et ait Cleophas: » Tu solus peregrinus<sup>2</sup>? » Vere solus peregrinus, cui (3) secundum sæculum habere non poterit; vere peregrinus et advena, vere viator pro nobis factus est; vere peregrinus in præsepio, vere peregrinus in templo, vere peregrinus in cœnaculo, vere peregrinus in mundo; vere peregrinus in patibulo, vere peregrinus in sepulcro. « Vulpes autem foveas » habent et volucres cœli nidos; » solus autem peregrinus « non habuit ubi caput reclinaret<sup>3</sup>. » Erubescamus ergo nos qui divites et cives magnarum civitatum esse cupimus. Ecce enim Salvator noster, qui cuncta ex nihilo fecit, quando voluit, et tamen advena et peregrinus est in domo nostra.

II. Iste enim peregrinus, sociatus suis Discipulis, « Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et appro-

<sup>1</sup> 2 Cor. iv. 10. — <sup>2</sup> Luc. xxiv, 18. — <sup>3</sup> Id. ix, 58.

(1) Desunt hæc verba *dum essent* in cod., qui nominativum absolutum, hic et alias, adhibet. — (2) Cod *sanat... inflammat*. — (3) Id. *quod*.

• pinquaverunt castello<sup>1</sup>, » et compellentibus (1) eum, intravit eum illis, et eum recumberet cum eis, aspicientes in faciem sole clariorem, intuentes manus perforatas, panes frangentes (2), cognoverunt eum. Et volentes eum tenere, amplecti, et pedes osculari, « Et ipse evanuit ab oculis eorum<sup>2</sup>. » Nos autem, fratres, si Christi discipuli esse cupimus, si vere eum tenere cupimus, si vere cum eo pergere, loqui et cœnare optamus, si volumus quod nobis frangat panem, si eum videre cupimus et agnoscere, studeamus fidem habere, odium deponere, caste vivere, avaritiam devitare, mendacia præcavere, gulam devitare, frequenter orare, societatem malam fugere, frequenter mala sacerdoti propalare, Dei verbum libenter audire et frequenter illud tenere, de Deo semper loqui: et sic merebimur per gratiam Christo associari, cum Christo cœnare, cum Christo ambulare.

III. Sed aliqui sunt, fratres mei, de Christo non curantes, sed in propriis facultatibus et viribus confidentes. Tales sunt illi qui philosophiam magis quam Scripturam sacram apprehendere conantur; isti sacram Scripturam timentes, eam destruentes, eam deridentes, eam ad beneplacitum exponentes. Isti sunt pigri, qui timent ne sciant viam pœnitentiæ; isti sunt superbi, putantes verum falsum et falsum verum; isti sunt hæretici, qui eam destrudere conatisunt. O philosophi, o utinam vere philosophi! Veniet dies qua dicetis: « Melius fuisset viam scientiæ non agnoscere, quam post agnitam retroire<sup>3</sup>. » Aperientur tunc libri vestri, et, clausa janua, vobis dicetur: « Nescio vos<sup>4</sup>. » Quæ est enim major scientia, quam scire quæ Dei sunt, et quomodo incarnatus est, quomodo conversatus, quomodo passus et resuscitatus. Hæc est scientia vera, non res per

<sup>1</sup> Luc. xxiv, 27, et seqq. — <sup>2</sup> Ibid. 31. — <sup>3</sup> 2 Petr. II, 21. — <sup>4</sup> Matth. xxv, 12.

(1) Cod. *compellentes*. — (2) Id. *frangente*, nisi mavis addere *panem ipso frangente*.

causas cognoscere, non per sophismata hæc illa probare. Qui hoc enim apprehenderit, apprehendet ruinam, et ligna in fornace ponet, ut ardeat in die novissimo, quoniam scientia « Impinguatus, dilatatus, recalcitravit<sup>1</sup>. » Ideo « Ligatis manibus et pedibus projicientur in tenebras exteriores<sup>2</sup>. » Igitur, fratres, hæc (1) superflua sunt, et ideo dimittenda sunt. Epulemur enim quotidie splendide in mensa sacrarum Scripturarum, et in ipsa pacem et saturitatem invenientes, « In labore hominum non erimus, et cum eis non flagellabimur<sup>3</sup>. » Qui vero contrarium faciunt, falsi Christiani dicendi sunt, et patrimonium Christi vendentes demerguntur in infernum. Amplectamur ergo hanc Scripturam, quam Discipuli hodie cognoverunt in fractione panis; nam alta est, profunda est, humilis est et plana. Loquamur ergo de ea, pergamus cum ea, accipiamus et conemur eam apprehendere; nulla enim major est, nulla profundior est, nulla sanctior est. Nam per naturam ascendere ad eam non possumus, sed per gratiam. Non enim Plato eam rapuit, sed Petrus; non Cicero, sed Andreas; non Aristoteles, sed Joannes, Petrus et Andreas piscatores. Devota enim mente peregrinum nostrum hodie deprecemur, ut in mensa suæ sapientiæ dignetur nos reficere in præsentem, et in futuro gubernare per gratiam. Amen.

<sup>1</sup> Deut. xxxii, 15. — <sup>2</sup> Matth. xxv, 30. — <sup>3</sup> Psal. lxxii, 5.

(1) Cod. male *hæc enim*.

## SERMO LI.

In diebus Paschalibus I, de Resurrectione Domini.

*Non ad sanctum Augustinum tribuendus iste sermo, propter easdem rationes ac multi præcedentes, utpote qui eruat ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 50. Locus ejus post præcedentem, cum numero in diebus Paschalibus I.*

## SYNOPSIS.

I. Communicaturi pacem habeant in corde. II. Sancte suscipiendum est sacramentum, quod Christus est. III. Solvitur objectio contra eos qui vindictam nutriunt. IV. Maledicti qui non accedunt, et qui male accedunt; sed benedicti, qui sancte Christum suscipiunt. V. Conclusio.

I. AUDISTIS, fratres charissimi, in his sanctis diebus, quod cum Dominus cum Discipulis cœnaret, accepit panem et fregit dicens: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis » tradetur<sup>1</sup>. » Agnoscite ergo vos, qui in hoc sacro Pascha Dominum sumpturi estis, quæ sint istæ (1) carnes, quas primo sumere debetis; istæ sunt carnes, quæ reficiunt mentem, sed non ventrem. Sed postquam refeceritis mentem, secure pascatis et ventrem. Agnoscere ergo vos primo volo, qui divino signo estis circumdati, et divinis mysteriis consecrati, ne velut Judas, odium in corde habentes,

<sup>1</sup> Matth. xxvi, 26.

(2) Cod. quod istæ sunt.

Christum indigne sumatis. Nam præsens fuit ipse in cœna, et Christi corpus cum cæteris manducavit; ideo non ad salutem, sed ad iudicium sibi fuit sempiternum, quia pacem non habebat in corde.

II. Sed hodierna die, Salvator ille te invitat (1) qui de castris Saül venit veste conscissa, et pulvere aspersus caput<sup>1</sup>; hic est ille Salvator, qui tertia die apparuit tibi, et te ad mensam suam invitat: cum debita reverentia et congrua vigilantia te opportunum tempus invitat. Nullus ergo nostrum, velut Judas, in hoc convivio reperiat. Nullus impinguatus veneno appareat, nullus luxuria ponderatus, ne forte dicat: «Anice, quomodo huc intrasti<sup>2</sup>?» Non enim solum (2) homo est ille, ad cuius cœnam intrare debemus, sed Deus. Ipse cordis abscondita novit; ille idem est, qui crucifixus est; ipse enim sacerdos est, qui cunctis aliis iterum (3) præcepit dicere: «Hoc est corpus meum<sup>3</sup>.» Sacerdotis ore verba preferuntur, et Dei virtute consecrantur. «Hoc est enim, ait, corpus meum.» Hoc enim verbo proposita consecrantur, et sicut illa vox, quæ dixit: «Crescite» et multiplicamini, et replete terram<sup>4</sup>, semel tantum dicta fuit, sed cum tempore sortita est (4) effectum ad generationem, operante natura; ita et vox illa semel dicta per omnes mensas Ecclesiæ usque ad ipsius Christi adventum, dum venerit iudicare, præstabit et præstat sacrificio firmitatem. Nullus igitur fictus accedat; nullus hypocrita venire præsumat; nullus irato animo tantis audeat approximare mysteriis, ne condemnetur, et sententiam mereatur, et (5) quod Judas sustinuit, patiat. Nam sicut in illum diabolus post communionem intravit, non quia contempserit corpus Domini, sed quia malignitate infectus, sic et intrat indigne sumentibus. Nemo ergo sit Judas indignesumens; nam sicut cibus cum ventrem invenerit adversis

<sup>1</sup> 2 Reg. 1, 2. — <sup>2</sup> Math. xxii, 12. — <sup>3</sup> Id. xxxvi, 26. — <sup>4</sup> Gen. 1, 28.

(1) Cod. *in vita*, nec habet te. — (2) Id. *solus*. — (3) Id. *filium*. — (4) Id. *sentit*. — (5) Id. *quod et*.

humoribus occupatum, amplius lædit, magis ac magis nocet, et nullum præstat auxilium; ita et iste spiritualis cibus, si aliquem repererit malignitate pollutum, magis et omnino obest, quam proficit. Pura sit ergo nostra intentio, pura sit cogitatio, pura sit nostra locutio, sicut et purum est sacrificium. Solve iram, conculca superbiam, despice luxuriam, depone gloriam, erubescere peccata, depone vestimenta curiosa, asperge caput cinere, induere sacco, et sancti terribilis sacramenti arcana considera; considera recipientem (1) et receptum, considera parvissimum (2) et infinitum, considera creaturam et Creatorem: vocifera ergo corde et ore, et dic: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum<sup>1</sup>. »

III. Sed dicit unicus nepos meus Severus: « Ab inimico fraudatus sum, vulneratus sum, magnis me oneravit dispendiis; » et ut scitis omnes, verum dicit. O Severe frater, quid dicis? An ignoras, quod Deus animam suam pro te dedit? Judæis pepercit, et tu iniquus in ira perduras? Ille mori pro te non recusavit, et tu iram tuam pro tua liberatione et salute concedere non dignaris? Numquid te crucifixit, sicut Judæi Christum? Et tamen ille crucifixus, verberatus, spinis coronatus, sputis maculatus clamabat: « Pater, ignosce illis<sup>2</sup>. » Merito ergo, fratres, reconciliationis causa hoc sacramentum institutum est, et (3) si sacrificii præcepta contempseris, sacrificii remedia sentire non poteris. Ideo Salvator advenit, ut humanam naturam per sacrificium Deo reconciliaret.

IV. Sed aliqui sunt, qui ad sacrificium Domini non accedunt. Tales sunt maledicti, qui declinant a mandatis<sup>3</sup> Dei (4). Isti sunt sæneratores, quorum pater diabolus est, quorum anima abominata est hanc escam, quia jam appropinquaverunt usque ad portas mortis<sup>4</sup>. Talibus Pascha non

<sup>1</sup> Matth. VIII, 8. — <sup>2</sup> Luc. XXIII, 34. — <sup>3</sup> Psal. CXVIII, 21. — <sup>4</sup> Id. CVI, 18.

(1) Cod. *recipiens*; nec iterat antea *considera*. — (2) Id. *altissimum*. — (3) Id. *ut*. — (4) Id. *amantis vias*.

est ; tales exclusi sunt ab omni Ecclesiæ oratione ; tales participes non sunt honorum. Caveant omnino tales, ne ad mensam Christi hodie veniant, nisi prænituerint, et integre reddant, quia non dimittetur eis peccatum, nisi omnino restituatur ablatum. Aliqui sunt qui ad mensam Domini veniunt (1), et postquam saturati fuerint, tergum Domino vertunt. Tales sunt, qui ad tempus boni sunt, sed post Pascha statim revertuntur ad vomitum, ut canes<sup>4</sup>. Aliqui sunt boni perseverantes in bono, pro quibus Dominus sollicitè Patrem rogat, ut eos conservet in nomine suo. Istis Dominus vere apparuit ; isti vere Domini corpus recipiunt ; isti Pascha et festum habent ; isti gaudent et lætantur, sive bonum sive malum eis fiat. Omnia enim sustinent, omnia patienter portant, omnia sufferunt in Christi nomine, de quorum numero nos faciat ille qui pro nobis mori et resurgere dignatus est. Amen.

V. Vellem adhuc, dilectissimi fratres, de prædicto mysterio plura tractare, et longiori sermone in die tantæ solemnitatis moram protrahere, sed hæc sufficiant, et utinam dicta perficere valeatis. Ad mensam ergo Domini singuli accedatis devoti, et postquam sacra communione refeceritis mentem, secure postmodum pascatis et ventrem, omnia tamen cum pondere et mensura sumentes, ut mente et corpore sani permaneat. Amen.

<sup>4</sup> Prov. xxvi, 11.

(1) Cod. *venient*.

## SERMO LII.

In diebus Paschalibus II, de Resurrectione Domini.

*Educitur ex eodem Cod. x, fol. 52 b, Bibl. Ædil. Locus ejus in appendice post præcedentem cum numero in diebus Paschalibus II.*

## SYNOPSIS.

I. Veram Christus suam mortem resurrectionemque probavit. II. Comparatur Jonæ, Judæ, Samsoni et Jacob. III. Gaudendum, et in novitate vitæ ambulandum. IV. Facere primum debent pastores, et postea docere. V. Qui ad sacrum ministerium eligendi. VI. Conclusio.

I. HODIE, fratres charissimi, apparuit Dominus decoratus stola immortalitatis, timeamus; apparebit in forma majestatis, paveamus. Apparuit igitur gratia Salvatoris nostri, ut abnegantes (1) impietatem, mala scilicet vitando, sobrie quantum ad se ipsum, juste quoad proximum, et pie quoad Deum vivamus (2), et sic expectemus (3) beatam spem<sup>1</sup>. Sed quia de apparitione Domini hodie loquendum est, ideo volo vos intentissimos esse, quomodo hodie in stola immortalitatis apparuit devincens in cruce: ideo hodie resurrexit, ut spem futuræ resurrectionis *donaret*(4);

<sup>1</sup> Tit. II, 12, 13.

(1) Cod. male addit *scilicet*. — (2) Deest *vivamus* in cod. — (3) Cod. *expectu*. — (4) Verba quæ italicis distinguuntur, in cod. sunt vetustate deleta.



quam gloriosam resurrectionem per multa argumenta veram esse monstravit. Quadraginta enim horis Christus mortuus fuit, *ut vere per omnes*, tam sapientes, quam etiam minus sapientes *omnino credatur* mortuum esse : per dies quadraginta distulit ad Patrem ascendere, ut suam veram esse resurrectionem cunctis demonstraret. Nec mirum, fratres, si per majus spatium resurrectionem probavit quam mortem, quia facilius fuit credere morientem quam resurgentem. Denique congregatis Discipulis, et januis clausis, ad eos intravit, et januis clausis ab eis recessit; et sic ostendit se gloriosum corpus habere. Per alia enim argumenta eam veracem esse ostendit, dum præbuit corpus esse palpabile : « Palpate, inquit, et videte, quia ego ipse sum<sup>1</sup>. » Per argumenta enim resurrectionem veram ostendit, quia comedit et bibit cum eis, postquam resurrexit a mortuis. Comestio enim, fratres, est tantum actus viventis. Quid ergo, o Manichæe, quid amplius dices? Vere resurrexit Dominus, et veraciter, absque deceptione; vere resurrexit celeriter, absque dilatione; vere resurrexit totaliter, absque corporis diminutione; vere resurrexit perenniter (1), absque desinitione.

II. Iste est ergo ille Jonas propheta<sup>2</sup>, qui tribus diebus et tribus noctibus fuit in ventre, non ceti, sed terræ. Non ergo phantastice, sed vere resurrexit, quia de ventre terræ exivit. Iste est ille Judas Machabæus (2), de quo dicitur : « Catulus leonis, Juda, quasi leo rugiens ad prædam ascendisti; requiescens, ut leo, accubuisti<sup>3</sup>. » Iste est ille Samson<sup>4</sup>, qui dormivit usque ad noctem (5) mediam, et consurgens tulit ambas portas et fores, scilicet animam et corpus, et portavit usque ad montem dexteræ Dei Patris. Iste est ille Jacob<sup>5</sup>, qui consurgens tulit lapidem, quem

<sup>1</sup> Luc. xxiv, 39. — <sup>2</sup> Jon. i, 1, et seqq. — <sup>3</sup> Gen. xlix, 9. — <sup>4</sup> Judic. xvi, 2, 3. — <sup>5</sup> Gen. xxviii, 18.

(1) Cod. *peremptum*. — (2) Male Judæ Machabæo tribuitur, quod est dictum de Juda patriarcha. — (3) Cod. *mortem*.

supposuit capiti suo, et erexit in titulum. Jacob Christus dicitur, qui supplantavit diabolum, qui posuit lapidem sub capite. Per caput divinitas designatur; tulit lapidem, quando animam suam retinuit, et erexit eam (1) in titulum.

III. Quid ergo, hodierna die, fratres mei, agere debemus, nisi gaudere et epulari, quia frater noster Adam perierat et inventus est, mortuus fuerat et revixit<sup>1</sup>? Gaudeamus, fratres, quoniam hodie adimpletam videmus Scripturam Prophetarum, desiderium Patriarcharum; « Gaudeamus, et exultemus, » quoniam « hic est dies, » quem fecit Dominus<sup>2</sup> » cunctis excellentiorem, universis lucidiorem: in quo Dominus resurrexit, in quo nos ditavit, in quo nos reparavit, in quo sibi stolam novam acquisivit, in quo fidelium mentes gaudio et exultatione perfudit, in quo et nos ad cœnam *per gratiam* dulciter vocavit. Eia ergo, fratres, « In novitate vitæ ambulemus<sup>3</sup>. » Noviter Christo resurgente (2), noviter et nos resurgamus de peccato ad novitatem vitæ spiritualis: hæc vita *gaudium*; hæc est vera (5) sine simulatione, prompta sine simulatione, tota nova sine imperfectione. In novitate ergo vitæ ambulemus, quoniam stare, ubi stetimus, in fermento malitiæ et nequitiae<sup>4</sup>, periculum est. Vultis scire, fratres, quando stamus in fermento malitiæ? Quandocumque enim latibulum peccatorum nobis remansit in confessione, ex propria negligentia vel malitia, vel quando non habemus propositum firmum stare in bono, sed redire ad malum, tunc non assumpsimus viam novitatis, nec viam pœnitentiæ.

IV. Discutiamus ergo corda nostra, fratres, et « In novitate vitæ ambulemus, » et quid Christus egerit, fortiter attendamus. Quid enim egit? Facere voluit, et postea docere<sup>5</sup>; sed timeo, ne nos sic faciamus. Nos denique qui su-

<sup>1</sup> Luc. xv, 22. — <sup>2</sup> Psal. cxvii, 24. — <sup>3</sup> Rom. vi, 4. — <sup>4</sup> 1 Cor. v, 8. — <sup>5</sup> Act. i, 1.

(1) Cod. eum. — (2) Id. *Christus resurgens*. — (3) Id. *vita*.

per cathedram Moysi sedere conspiciuntur<sup>1</sup>, cavere debemus et vigilanter attendere, ne sicut Pharisei in cathedra sedeamus. Tales enim dicebant, sed non faciebant, imponebant onera graviora poenitentiae aliis, sed nolebant digito suo movere<sup>2</sup>. Tales enim pleno ventre de jejunio utique disputant. Isti sunt et tales undique moderni pastores, tales sunt presbyteri et praedicatores, qui fecibus peccatorum pleni, de castitate disputare praesumunt; impinguati eleemosynis, jejuniorum onera praedicant; ornati panno, uno paupertatem ore collaudant; marsupia plena portantes, paupertatem velut lutum conculcant. Nihil enim, quod carni molestum sit, tangere volunt; nihil audire, nisi quod placeat; nihil portare, nisi quod bonum appareat in conspectu suo. Non sic Christus, non sic: sed primo facere voluit, postea docere. Numquid non (1) et principes nostri Romani, qui norma bonitatis et justitiae esse consueverant in orbe, hoc idem facere cunctis jubebant, et primi semper esse volebant? Sed nos Christi imitatores facere bonum a nobis tantum corpore, aure audivimus (2), et ore praedicare desistere non valemus. O pastores, non jam pastores, vineae Sabaoth Christi sanguine irrigati (3)! O praelati, velut haeretici, gladios, falces, cornua subtus portantes! O « Genimina viperarum, quis » vobis demonstrabit fugere a ventura ira<sup>3</sup>? O Christi vineae cultores, an ignoratis quod opera vestra debent esse justitiae? Non ut vineam Ecclesiae vindemietis, non ut inde divitias acquiratis, non ut substantiam filiorum comedatis; sed velut perfecti patres et cultores, malos deponatis, et bonos vineae operarios, velut pupillam oculorum, custodiatis.

V. Conducite, vos qui praestis, bonos operarios in vi-

<sup>1</sup> Matth. xxiii, 2 — <sup>2</sup> Ibid. 3, 4. — <sup>3</sup> Luc. iii, 7.

(1) Deest *non* in cod. — (2) Sic cod., in quo plura deesse, aut male fuisse conscripta videntur. Forte legendum: *Sed nos, Christi imitatores, id est, qui Christum imitari debemus, facere bonum negligimus, docere non cessamus; id nos corporis aure audivimus et ore praedicare desistere non valemus.* — (3) Cod. *irrigatae*.

neam sanctæ Religionis, exaltate bonos, facite eos consortes honoris et dignitatis, sublimare eos in cathedram Moysi, exaltate eos, quia talium est regnum cælorum<sup>1</sup>. Non superbos, non elatos, non discordiarum auctores, non luxuriosos, non cupidos, non avaros, non nobiles, pretio vel precibus convocate (1); sed humiles et benignos, pauperes spiritu, castos, misericordes, pacem amantes, oves bonas conservantes, debiles refocillantes, perversas edomantes. Sic enim Dominus fecit; non (2) nobiles, non divites, non mundi sapientes, sed piscatores et ignaros Ecclesiæ suæ principes instituit et institui voluit. Tales sunt promovendi, tales sunt in cathedra Moysi collocandi, tales sunt eligendi, ne Ecclesia velut vinea Naboth (5) a Jezabel crudeliter dissipetur<sup>2</sup>.

VI. Sic enim si (4) fecerimus, fratres, et in novitate vitæ si ambulaverimus, Discipuli Christi erimus, veritatem vitæ, veritatem doctrinæ et justitiæ cognoscemus. Sic enim Christus pro nobis in stola (5) immortalitatis apparebit, sic in novitate vitæ ambulabimus in præsentem per gratiam, et in futuro per gloriam. Amen.

<sup>1</sup> Matth. xix, 14. — <sup>2</sup> 3 Reg. xxi, 1, et seqq.

(1) Cod. *conculcati*. — (2) Id. *nam*. — (3) Id. *Nabaoth*. — (4) Id. *sic enim*; deinde deest *et*. — (5) Id. *male stellam*.

SERMO LIII.

De Ascensione Domini III.

*Legitur hic sermo in Bibl. Ædil. Cod. x, fol. 33. Sit, ut præcedentium plurimi, in appendice post sermonem appendicis nostri primi VI, cum numero de Ascensione Domini IX.*

SYNOPSIS.

I. Dies Ascensionis, dies nostræ sublimationis. II. Hæc Ascensio fuit a Prophetis prædicta. III. Angelorum casus, hominum elevatione reparatus. IV. Dies Ascensionis omnium festivitatum completio. V. Ut ascendamus cum Christo, cum Christo pati debemus.

I. HODIE, fratres charissimi, Ascensionis Domini jucunda festivitas; hodie destructa est humani generis captivitas; hodie dulcissimus pastor, qui clauso tumulo rediit ad vitam, cælum penetravit patenter; hodie ille, cui jam dicebatur: « Descende nunc de cruce<sup>1</sup>, » qui etiam clauso cœnaculo ad Discipulos intravit, ad dexteram Dei Patris residet. Non enim de cruce descendere voluit, ut et nos in cruce usque ad mortem permaneamus. Hæc est enim dies æternæ felicitatis, renovationis æternæ vetustatis, sublimationis æternæ fragilitatis; sumus enim hodie de mundo vocati, de præmio certificati, in corpore renovati, super Angelos triumphaliter sublimati. Fueraus jam longo tempore instabiles

<sup>1</sup> Math. XXVII, 40.

et vagabundi per incertas mansiones, ut filii Israël in deserto; sed hodie revocamur ad patriam, cum Christus suis Discipulis mandavit, gloriam suam ostensurus, ut in montem Sion irent. Per dies enim quadraginta cum eis stetit post resurrectionem, sicut cum filiis Israël annis quadraginta. Non enim ad montem Sion ascendunt qui redire cupiunt in Ægyptum, hoc est in mundum. Non enim in mundo videri poterit Deus, quando ascendet cælum cælorum.

II. Quam Ascensionem Habacuc propheta prædicens ait: « Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo<sup>1</sup>. » Cum enim Apostoli cum Domino morarentur, confidentes de præsentia Salvatoris, non ad cœlestia conspirabant; sed postquam illuc intravit, illuc Apostoli affectaverunt ascendere. Hæc enim est militum consuetudo, ut ubi sit rex, et milites ibi; ubi dominus, ibi et servus; ubi pater, ibi et filius sive familia. Elevatus est ergo Sol justitiæ, qui « Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum<sup>2</sup>; » et luna, scilicet Ecclesia, stetit in ordine suo. Merito ergo, fratres, luna Ecclesia dicitur; quia sicut luna recipit lumen a sole, ita Ecclesia recipit lumen a Christo; ita etiam sicut luna eclypsim patitur (1), ita et Ecclesia malorum obscuritatem. Hæc enim Ecclesia ante Domini Ascensionem et adventum Spiritûs sancti maxime eclypsim patiebatur; sed post Spiritûs sancti adventum, stetit in ordine suo; quia Petrus qui ad vocem mulieris succubuit, ad vocem Neronis resistentis non recessit. Hac enim Ascensione venit de saltibus Dominus (2), de quibus ait Salomon: « Ecce venit saliens de collibus et montibus<sup>3</sup>; » et bene quia de cælo in uterum Virginis, et de utero in præsepium, et de præsepio ad crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro in cælum. Hac exaltari (5) demonstravit ille, qui dixit: « De torrente in

<sup>1</sup> Habac. III, 11. — <sup>2</sup> Joan. I, 9. — <sup>3</sup> Cant. II, 8.

(1) Deest *patitur* in cod., qui deinde habet *obscuritate*. — (2) Cod. *hæc enim*, *Ascensio quidem venit de saltibus Domini*. — (3) Id. *exaltare*.

» via bibit; propterea exaltabit caput<sup>1</sup>. » In mundo erat torrens mortis defluens a peccato primi parentis; de hoc torrente in via præsentis vitæ Salvator potavit et bibit, quia mortem in transitu gustavit, atque ideo, quod (1) moriendo corpus in sepulcro posuit, hoc (2) resurgendo super Angelos exaltavit; levavit super Angelos post resurrectionem carnem hanc (3), quæ ante resurrectionem erat paulominus minor Angelis, quia passibilis et mortalis minor erat; quam hodie constituit super opera manuum suarum. Post ejus constitutionem et Ascensionem, Angeli non permiserunt se adorari ab homine, videntes humanitatem in deitate esse permanentem.

III. In principio denique mundi creavit Deus Angelum cunctis pretiosorem et sapientiorem, et imagini Dei plus similabatur. Primus enim in novem ordinibus erat, et cunctis Angelis prælatus; sed superbia ductus ex pulchritudine, ait: « Ascendam in cælum, et ero similis Altissimo<sup>2</sup>. » Plus sine dubio hic peccavit, quam homo, vel fœmina, quia licet ambo forent (4) in Paradiso, homo tamen stimulum habuit, quia fœmina, quam valde amabat, eum instanter rogabat, et fœminam similiter dæmon. Sed Angelus neminem qui eum tentaret habuit in Paradiso. Itaque cecidit Lucifer de cælo, cecidit signaculum similitudinis, plenum sapientia, et cum eo omnes ipsi (5) consentientes. De singulis denique novem ordinibus pars cecidisse creditur, et loco cadentium factus est homo, ut ex eo undique cælum repletur. Nisi enim peccasset, homo (6) filios sine peccato habuisset, fœmina sine dolore peperisset; non tamen ut puto, velut homines perfectæ ætatis sapientes; et mox, cum (7) magni fuissent, in Paradiso stetissent, et filios sine concupiscentia generassent, de fructibus Paradisi come

<sup>1</sup> Psal. cix, 7. — <sup>2</sup> Isaï. xiv, 14.

(1) Cod. *quia*. — (2) Id. *sed*. — (3) Hæc verba *carnem hanc* desunt in cod., qui deinde male habet *ante resurrectionem*. — (4) Deest vox *forent* in cod. — (5) Cod. *sibi*. — (6) Id. male *omnino*. — (7) Id. *tam*.

dissent, et tantum ibidem stetissent, donec ad terminum constitutum a Deo vocati fuissent. Sed ipso peccante, ingressa est mors in mundum, et periit immortalitas. Venit dolor, pestis, frigus, calor et calamitas; clauditur cœlum, expellitur inde homo, exul efficitur, civis inferni constituitur; sic homo ipse occiditur, sed homo sic prostratus clamat, et non exauditur; ululat, et non est qui compatiatur; moritur, et non est qui exaudiat, et sic clamando annis quinque millibus et amplius exanditus est. Ecce redemptus homo; mors per mortem destruitur, et vita per vitam donatur, per ejus resurrectionem nostra immortalitas reparatur, per ejus Ascensionem via nobis preparatur, tanta denique ascensura creditur hominum multitudo, quanta Angelorum multitudo post Angelorum malorum expulsionem in cœlo remansit beatorum, sicut scriptum est per Prophetam dicentem: « Statuit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël<sup>1</sup>. »

IV. Hæc est enim dies dierum, fratres charissimi, in qua Angelorum ruina restaurata est, humano (1) in qua Angelorum militia consortio lætata est; hæc est illa festivitas festivitatum, in qua nostrum desiderium adimpletum esse videtur; hæc est illa festivitas, quæ (2) gratiam confirmat cunctarum festivitatum, sine qua utilitas cunctarum festivitatum periret. Nisi enim ascendisset in cœlum Salvator, cessasset ejus nativitas, quia in ea Angeli minime exclamassent: « Pax hominibus bonæ voluntatis<sup>2</sup>. » Numquid de peritura pace Angeli loquebantur? nonne (3) de illa dicebant, quæ « Exsuperat omnem sensum<sup>3</sup>, » quæ hic haberi perfecte non potest? Fuisset denique et infructuosa nobis ejus passio, fuisset et inutilis ejus sanctissima resurrectio. Hæc est dies, quæ apud fideles Romanos, semel in septimana tanquam dies Dominicæ resurrectionis a cunctis ve-

<sup>1</sup> Deut. xxxii, 8. — <sup>2</sup> Luc. ii, 14. — <sup>3</sup> Philip. iv, 7.

(1) Cod. *humana*. — (2) Quæ italicis distinguuntur, vetustate sunt deleta in cod., et a nobis utcumque restituta. — (3) Cod. *denique*.



nerabatur : hæc est dies lætitiæ , dies gaudii et exultationis , in qua novimus alterum Samsonem fortissimum portas humanitatis ad montem portasse<sup>1</sup>. Hæc est dies , in qua videmus per fidem sanctos Angelos Dei Filio obedientes , et ascendenti virtute propria ad (1) Patrem , dixerunt : « Quis est iste » tam gloriosus , qui auxilio nostro non indiget ? « Quis est iste rex gloriæ<sup>2</sup> ? » Qui Angeli Angelos respondentes (2) audierunt : » Vere rex gloriæ est , vere rex Israël , vere redemptio nostra est , vere Dei Filius est , vere primogenitus et ultimogenitus Mariæ est ; vere ille et non alius est , qui sub Pontio Pilato passus est , et tertia die a mortuis resurrexit ; vere ille est qui « Rex fortis et Dominus » fortis in prælio<sup>3</sup> ; » vere extitit fortis et potens in prælio , quia « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem<sup>4</sup> » in altum (3). »

V. Liberatio denique militiæ , victoria extitit regis. Sed quid valet nobis liberatio sociorum , nisi efficiamur socii eorum ? Laboremus ergo , fratres , ut , sicut sumus eodem sanguine redempti , ita eodem præmio Ascensionis simus per gratiam remunerati. Cogitemus denique , sanctos Patres , qui cum (4) Christo hodie ascenderunt , quid passi sunt , quid perpessi , quid dilaniati. Aspiciat Abraham fide omni ornatum , charitate vallatum , patientia dicatum ; et tamen injuriam patitur persecutoris , et calamitates patienter portat. Aspiciat sanctum Joseph castitate ornatum ; Deum timet , et tamen fame fere in carcere moritur , a fratribus verberatur et venditur. Aspiciat Tobiam omni mansuetudine et misericordia plenum ; consortia hominum fugit , famelicos pascit , sepulturam parat pro defunctis , et ecce cæcus efficitur , ab uxore blasphematur , infirmitates patitur et mala undique. Aspiciat Isaiam pietate decoratum ; et tamen occiditur morte crudeli. Ecce sanc-

<sup>1</sup> Judic. xvi. 1, et seqq. — <sup>2</sup> Psal. xxxiii, 8. — <sup>3</sup> Ibid. — <sup>4</sup> Ephes. iv, 8.

(1) Cod. et. — (2) Deest *respondentes* in cod. — (3) Hæc verba *in altum* errore transcriptoris inducta videntur. — (4) Deest *cum* in cod.

tus Daniel, ætate junior et maturitate antiquior, inter leones ponitur et mala undique patitur. Omnes enim qui hodie Christum ascendentem viderunt, et cum eo similiter ascenderunt, multa mala passi sunt; omnia tamen patienter sustinuerunt, « Expectantes beatam spem, et adventum » Domini<sup>1</sup> » ad limbum, et hodiernum diem mirabilem, et gloriosum ascensum; quem si cum eisdem obtinere cupimus, quod et ipsi fecerunt, ita et nos faciamus, viventes casti (1), humiles et misericordes, patientes in adversitatibus, humiles in prosperis, casti in illecebris, misericordes in cunctis. Hæc est enim via *sequenda*; hæc est et fuit servorum Dei, in qua et per quam Dei gratiam promeruerunt hodie cum Christo cælum ascendere; cujus et *quorum* Ascensum obtinere nos faciat ille qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

---

## SERMO LIV.

### De Ascensione Domini IV.

*Sermo hic, erutus ex Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 54, sit post præcedentem cum numero de Ascensione Domini x.*

### SYNOPSIS.

I. Ascensionis Christi gaudium et gloria. II. Per viam virtutum cum Christo ascenditur. III. Ascensionis possibilitas exemplis demonstratur. IV. Humilitas Ascensionis fundamentum. V. Pugna ducit ad victoriam.

<sup>1</sup> Tit. II, 13.

(1) Cod. *caste*.

I. HODIE, fratres charissimi, Christus ascendit super omnes cœlos; gaudeamus. Hodie christianæ religionis completum est desiderium; exultemus. Hodie non solum cœlorum cives effecti sumus, sed etiam superna cœlorum in Christo penetravimus; gaudeamus. Hodie ampliora receptacula per Christi Ascensionem recepimus per gratiam, quam per diaboli perdideramus invidiam; gaudeamus. Quos adversarius de primi tabernaculi felicitate dejecerat, hos Dei Filius ad dexteram Dei Patris per gratiam relocavit. Ascendit ergo Christus, inferno expoliato; ascendit Christus, hoste religato; ascendit Christus, homine liberato, et mysterio nostræ redemptionis consummato. Non timeas ergo, fidelis, quoniam cum Christo ad cœlum ascendere poteris; non timeas, quoniam ipse tecum erit; non timeas de Christi potentia, quia Angeli sunt sub pedibus ejus; non dubites de Christi misericordia, quoniam Latro cum eo associatur; non trepides de Christi gloriosa magnificentia, quia habitaculum ejus sursum est. Raptus est ergo Dei Filius ad thronum Patris; raptus est ab humanitate ad divinitatem; raptus est a passibilitate ad immortalitatem; raptus est a minoritate Angelorum ad æqualitatem Patris. « Assumptus est in cœlum, et sedet ad dexteram Patris, » gloria et honore coronatus<sup>1</sup>, » et sublimatus super omnia opera manuum suarum. Ascendit ergo Christus hodie super omnes cœlos (1), ut adimpleret omnia<sup>2</sup>. Venit Christus, fratres mei, et in ejus ortu impleta sunt vita, doctrina et facta; moritur Christus, et adimpleta sunt omnia in ejus transitu; resurrexit Christus, et in ejus resurrectione adimpleta sunt omnia; ascendit Christus, et tunc maxime adimpleta sunt omnia præconia Prophetarum, et mittit Spiritum sanctum, ut impleret omnes fideles. O gloriosa et singularis Christi Ascensio ad triumphandum! O singularis ad speculandum! O exemplaris ad imitan-

<sup>1</sup> Marc. xvi, 19. — <sup>2</sup> Ephes. iv, 10.

(1) Deest *cœlos* in cod

dum ! O salutaris ad præmiandum ! Vere, fratres charissimi, Ascensio fuit singularis ad triumphandum, quia propria potestate ascendit ; non trahitur, non subnectitur, non portatur ; sed « Videntibus illis elevatus est <sup>1</sup>. » Cum andis, o fidelis, Christum elevatum, agnosce obsequium cœlestis militiæ. Dum naturam sideribus importavit (1), cœlum credentibus posse patere monstravit ; dum victor in cœlestibus elevatur, se victorem mortis quo sequamur ostendit.

II. Quis ergo, fratres mei, cum Christo ascendet ? Numquid superbus vel avarus ? numquid gulosus vel infectus luxuria ? numquid homicida vel raptor ? Absit. Si vis ergo ascendere cum Christo, lex Domini quem divina instituit, quæ frustrari non poterit, statuit ut qui se humiliaret <sup>2</sup> exaltaretur (2). Ergo, fratres mei, sicut humiliatio præcedit exaltationem, ita descensus præcedit ascensionem. Necesse est ergo, ut prius descendamus per humilitatem, si volumus ascendere cum Christo ad felicitatem. Talis ergo ascendet, qui humilis est, qui justus opere est, qui mundo corde et verax est ; innocens manibus et mundo corde <sup>3</sup> cœlum solum cum Christo ascendet. Disentiamus ergo corda nostra, fratres, et sciamus, si justitia, si munditia, si veritate ornati sumus. Si sic, benedicite Deum cœli, per quem hæc bona habetis, rogantes et deprecantes, ut perseverantiam donet. Sed si iniquitate (3), quod est justitiæ contrarium ; si impuritate, quæ est noverca castitatis ; si falsitate, quæ est inimica veritati ; si istis vitiis inquinatos (4) vos esse cognoveritis, dicite : « Servi inutiles sumus <sup>4</sup>. » Cœlum ascendere numquid poterimus ? Minime. « Humiliamini ergo sub potenti manu » Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis <sup>5</sup>. »

<sup>1</sup> Act. I, 9. — <sup>2</sup> Matth. XXIII, 12. — <sup>3</sup> Psal. XXIIV, 4. — <sup>4</sup> Luc. XVII, 10. — <sup>5</sup> I Petr. V, 6.

(1) Cod. *imperavit* ; forte addendum *humanam*. — (2) Id. *quæ sola humiliaret exaltarentur*. — (3) Id. *in iniquitate*, et sic addit *in deinceps*. — (4) Id. *ornatos*.

III. Sed dicet quis : Quomodo potuit corpus grave sua propria virtute ascendere super cœlum ; nam leve sursum, et grave deorsum tendere (1) naturale est ? Erubescite, infideles ; erubescite, hæretica pravitate imbuti, negantes Deum posse grave attollere (2), et mortale perducere ad immortalitatem. Plane conceditis lapides habere virtutes occultas ferrum trahentes sursum et deorsum. Plane conceditis aquam leviozem esse quam terram, quia ex uno pugillo possunt fieri (3) aquæ, quod tamen experientia non didici ; et tamen aqua semper invenitur sub terra, unde aquæ puteales, unde fontales, unde aquæ fluviales. Nonne dum terra foditur aqua invenitur ? Plane conceditis et ascensum (4). Videtis quod aër et ventus in visceribus terræ generatur, et ibi diutius naturaliter detinetur, quousque multiplicatus terram agit, motum terræ generat, et terram dividit. Plane videmus, quod in putei (5) profunditatem statim aër non descendit natura levis, sed ad profundum naturaliter ibi quiescit ; plane conceditis et ascensum. Videtis quod nebula generatur in vallibus, et a vento aquilonari per vallem ducitur et movetur, et tamen ad cacumina montium elevatur, et usque ad medium aëris interstitium sublimatur. Nonne videmus canes et lupos cæcos nascentes ; et visu prius privati, at postea illuminati, viviscunt (6) ? Numquid non (7) pulices prius albi, et statim dum vivunt, nigri efficiuntur ? numquid non lepores, frigore cogente, albi efficiuntur ? numquid non super Britannicum mare est quædam species arboris, quæ fructus producit, at postea (8) transit in naturam volatilis avis ? Pauca denique videmus, et magna sunt opera Domini. Numquid in vita Dominus splendorem ab ardore non separabat, et in tribus pueris, qui fuerunt in fornace ignis

(1) Deest *tendere* in cod. — (2) Cod. *non posse grave ascendere* ; et deinde *producere*. — (3) Sic in cod. — (4) Cod. *ad sensum*, et sic deinceps. — (5) Id. *puteis*. — (6) Id. *et vita prius privati, et postea illuminati viviscunt*. — (7) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (8) Cod. *et postea*.

ardentis, Dominus separavit splendorem ab ardore, ita ut (1) ignis unum capillum non combusserit nec tangere potuerit; et Dominus etiam tunc solvit vincula quibus ligati erant<sup>1</sup>? numquid Dominus non potest humores et complexiones adæquare, ita ut in composito nulla sit penitus repugnantia? In rebus etiam materialibus tota ratio facti est in potentia facientis. Cur ergo miraris, o vane Philospho? Crede, crede quod audis, et non dubites Christum ascendisse in cælum.

IV. Quo si ire volumus, fratres, ut diximus, humiles simus, ut exaltemur; nam propter hominem factus est mundus: omnia propter (2) hominem facta sunt, ut solum Creatorem cognoscat, et solum cælum propter animam factum est. Est denique anima substantia spiritualis, et nullo indigens loco, vel corpore continente, vel cibo. Da animæ tuæ locum; præpara ipsi (5) habitaculum tuum; da quod optat, præpara quod delectat (4) et desiderat. Ad talem denique locum nulla superba anima ascendere poterit; nullam ad (5) requiem æternam, animam superbam ingredi auditum fuit; nullus invidus, nullus avarus, nullus luxoriosus legitur Paradisum intrasse. « Quanto ergo major es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram » Deo<sup>2</sup> » et hominibus, non malis, sed bonis. A malis denique despicitur humilis, a malis insidiatur, a malis occidi quæritur, a malis detrahitur, a malis humilis vivere non permittitur. Omnia, quæ humilis agit, mali pervertunt. Si jejunit, hypocrita dicitur; si comedit, Epicureus appellatur; si patiens est, fatuus existimatur (6); si cuncta dispergit, prodigus; si universa conservat, talpa appellatur; si hilaris est, levis corde dicitur; si tristatur, colericus; si servit, præsumptuosus; si non servit, superbus

<sup>1</sup> Dan. III, 1, et seqq. — <sup>2</sup> Eccli. III, 20.

(1) Cod. *ita quod*; et deinde *combussit*,... *potuit*; qui error postea iteratur. — (2) Id. *per*. — (3) Id. *sibi*. — (4) Sic cod. contra grammatices regulas. — (5) Deest *ad* in cod. — (6) Cod. *æxtimatur*.

omnium ore (1) humilis appellatur. Tu ergo, o fidelis, qui humilitatem diligis, esto fortis, quia « Omni tempore » diligit, qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur<sup>1</sup>. » Fac, quod Deo placet; esto in cunctis benignus, cum omnibus humilis et mansuetus; quia: « Nisi quis (2) » se humiliaverit, sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum<sup>2</sup>. » Quam humilitatem si Arphaxad rex servasset, velut fumus, subito non evanisset<sup>3</sup>; si Nabuchodonosor tenuisset, qui velut Deus adorari voluit, fœnum cum animalibus non comedisset<sup>4</sup>; si Antiochus hanc virtutem cognovisset, dum contra populum Dei surrexit, subito percussus non emanasset<sup>5</sup>; si Angelus hanc virtutem amasset, de cœlo non cecidisset; si Adam hanc virtutem non despexisset, de Paradiso expulsus non fuisset<sup>6</sup>. Humiles ergo simus, ne simul cum iis pereamus; humiles simus, si post Ascensionem ascendere cupimus; melius enim esset si nati non fuisset, si post Christum non ascenderemus.

V. Expedit enim ut inimicum humilitate vincamus; sed si vincere volumus, expedit ut pugnemus. Multi denique volunt coronam, sed Christi volunt vitare pugnam. « Non enim potest coronari, nisi qui legitime certaverit<sup>7</sup>. » Pugnandum est, fratres, dum tempus belli est. Pugna, o miles Christi, humilitate armatus; pugna confidenter, ne perterrearis; pugna prudenter, ne dejiciaris; pugna perseveranter, ne confundaris; aliter non poteris pervenire ad gloriam. Sunt enim aliqui tepidi in pugna Dei, qui cogitantes dicunt: « Quomodo possem abstinere a fornicatione, quomodo jejunare, quomodo inimicis parcere? » Tales sæpe deficiunt, antequam sint in pugna, et non tentati, tentationem (3) præveniunt. Non enim sic pugnavit

<sup>1</sup> Prœv. xxii, 17. — <sup>2</sup> Matth. xviii, 5. — <sup>3</sup> Judith. i, 1, et seqq. — <sup>4</sup> Dan. iv, 1, et seqq. — <sup>5</sup> 2 Mach. ix, 1, et seqq. — <sup>6</sup> Gen. i, 3, et seqq. — <sup>7</sup> 2 Tim. ii, 5.

(1) Deest ore in cod. — (2) Cod. qui, — (3) Id. tentationi.

Moyſes contra Amalecitas (1), quia oravit, et orando Deum (2), devicit eos<sup>1</sup>. Non ſic pugnavit Gedeon, quia, trecentis viris electis<sup>2</sup>, vicit exercitum Madianitarum (3). Non ſic pugnavit David, ſed fortiter devicit ipſos Philistiæos<sup>3</sup>. Non ſic pugnavit Joſuë contra Amorrhæos, ſed perseverans in pugna dixit: «Sol, ne movearis, donec victoriam habuerimus deinimicis nostris<sup>4</sup>.» Sic denique pugnandum est confidenter, velut Moyſes; pugnandum est prudenter, velut Gedeon; pugnandum est potenter, velut David; pugnandum est perseveranter, velut Joſuë. Unusquisque enim victoriam desiderat; ſed nullus victoriam poterit obtinere, niſi in pugna inventus fuerit. Eia ergo, o milites Chriſti, pugnite, dum tempus habetis; pugnite prudenter, ne decipiatis; expertiſſimus enim eſt hoſtis noſter et cautiſſimus, antiquus et multa audivit et vidit; novit homines, et eorum mores et complexiones optime novit; optime res per exteriora cognoscit; cautus et sapiens eſt, expertus et doctus. Fortis et potens eſt; ſed fidelis Deus eſt, qui ab hoſte maligno non permittit nos tentari ſupra id quod ferre poſſumus<sup>5</sup>. Pugnandum eſt ergo cum hoſte maligno, ut ſapientia ſanctæ humilitatis vincere poſſimus hoſtem iniquitatis; quod ſi fecerimus, merebimur, fratres, ascendere cum Chriſto in gloriam. Amen.

<sup>1</sup> Exod. xviii, 8, et ſeqq. — <sup>2</sup> Judic. vii, 1, et ſeqq. — <sup>3</sup> 2 Reg. v, 17. —

<sup>4</sup> Joſuë. x, 12. — <sup>5</sup> 1 Cor. x, 13.

(1) Cod. *Malechitas*. — (2) Id. *Deo*. — (3) Id. *Madianorum*.



## SERMO LV.

## De Ascensione Domini V.

*Sit hic sermo post præcedentem, utpote qui eruat ex eadem Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 34 b, cum præsertim argumentum evolvat, quod ætati sancti nostri Doctoris minus conveniat. Habeat numerum de Ascensione Domini XI.*

## SYNOPSIS.

I. Christus Ascensionem distulit ad confirmandam fidem. II. Ut bonis Christi Ascensionis participemus, nobis egrediendum est et ascendendum. III. Quæ sint malæ ascensiones. IV. Nemo per munera quærat ascendere.

I. **FESTUM** hodiernæ festivitatis, fratres charissimi, festum Ascensionis Domini nostri, qui post quadraginta dies a sua gloriosa resurrectione, ascendit in cælum et sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Sed cur tantum distulit ascendere Salvator? Non sine causa, fratres, est. Quæ est causa ejus, nisi (1) ad resurrectionis probationem? quæ est causa, nisi ad fidei nostræ confirmationem? quæ est causa, nisi ad matris consolationem? quæ est causa, cur tantum distulit, cur quadraginta diebus post resurrectionem inter homines habitare voluit, nisi ad Apostolorum et nostram confirmationem et certificationem?

(1) Deest nisi in cod.

II. Crevit semen ejus in gentem (1) magnam, et si unum bonum dimisit, mille optima possidere postmodum meruit. Egreditur Moyses, et montem Domini ascendit, et meruit videre faciem Dei cornutam solaribus radiis, et cum eo facie ad faciem loqui, et Legem ejus recipere<sup>1</sup>. Egreditur Lot de terra Sodomorum plena omni abundantia terrenorum, et pergens ad montem salvatur<sup>2</sup>. Egreditur Joannes, et montem desertum petens ascendit, et Christum baptizare meruit, et vocem Patris audivit: « Hic est Filius meus » dilectus<sup>3</sup>. » Egreditur hodierna die Mater Jesu cum multitudine Apostolorum, Discipulorum, et mulierum, et montem ascendit, et ibidem Filium Dei ascendentem in cœlum videre meruerunt; qui si in montem non ascendissent, Deum ascendentem minime videre meruissent. Ascendamus, fratres, et nos, ascendamus fide, spe et charitate armati. Sic enim omnes sancti ascenderunt; sic per hoc salvi facti sunt; sic Salvator nos sæpe docuit; nam in aquam (2) ascendit Christus, ut innocentibus exemplum daret. Quia Joannes innocens erat, vidit cœlum apertum; sic et Stephanus. Sic patet cœlum pœnitentibus, sic patet Martyribus. Ascendit Christus in naviculam, in exemplum pœnitentium; ascendit in montem orare, in exemplum contemplantium; ascendit in templum, in exemplum negotiantium; ascendit in crucem, in exemplum patientium; ascendit in cœlum, in exemplum triumphantium. Hic est ille sapientissimus Salomon, imo plusquam Salomon<sup>4</sup>, qui thronum de ebore fecit grandem, et vestivit eum anro, ad quem ascendebatur per gradus sex<sup>5</sup>. Et quid per gradus, nisi virtutes, quibus armati et ornati in stolis cum Christo

<sup>1</sup> Exod. xx, 23; xxxiii, 11, etc. — <sup>2</sup> Gen. xix, 1, et seqq. — <sup>3</sup> Matth. iii, 17. — <sup>4</sup> Id. xii, 42. — <sup>5</sup> 3 Reg. x, 19.

(1) Hic plura deesse videntur, qualia forent ista: *Ut autem nos digne Ascensionem celebremus, egrediamur ex amore mundi necesse est. Nam egreditur Abraham ex cognitione suo, et crevit, etc.* — (2) Cod. non; forte *ex aqua post baptismum.*

sedere poterimus? O utinam, fratres mei, ascendamus in thronum! o utinam ascendamus in templum, non sicut Pharisæus ad judicandum et condemnandum alios, at (1) seipsum laudandum et justificandum, sed sicut publicanus humilis perseverans in templo<sup>1</sup>!

III. Legimus, fratres, in Veteri Testamento, quod Abimelech interfecit fratres suos, ut ascendere posset in thronum<sup>2</sup>; et ecce legimus, quod inde fuit exterminatus. Legimus Absalonem seditiose voluisse ascendere regnum Patris sui, et ecce lancea perforatur<sup>3</sup>. Legimus Adoniam (2) præsumptuose voluisse ascendere ad regnum, et ecce gladio interficitur<sup>4</sup>. Legimus Jasonem ad summum sacerdotium ascendere voluisse ambitiose, et exaltatus interficitur<sup>5</sup>. Sed non sic nos ascendere oportet; nam Abraham, obtenta victoria de hostibus suis, venit obviam Melchisedech (3), volens ipsi spolia dare; cui ait Abraham: «Levo» manus meas ad cælum, quia non recipiam quidquam<sup>6</sup>. Numquid et Moyses Domino non (4) dicebat, dum populum murmurantem audivit: «Tu scis, Domine, quia nec» asellum tuli, nec oppressi aliquem, nec calumniatus sum» quempiam<sup>7</sup>?» numquid non et Samuël: «Et si munus ac» cepi (5) de manu alicujus, præsto sum condemnari<sup>8</sup>?» numquid et Eliseus, qui curavit Naaman Syrum, aliquid ab eo recepit? «Vivit, inquit, Dominus in cujus conspectu» sto (6), quia nil recipiam<sup>9</sup>.» Numquid et Daniel, qui regi conjecturam et visionem aperuit, aliquid ab eo recepit<sup>10</sup>? numquid et Apostoli infirmos sanantes, aliquid muneris receperunt?

<sup>1</sup> Luc. xviii, 10, et seqq. — <sup>2</sup> Judic. ix, 1, et seqq. — <sup>3</sup> 2 Reg. xv, 1, et seqq. — <sup>4</sup> 3 Reg. i, 1, et seqq. — <sup>5</sup> 2 Mach. iv, 7, et seqq. — <sup>6</sup> Gen. xiv, 22, 23. — <sup>7</sup> Num. xvi, 15. — <sup>8</sup> 1 Reg. xii, 3. — <sup>9</sup> 4 Reg. v, 16. — <sup>10</sup> Dan. v, 17.

(1) Cod. *et*. — (2) Id. *Ananiam*. — (3) Id. male *Abimelech*, et deinde *sibi*, pro *ipsi*. — (4) Deest *non* in cod., et sic inferius. — (5) Cod. *accepit*. — (6) Id. *esto*.

IV. Sed dicit quis; Cur de muneribus hodiè mentio vel sermo fit? Ideo; fratres, de muneribus mentio fit et sermo, quia mediis muneribus unusquisque ad statum ascendere querit, non ad cælum, sed ad infernum; non ad locum cœlestem, sed ad cathedram mundialem; non ut pauperes pascat, sed ut equos in stabulo nutriat; non ut prosit, sed ut praesit; non ut corrigat, sed ut interficiat; non ut pascat, sed ut deglutiat; non ut congreget, sed ut disperdat. Non sic fecit Abraham, sed prius deleri cupiebat, quam videre populum periclitantem; non sic Moyses, qui populum peccantem reprehendebat; non sic Samuel, qui pro populi salute intercedebat; non sic Eliseus, qui sanitatem restituebat; non sic Daniel, qui pro lege mala sustinebat. Expediit omnino, fratres, ut immanes simus et liberi ab omni munere, et manus nostras discussas semper habeamus. Quomodo enim poterit amare justitiam, qui non odit injustitiam? quomodo delinquentes corrigere poterit ille, qui muneribus fortiter religatur? quomodo viam rectam tenere poterit ille, qui non vocatus a Deo tanquam Aaron<sup>1</sup> fuerit, sed pretio, amore, odio vel timore ascendit ad cathedram? Non igitur decet principes recipere munera, quia ipsi habent stipendia populorum sibi subjectorum; non debent Pontifices recipere munera, quia habent praebendarum dispensationem; non decet iudices recipere munera, false judicantes, quando iuste ex arte victum et vestitum habere possunt; non decet sacerdotes recipere munera, si habent sacramentorum dispensationem; non decet doctores recipere munera ex consilii perversione. Attendant igitur omnes, et diligenter advertant, quomodo Abimelech propter hoc exterminatur, quomodo Absalom lanceatur, quomodo Jason interficitur, quomodo Adonias perimitur. Multi denique ascenderè volunt super cathedram Moysi cum Adonia presumptuose, qui tamen bene cognoscunt se esse indignos; et nihilomi-

<sup>1</sup> Hebr. v, 4.

nus pretio vel precibus, minis vel blandimentis sunt ascensum procurant. Multi sunt, qui ascendunt cum Jasone, qui trecentos triginta aureos regi dare promisit, ut posset ascendere in summum sacerdotium. Tales sunt simiæ diaboli; quia sicut illæ facere vident, omnia et ipsæ facere volunt. Tales sunt aliqui, qui ascendere volunt, simiantes et simulantes sanctitatem habere, qui tamen, postquam ascenderit, opere cognoscuntur tanquam lupi rapaces. Isti sunt Magi et Arioli, qui steterunt coram rege Nabuchodonosor, ut solverent ejus somnium<sup>1</sup>. Isti non stant coram Domino, quoniam in spiritu et veritate Deum non adorant<sup>2</sup>. Isti videntur ascendere, sicut fecerunt Abimelech et Adonias, et Absalom, et Jason. Sed quo fine isti clausi sunt, sic et isti; licet florere videantur, tandem in profundum, quasi lapis, descendunt<sup>3</sup>. Isti apostatæ sunt et falsi prophetæ, qui ascensum procurant, et descensum non curant. Isti non recipient dona Dei de quibus dicitur: « Ascendens in altum, dedit dona hominibus<sup>4</sup>. » De quorum numero ascendentes nos faciat Christus Dei Filius. Amen.

<sup>1</sup> Dan. ii, 1, et seqq. — <sup>2</sup> Joan. iv, 24. — <sup>3</sup> Exod. xv, 5. —

<sup>4</sup> Ephes. iv, 8.

## SERMO LVI.

## De Ascensione Domini VI.

*Hic sermo, qui in Bibl. Laur., Plut. XIII, Cod. VIII, Part. II, fol. 158 b, cum nomine sancti Augustini legitur, non est ejus; sed vere sancti Joannis Chrysostomi, ut in ejus operibus videre est. Cum autem sit ex alia versione, et quidem multo elegantiore, sicut et liberiore, quam Benedictinorum et eorum antecessorum versione, illam in lucem emittere non insulsum credidimus. Locus ejus post præcedentem cum numero de Ascensione Domini XII.*

## SYNOPSIS.

I. Propter Martyres, et cum Angelis, mysteria extra civitatem celebrata. II. Dies Ascensionis, generi humano festivus, quia humanam naturam sublimavit. III. Reconciliatio facta inter Deum et hominem per oblationem Christi, id est, primitiarum generis humani. IV. Vere primitiæ Christus, quia primitiæ sunt, non fructus primum nati, sed primum maturi et validi. V. Naturæ humanæ indignitas. VI. Angeli cum gaudio naturam humanam in excelsis positam viderunt, cujus antea reprobationem doluerant. VII. Cur Angeli in resurrectione Discipulis apparuerunt. VIII. Descendenti ad judicandum Christo, justi in occursum rapiuntur. IX. Laborandum ergo ut gloriæ Christi cum Angelis sociemur.

I. Er quando de cruce nostra processit oratio, foris civitatem solemnitatem celebravimus; et nunc cum de

crucifixi Ascensione tractamus, præclarum diem et omni lætitia coruscantem, fines civitatis egressi, magna congratulatione celebramus; quia hoc non ad contumeliam civitatis, sed ad honorem spectat Sanctorum, ne nos dissimulationis accusent dicentes: « Quid pro Domino sentimus universa tormenta lætantium vulneribus nostris (1)? Vidi-  
mus ossa carne nudata; patientiæ nostræ tortor cessit iratus; libenti animo pro Christo noster sanguis effusus est; decisa sunt capita pro ejus gloria. Hæc omnia meruimus (2) sustinere, et ista (3) die non meremur agnosci; neque mysteriorum arcana in nostris tabernaculis celebrantur. » Ideo, dilectissimi fratres, hodie ad loca convenimus Beatorum, ad Sanctorum tabernacula festinavimus, ut conventus noster ipsorum præsentia clarior redderetur. Non enim in hoc teatro tantum martyres præsent, sed etiam Angelorum instantia locus decoratur. Nam et Angeli præsent; et si Martyres videre desideras, si Angelos cupis inspicere, aperi oculos fidei, et illud tibi theatrum facile demonstratur. Nam cum in omni aëre Angelorum multitudo versetur, multo magis in Ecclesia, multo amplius hodierno die, quando eorum Dominus ascendit in cælum. Et ut scias, quia Angeli ubique versantur, audi quid Paulus scæminco pudori prospiciens, ait: « Mulieres velamen habent » super caput propter Angelos<sup>1</sup>. » Et iterum Jacob: « Angelus, » ait, qui liberavit me a juventute mea<sup>2</sup>. » Et illi qui cum Apostolis erant, aiunt ad Rhoden: « Angelus ipsius est<sup>3</sup>. » Et Jacob: « Vidi, inquit, Angelorum castra<sup>4</sup>. » Videbantur in terra; nam sicut Imperatoris optimi provisione urbes omnes, castella singula manu militari adversus hostilem subito adventum, et omnia loca diligenter armantur, ne barbarica illusionem deleantur, ita et Deus, quoniam et

<sup>1</sup> 1 Cor. xi, 10. — <sup>2</sup> Gen. xlviii, 16. — <sup>3</sup> Act. xii, 15. — <sup>4</sup> Gen. xxxii, 2.

(1) Cod. *vexantium manibus nostris*; sic opinando correximus. — (2) Id. *meminimus*. — (3) Id. *ejus*.

agresti mente rabiantes dæmones ad pacis eversionem ubique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, ut eorum præsentia dæmonum confringatur audacia, et per eos nobis pacis gratia ministretur. Vides quod etiam Angeli præsent, instituunt Martyres, et undique nobis præparantur auxilia. Quid igitur est miserius illis, qui conventum istum splendidum derelinquunt? Et quid vobis beatius qui ad tantam solemnitatem properatis? Sed fortissima Martyrum facta alio tempore declarabimus; ad proposita redeamus.

II. Hodierna die, dilectissimi fratres, Deo mira sumus reconciliatione sociati. Hodierna die humanum genus cælestem viam meruisse cognoscitur. Hodie illud vetus jurgium dissolutum est, sedatum pristinum bellum. Hodie nobis pax miranda donata est, quæ nunquam sperabatur posse reddi. Nam quæ speserat Dominum humanæ velle consulere naturæ? non quia Deus inhumanus (1), sed quia servus segnitie (2) videbatur oppressus; non quia crudelis Dominus, sed quia contumax servus. Vis audire, quod nostro vitio Deus ad commotionem provocatus est, quod nostra culpa mansuetus Dominus noster irritatus est (3); discite singula, et rationes (4) causæ cognosce; ut cum sedatum senseris bellum, jurgium dissolutum, humanum genus summo honore decoratum, divinam gratiam, misericordiamque magnam, et perpetuam Domini benedictionem sanctifices (5). Aliquando Deus de humani generis confusione cogitavit, et huc usque ira ejus processit, ut viros cum fœminis, senes et juvenes, feras ac (6) pecora lucis privare disposuisset spiritu; et audi divini verbi sententiam: «Delebo, inquit, hominem quem feci a facie terræ, bestias et pecora, quoniam me prænitet (7). quia feci hominem!» Et ut scias,

<sup>1</sup> Gen. vi, 7.

(1) Cod. *in humanis*. — (2) Id. *ne gloria*. — (3) Id. *mixtus est*. — (4) Id. *ratione*. — (5) Id. *est glorifices*. — (6) Cod. *ad*. — (7) Id. *recogitavi*.



quia hæc mala (1) non sunt ex odio naturæ (2), sed quia (3) malitiæ nostræ non ferebat horrorem, postquam dixit : « Delebo hominem, quem feci, a facie terræ, » dicit et ad Noë : « Tempus omnis hominis venit coram me! » et si hominem haberet (4) exosum, ad hominem non loqueretur, nec dignum concessisset (5) percipere auditum. Sed vide Dei misericordiam ; hominem quadam satisfactione consolatur et causam ei futuræ calamitatis enarrat, non ut homo causas discat, sed ut narrando aliis, multo meliores efficiat. Quod dicebat, hoc est : In tantum humanum genus pessime conversabatur, ut et ipsius terræ habitatione carere juberetur (6). Sed nos qui et terra videbamur indigni, hodie elevati sumus ad cælum ; qui nec terrestria merebamur, cœleste regnum meruimus possidere. Cœlorum transivimus fines, et ipsa sede regali coronamur, et natura, ejus causa Paradisus a Cherubim custodiebatur, hodie supra Cherubim summo cum honore suscepta est.

III. Sed hoc mirabile quemadmodum factum est, videamus ; et quemadmodum nos, qui tantum divinam offenderamus clementiam ut terrestribus privaremur, excelsa tenuimus et alta meruimus possidere ; quemadmodum sedatur jurgium, et illud videtur, ira sedata, sublatum. Discite quod non nostra deprecatione, qui eum offenderamus, sed postulatis (7) ejus qui juste fuerat nobis iratus, pax facta est. « Pro Christo » namque, ait Apostolus, legatione fungimur, tanquam Deo rogante per nos<sup>2</sup>. » Quid est hoc ? Ipse rogat, qui injuriam passus est. Valde, inquam ; nam Deus clemens et ipse, tanquam misericors pater, deprecatur. Et vide, quod melius est ; reconciliator accessit, non Angelus, non Archangelus, sed ipse Filius deprecantis ; et sicut (8) duobus jurgio separatis, unus in medio positus altercantium litem discor-

<sup>1</sup> Gen. vi, 13. — <sup>2</sup> 2 Cor. v, 20.

(1) Cod. *humana*. — (2) Id. *ex omni natura*. — (3) Deest *quia* in cod. — (4) Cod. *habebat*. — (5) Id. *concessit*. — (6) Id. *speraretur*. — (7) Id. *postulata*. — (8) Id. *sic*.

diamque dissolvit, ita et Christus fecit. Deus nobis juste irascebatur, et nos contemnebamus iratum, et clementem Dominum declinabamus; et se medium Christus ingessit, et sociavit utramque naturam; et nobis, quod imminabat a Patre, supplicium ipse sustinuit: « Christus nos, inquit, » emit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictus<sup>1</sup>. » Vides quod imminens cœleste supplicium ipse sustinuit; discce quod et terrestrem insultationem ipse toleravit: « In- » sultationes, inquit, insultantium ceciderunt super me<sup>2</sup>. » Vides quemadmodum sedavit jurgium, quemadmodum litigium ipse dissolvit, nec ante discessit, sed multa fecit, multa sustinuit, ut inimicum reconciliaret, ut hostem Deo sociaret, et amicum faceret qui multo fuerat tempore inimicus. Et horum tamen omnium beneficiorum hodiernus dies mira fuit causa (1), quo tanquam primitias naturæ nostræ Deo dedit, et sicut de campo segetibus decorato qui collectas spicas obtulerit Deo, magnam (2) campo benedictionem reportare prospiciitur, sic et Christus per illud corpus nostram fecit benedici naturam.

IV. Sed, dices, et cur (5) non omnem naturam levavit ad cælum? Eo quod (4) non videntur esse primitiæ, cum totum offertur, sed si tantum partim offertur; per hanc (5) enim oblationem totum benedicitur. Sed, inquis, si primitiæ sunt, primum ipsum (6) hominem ad cælum debuerat (7) elevare; primitiæ namque sunt. Quod primum offertur, primumque pullulat, non est hoc primitiæ; nam imbecillis fructus nullus est; sed fortis et validus ipse debet offerri. Quia ergo pro peccato fuerat obligatus, et patrato crimine verebatur, ideo non potuit offerri, licet prior factus esse videretur (8), sed qui postea factus est. Ut discas quod iste fructus primitias fecit, qui robustus

<sup>1</sup> Galat. III, 13. — <sup>2</sup> Psal. LXXIII, 10.

(1) Deest in cod. vox *causa*. — (2) Cod. *tanquam*. — (3) Id. *et cum*. — (4) Id. *quod*; et deinde deest *sed*. — (5) Id. *per quam*. — (6) Id. *suum*. — (7) Id. *debuerant*. — (8) Id. *videbatur*.

et validus, et summa maturitate florescit, testimonium te divinæ ultionis poterit edocere : « Si intraveris in terram , » quam Dominus Deus tibi dabit, inquit Moyses ad populum, et plantaveris in ea omne lignum, quod facit fructum ad edendum, tribus annis non depurgabis fructum ejus, sed dimittes illam quæ nondum arbor valida firmitate roboratur, nec fructus aliqua maturitate senescunt. » Sed quartus, inquit, annus sanctus est Domino<sup>1</sup>. » Vide Legis conditoris prudentiam. Fructum primum nec manducari permisit, ne ante Dominum quisquam eum percipere videatur, nec (1) offerri concessit, ne Deo immaturus offeratur, sed Dimitte, inquit, quia primus est, nec offeras, quia oblatione nondum dignus est fructus, nec accipere ei convenit immaturum (2). Et hæc nobis dicta sunt propter corpus quod Christus obtulit. Igitur naturæ nostræ primitias obtulit Patri, et oblatum donum miratus est Pater, quod et tanta dignitas offerebat, quod macula nulla fædabat. Nam et suis manibus suscepit oblatum, et suæ sedis fecit esse participem, et quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocavit.

V. Cognoscamus quis ille sit (3) qui audivit : « Sede ad dexteram meam<sup>2</sup> » quæ natura cui Deus dixit : Esto meæ particeps sedis ? Illa natura est, quæ audivit : « Terra es, » et in terram ibis<sup>3</sup>. » Non enim ascendere gloriam cæli sufficiebat (4), non cum Angelis stare. Sedes transivit, Archangelos prætermisit (5), super Cherubim ascendit, super Seraphim elevatur, nec autem stetit, nisi sedem Dominicam tenuisset. Vide quo spatio cælum separatur a terra, imo quantum et terra ab inferis, et infimum (6) cælum quantum ab altiore cælo separatur, et de altiori cælo quantum spatii est ad Archangelos, ad superiores etiam Potestates, ad ipsam quoque Dominicam sedem. Super hæc omnia

<sup>1</sup> Levit. xxix, 24, 25. — <sup>2</sup> Psal. cix, 1. — <sup>3</sup> Gen. iii, 19.

(1) Cod. *ne*. — (2) Id. *in immaturum*. — (3) Id. *est*. — (4) Id. *ad omnem gloriam cælos sufficeret*. — (5) Id. *male præmisit*. — (6) Id. *ipsum*.

natura nostra elevata est, et homo qui loco tam humili tenebatur, ut descendere non posset ulterius, ad tam excelsam sedem elevatur, ut superius non possit ascendere. Et hoc ostendens Paulus aiebat : « Qui descendit, ipse est qui ascendit<sup>1</sup>; » descendit ad infimum terræ, et ascendit super omnes cœlos. Disce igitur quis ascendit, et quæ natura est elevata? In hoc enim cupio remorari (1) sermonem, ut humani generis commemoratione divinam clementiam cum admiratione discamus, quæ (2) summum honorem magnamque gloriam nostræ naturæ largita est. Terra et cinis eramus. Sed hoc nondum nostrum vitium, sed imbecillitas fuit. Facti sumus irrationabilibus insensatiores : « Comparatus est (3) namque homo jumentis insipientibus, et similis factus est eis<sup>2</sup>. » Et pejus est comparari, quam nasci. Naturaliter non habere rationem, tolerabile est; verum ratione decoratum irrationali naturæ comparari, voluntatis crimen est. Et quando audis, quod homo comparatus est jumentis, non arbitreris, quod eum irrationabilibus similem voluit demonstrare, sed longe pejorem; non tantum, quia homines facti, ad irrationabilia festinavimus gesta, sed quia ad majorem dementiam properavimus. Et hoc significans Isaias dicebat : « Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israël autem me non cognovit<sup>3</sup>. » Sed nunc priorem conversationem erubescamus : « Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit et gratia<sup>4</sup>. » Vides quod jumentis irrationabiliores fuimus : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. » Unde et avibus irrationabiliores invenimur : « Hirundo et agri passer agnoverunt tempora ingressûs sui, populus vero meus non agnovit judicîa Dei<sup>5</sup>. » Ecce jumentis, ecce avibus deteriora sentimus, irrationabiliora cogitamus. Vis amplius nostram percipere (4) naturam; fornicarum nobis Salo-

<sup>1</sup> Ephes. iv, 10. — <sup>2</sup> Psal. XLVIII, 13-21. — <sup>3</sup> Isai. I, 3. — <sup>4</sup> Rom. v, 20. — <sup>5</sup> Jerem. viii, 7.

(1) Cod. *removeri*. — (2) Id. *quam*. — (3) Id. *comperatus est*. — (4) Id. *recipere*.

mon gesta narravit, earum nobis imitationem ostendit: «Vade namque, ait, ad formicam, o piger, et æmulare vias ejus<sup>1</sup>.» Formicarum sumus facti discipuli, formicarum æmulatione vivimus, formicarum conversamur exemplis. In tantum amissimus humanæ naturæ consilium, in tantum humanæ mentis aliena sentimus, qui ad similitudinem Dei facti monstramur! Sed non reus est ille qui fecit, sed nos qui contempsimus in imagine perdurare. Sed quid de formicis dico? lapidibus insensatores facti sumus. Et hoc tibi valido testimonio demonstrabo, dicente Propheta: «Audite, convalles (1), fundamenta terræ, quia judicium Domino contra populum suum<sup>2</sup>.» Quid (2) ais? Contra homines judicium tibi est, et testes terræ fundamenta vocantur (3) inter Dominum et genus (4) humanum? Quia judicium non audiunt homines (5), lapides invitantur? Valde, inquit; nam lapidibus insensatores esse cognoscuntur. Vides quod totius malitiæ fines excessimus. Asinis et bobus irrationabiliores ostendimur, et sensu volatilium superamur, nec ipsis solum lapidibus comparamur, sed serpentum malignitatem (6) imitamur. «Furor namque eis ad similitudinem serpentis; venenum aspidis sub labiis eorum<sup>3</sup>.» Et quid de multis animalibus loquimur, ubi etiam ipsius diaboli filii nuncupamur? «Vos autem filii diaboli estis<sup>4</sup>.»

VI. Et tamen nos qui sensum (7) non habebamus, qui contumacia gravabamur, qui nec lapidibus comparabamur, qui vincebamus omni natura, qui despecti videbamur, qui contemnebamur; et quemadmodum loquar ignoro; quo sermone utar, quo verbo dicam, reperire non possum. Natura fragilis, natura consumpta, omnibus monstrata deterior, omnia vicit, omnia superavit, omnibus hodierna die meruit excellentior reperiri. Hodie

<sup>1</sup> Prov. vi, 6. — <sup>2</sup> Mich. vi, 2. — <sup>3</sup> Psal LVII, 5. — <sup>4</sup> Joan. viii, 44.

(1) Cod. *franges*. — (2) Id. *quod*. — (3) Id. *clamantur*. — (4) Desunt in cod. hæc verba *et genus*. — (5) Cod. *audiant*, nec *habet homines*. — (6) Id. *malignitates*. — (7) Id. *sensuum*.

Angeli quod multo tempore cupierunt, inspicere voluerunt, naturam nostram in sede Dominica, immortalitatis fulgentem gloria perviderunt (1). Hoc enim affectabant Angeli, hoc desiderabant Archangeli. Etsi eos humana natura largito ipsi (2) honore superat, tamen nostris beneficiis gratulantur, sicut nostris dolebant suppliciis, et quando puniebamur, nimia tristitia tenebantur. Et Cherubim licet Paradisum custodirent, nostris tamen suppliciis tristabantur; et sicut conservus bonus, cum a domino conservum suum custodiendum susceperit, satisfacit quidem dominicæ jussioni, sed tamen conservi pœna nimio dolore conteritur; servitii necessitate contristatus, animo non respuit charitatem; sic et Cherubim meruerant quidem custodire Paradisum, sed dolebant hominem (5) custodire. Et ut hoc facile possis advertere ex hominum affectione condisce (4). Servorum calamitates inspicimus cum dolore; et, si servant homines charitatem, multo magis illæ Potestates supplicii nostris commoventur. Nam et justis dolebant de peccatorum suppliciis, et licet merito pœnæ inferrentur, tamen doloris incitabantur tristitia. Nam Moyses post idoli acrimoniam dicebat: « Siquidem dimitte eis peccatum, » dimitte; sin autem, dele me de libro quem scripsisti<sup>1</sup>. » Quid hoc est? contumaciam vides, et pro impiorum supplicio deprecaris (5) Deum? Ideo inquit, doleo et deprecor (6), quia digne cruciantur, quia merito puniuntur, quia ipsi sunt sui causa supplicii. Et Ezechiel, cum Angelum populo videret inferentem sententiam supplicii, cum nimia lamentatione clamavit, dicens: « Heu » mihi, Domine, quoniam deles tu reliquias Israël<sup>2</sup>? » Et Jeremias: « Castiga nos, Domine, in iudicio, et non in ira, » ne nos paucissimos facias<sup>3</sup>. » Et cum Moyses, et Ezechiel et Jeremias dolcant, quanto magis illæ Potestates nostris

<sup>1</sup> Exod. xxxii, 31. — <sup>2</sup> Ezech. ix, 8. — <sup>3</sup> Jerem. x, 24.

(1) Cod. *provident*. — (2) Id. *sibi*. — (3) Id. *honorem*. — (4) Id. *condisse*. — (5) Id. *deprecare*. — (6) Id. *dele omnino*.

calamitatibus commoventur. Et ut scias quod nostris malis doluerunt, ex eo discite quod reconciliationi divinæ (1) gratulatae sunt. Et, si antea non dolebant, nec postea gratulantur. Et quod gratulatae sint, Salvator ostendit dicens : « Quia gaudium erit Angelis in cælis pro uno peccatore » pœnitentiam agente<sup>1</sup>. » Et si unius peccatoris compunctioni (2) Angeli gratulantur, multo magis cum ad cælum hodierna die hominum viderunt elevari naturam. Et alia ratione condiscite gaudium cœlestium Potestatum. Quando Dominus noster Jesus Christus secundum carnem natus est, et hominem reconciliatum viderunt, nec enim aliter descenderent, cum summa gratulatione clamabant : « Gloria in » excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis<sup>2</sup>, » hominibus, qui debellati sunt, qui inimici fuerunt, qui alieni erant, qui contumaces judicati sunt. Vides quemadmodum in alienis gratulentur, imo in suis; nam nostra bona suas utilitates arbitrantur dicere, et cum ascenderet, gratulabantur, et in uno gaudio exultabant, et descendentibus frequenter. Et hoc proprium est cupientium videre inopinatum spectaculum. Et ut scias quod ascendebant, Christi te verba confirmant, qui dicit : « Modo videbitis » Angelos Dei ascendentes et descendentes ad Filium hominis<sup>3</sup>. » Et iste semper amantium mos est, cupientium solitam consuetudinem; nec tempus expectare didicerunt, sed festino amoris ardore etiam dilationem præveniunt constitutam. Ideo ascendunt, ideo descendunt, et cum omni festinatione novum et incredibile spectaculum videre desiderant. Nam quid hoc mirabilius est, quando homo, qui contemptus est, videtur in cælo? Ideo et quando nascebatur Dominus, et quando resurgebat, exultabant Angeli, et hodie quando ascendit in cælum. « Ecce enim duo, ait, » in alba veste<sup>4</sup>, » ut ex ipsis vestimentis gratulatio monstraretur, dixerunt ad Discipulos : « Iste Jesus qui ascendit

<sup>1</sup> Luc. vii, 20. — <sup>2</sup> Id. ii, 14. — <sup>3</sup> Joan. i, 51. — <sup>4</sup> Act. i, 10.

(1) Cod. *reconciliatione divina*. — (2) Id. *compunctione*.

» a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum  
» euntem in cœlum<sup>1</sup>. »

VII. Hic auditum mihi cum debita (1) diligentia com-  
môdate, cur hæc dicta sint? Numquid oculos Discipuli  
non (2) habebant? numquid non bene videbant quid gere-  
retur? numquid non dixit Evangelista: « Qui videntibus eis  
» ascendit in cœlum<sup>2</sup>? » Cur igitur Angeli eis dicebant, quod  
factum est? qui demonstrabant, quod ascendit in cœlum,  
propter has scilicet causas duas; unam, quia dolebant,  
Jesu Ascensione desolati. Et quia dolebant, audi quid ad eos  
dicit: « Nemo me interrogat de vobis, quo vadis? sed quia  
» ista dixi, tristitia replevit cor vestrum<sup>3</sup>. » Et si amicorum  
seu cognatorum separatione tristamur, quanto magis Sal-  
vatorem, Magistrum, Dominum misericordem, piûm,  
mansuetum; cum se viderent separari, omni cum dolore  
tristabantur. Et ideo stabant Angeli, et Ascensionis tristi-  
tiam regressionis commemoratione consolabantur, et sepa-  
rationis dolorem adventûs futuri pollicitatione sedabant.  
Nam aiunt: « Iste Jesus, qui ascendit a vobis, sic veniet. »  
Doletis, inquit, quia ascenderit; sed dolere desistite;  
nam iterum veniet. Et ne hoc facerent, quod Elisens fec-  
cisse docetur, conscindens vestimentum, cum Magistrum  
vidisset elevatum ad cœlum; non enim hic procedentem  
videbat (5) Angelum, qui ei Eliam promitteret venire; ne  
ergo hoc facerent, ideo Angeli stabant animi eorum tristi-  
tiam solatio relevantes. Et hæc quidem una causa est præ-  
sentis Angelorum. Est et alia causa non minoris rationis.  
Nam addiderunt: « Qui ascendit ad cœlum, » et quia lon-  
gum spatium de terra tendebatur ad cœlum, et oculorum  
acies portatum corpus ad illam altitudinem minimè poterat  
pervidere (4), sed sicut avem, cum aliora supervolat (5),

<sup>1</sup> Act. 1, 11. — <sup>2</sup> Ibid. 9 — <sup>3</sup> Joan. xvi, 5, 6.

(1) Cod. *Dei*. — (2) Sæpe in cod. deest *non post nunquid*; et hic  
sæpius deficit. — (3) Cod. *proferentem*, nec habet *videbat*. — (4) *Id. pro-  
videre*. — (5) *Id. postulat*.



aspectus deficit inspicere, et noster oculus volatu (1) vincitur celsiore; sic et illud corpus quanto ferebatur ad summam, tanto oculus videntium aspectus imbecillitate velabatur, deficientem naturam altiora conspicerem; ideo stabant Angeli, iter caelestem monstrantes, ne quis arbitraretur, quia tantquam in caelum ascendit. « Qui elevatus est, inquit, a vobis in caelum. » Ideo non simpliciter hoc addidit. Et Elias quidem tanquam in caelum ascendit; nam servus erat; Jesus autem ad caelum, quia Dominus erat; ille in curru igneo, hic in nube. Et quando servus vocabatur, currus mittebatur, ut veniret; quando Filius ascendebat, Dominica sedes occurrebat; nec tantum Dominica, sed paterna. Nam et de Patre ait Isaïas: « Ecce Dominus sedet in nube levi<sup>1</sup>. » Et quia Pater sedet in nube, nubem misit et Filius. Et Elias quidem enim ascenderet melotam suam Eliseo dimisit; Christus autem Discipulis gratiam dereliquit, qui non unum Prophetam, sed multos Eliseos effecit, imo multos illo potentiores.

VIII. Elevemur igitur et excitemur, dilectissimi fratres, et illum cogitemus adventum. Nam et Paulus ait: « Ipse descendet (2) de caelo Dominus in visione in voce Archangeli, et nos qui vivimus, qui relinquimur, rapiemur in nube in occursum Domini, sed non omnes<sup>2</sup>. » Et quia non omnes rapiemur, sed aliquanti, quid ait Jesus? « Tunc erunt duae in mola molentes, una suscipietur, et una relinquetur; duo in lecto, unus suscipietur, et unus dimittetur<sup>3</sup>. » Quid hanc singularitatem ostendatur, quid hoc secretum declaretur, videamus. Molae (5) autem pauperes inopemque demonstrant, et eos qui vitae laboribus conteruntur (4); lectus divites et quietos ostendit, et eos qui honoribus saecularibus perfruuntur. Et volens ostendere quia (5) et de pauperibus aliquanti liberantur et pereunt, de divitibus

<sup>1</sup> Isaï. XIX, 1. — <sup>2</sup> 1 Thess. IV, 15, 16. — <sup>3</sup> Luc. XVII, 34, 35.

(1) Cod. *volatus*. — (2) Id. *descendit*. — (3) Id. *moles*. — (4) Id. *conterentur*. — (5) Id. *qui*.

nonnulli liberantur et pereunt, ait quia de mola una suscipitur et alia dimittitur, et de lecto unus suscipitur et unus relinquitur; significans quia qui peccatis obruuntur hinc remanent supplicia sustinentes, justi autem rapiuntur ad nubem. Nam sicut, Rege adveniente ad aliquam civitatem, hi qui honoribus et dignitatibus decorantur, cum summa confidentia, non expectato ejus ingressu, longe ante portas occurrunt, et excipiunt venientem; rei autem et criminibus obligati, intra muros continentur, imperatoriam expectaturi sententiam; ita et quando Dominus veniet, justi ei in ipso medio aëre confidenter occurrunt; si nexi vero et obruti peccatis, hic remanent expectantes iudicium. Tunc et nos rapiemur nomine justorum, nomine concivium. Commemorans dixi « Nos rapiemur; » nam non sum in tantum sanæ mentis alienus, non animi cæcitate confusus, ut mea peccata nesciam, ut meorum videar oblitus esse gestorum. Nam quia diem festum nolo meo dolore turbare, nec solemnitati miscere tristitiam, parco lacrymis, parco fletibus meorum peccatorum; conscientia sauciat.

IX. Et ideo orationem in ipsa festivitatis lætitia terminabo; illius diei memoriam derelinquens, ut nec dives suis opibus gratuletur, nec sua pauper egestate tristetur; sed unusquisque suæ conscientia meriti speret. Nam nec dives beatus, nec pauper miser poterit iudicari; sed qui illius merebitur miser aspectum, ipse cacumen totius beatitudinis possidebit. Nam qui peccatis pauper est, divitiis cœlestibus abundabit, et qui criminibus dives est, suppliciorum pondera sustinebit. Et omnino dico, ut qui in peccatis sumus, lugeamus, et qui beata conscientia vivunt, gratulentur (1); sed nec isti confidant, sed timeant; nec illi lugeant, sed corrigantur. Nam cum liceat eum, qui male fuerat conversatus (2), mutari ac gloriam promereri, et his parem fieri qui semper juste vixerunt, hoc et nos implere properemus. Et qui bene vivunt, propositi et conver-

(1) Cod. *gratiæ tuæ*. — (2) Id. male *conservatus*, et antea deest *eum*.

sationis suæ merito, futuræ gloriæ applicare festinent, et confidentiam augere non desinant. Et qui peccatorum mole opprimuntur, meliore correctione mutantur, ut justorum choro (1) sociati non indebita reverentia imperatorem suscipiamus Angelorum, et illa beatitudine perfruamur, quam nos omnes faciat promereri gratia (2) Domini nostri Jesu Christi, cum quo est Patri gloria in sæcula sæculorum. Amen,

## SERMO LVII.

### De Ascensione Domini VII.

*Hic sermo, extractus ex Bibl. Laur., Plut. xvii, Cod. xxxii, fol. 41; et ex Bibl. Ædil., Cod. clxiii, fol. 212, cum nomine sancti Augustini, nec sententiarum gravitatem, nec genus dicendi præfert, quæ sancto Doctori conveniunt. Locus ejus in appendice post sermonem præcedentem cum numero de Ascensione Domini xiii.*

### SYNOPSIS.

I. Christi gloriosa Ascensio. II. Angelorum Discipulis manifestatio, et novi Apostoli electio. III. Christus in hac festivitate orandus.

I. MAGNUM hodie, fratres, suscipiamus (5) diem festum, quando Dominus noster Jesus Christus quadraginta post dies resurrectionis aëreo (4) volatu conscendit ad cælos. Tripudiant hodie cæli cælorum, gaudet (5) omnis exerci-

(1) Cod. *crebro*. — (2) Id. *gaudum*. — (3) Sic cod. xxxix; cod. cxliii *suscipimus*. — (4) Sic cod. cxliii; cod. xxxix male *aëro*. — (5) Codd. *garrit*.

tus Angelorum, quia Redemptor omnium nationum, cum ingenti triumpho, aethereum ad dexteram Patris hodie sedit in thronum. Omnem simul monet Apostolicam ecclesiam, ut nequaquam pertimescerent (1) hujus mundi pressuram; neque furorem pertimescerent sævientium Judæorum, sed decimam post diem Paraclitum susciperent Spiritum sanctum. Cum hæc, inquit, Dominus noster Jesus Christus sua sacratissima verba tanquam semen in terra sua bona profunderet, verba salutifera (2), subito carruca sedens (3) nubali vectatus est ad regiam cœli, cui omnes toga cœlesti (4) ovantes conclamant, et dulcis melos (5) resultat: « Benedictus, qui venit in nomine Domini; Hosanna in excelsis<sup>1</sup>. » Supinis, inquit, vultibus aspiciebant in cœlum omnes simul Apostoli, et populi universi videntes Dominum terræ et cœli, in proprio corpore, nube vectari. Quibus consolatores illico, in specie viri, albentes duo directi sunt Angeli, quibus aiunt monentes eos et consolantes: « Viri Galilæi, quid miramini Christum Deum euntem in cœlum, quemadmodum Prophetæ buccinando paulo ante hæc omnia prædixerunt esse facturum<sup>2</sup>. » Et quem sciebatis, quia ideo venerat, « Non solvere legem, sed adimplere<sup>3</sup>, » cur miramini quod (6) hodierna die conscendit ad Patrem? Ite, inquit, Apostoli, prædicate verbum divinum, ut impleatur in vobis ipsius promissum, quem totius mundi Dominum, vos duodecim meruistis habere magistrum. Reversi itaque domum, inierunt hodierna in die consilium Apostolum constituere novum pro traditore illo falsoque Discipulo. Et talem sibi Dominus sorte elegit virum dignissimum, qui annotari (7) meruit in numero duodecim Apostolorum.

<sup>1</sup> Matth. XXI, 9. — <sup>2</sup> Act. I, 11. — <sup>3</sup> Matth. V, 17.

(1) Cod. XXXIX *pertimescere*, et neuter cod. habet *ut*. — (2) Codd. *novifera*. — (3) Cod. XXXIX *sedere*; cod. CXLIII *cedere nivali*. — (4) Codd. *male cœlestis*. — (5) *Iid. honos*; et deinde cod. CXLIII *resultant*. — (6) Sic cod. CXLIII; cod. XXXIX *cur*. — (7) Codd. *adnotare*.

II. Pervenientes itaque, fratres, ad hanc diem festivitatis, orandus est ipse Dominus noster Jesus Christus a nobis, ut nostrum aptet calamus (1) vocis ad prædicandum verbum divinum sensibus vestris, et pro hujus diei quadragesimi festo, quicquid nostra vobis prædixerit lingua, aure libenti suscipiat charitas vestra.

---

SERMO LVIII.

De Pentecoste III, de Adventu Spiritus sancti.

*Eductus hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 35, sit in appendice, propter sæpe memoratas rationes, post sermonem appendicis primi supplementi cum numero de Pentecoste x.*

SYNOPSIS.

I. Apostolorum mirabilis mutatio. III. Præcipue autem Petri. III. Ejusdem argumenti continuatio. IV. Cur venit Spiritus in specie columbæ. V. Clausis venit Spiritus sanctus.

I. HODIE, fratres dilectissimi, completi sunt dies Pentecostes; Alleluia. Hodie fidelium corda, quæ hactenus debilia erant et vacillantia, confirmantur; hodie Apostolorum Princeps, qui ad vocem mulieris Christum negavit, coram omni multitudine non timuit confiteri; et quem ignorare in passione dicebat, hodierna die magnificare non saliat; et sicut in passione Christi festinanter fugerat, ita, et longe fortius, coram Nerone pervenire desideravit (2), Christum Dei Filium super omnia magnificans. Hodie piscatores

(1) Cod. thalamum. — (2) Id. desiderans.

doctores, debiles fortes, ignari sapientes, timentes constantes, impotentes potentes, muti loquaces, surdi audientes, claudi ambulantes, peccatores cœlorum cives, domestici Dei. Dei (1) fortes, terræque (2) cœlorum fundatores, fidei exemplatores, Legis imitatores, Evangelii triumphatores, auiæ cœlestis assessores (3), divini iudicii iudicatores, janitores cœlorum, et gloriosos principes terræ, hodierna die, sanctos Apostolos factos esse conspicimus in adventu Spiritûs sancti; fratres, gaudeamus. Hodie Discipulorum corda inflammando roboravit tam fortiter, tam suaviter, tam mirabiliter, ut Petrus et Andreas ad crucem pergere non tinerent, Paulus, Jacobus et Matthæus gladium non paverent. Numquid Joannes venenum bibere timuit? numquid Jacobus fullonis perticam? numquid Bartholomæus pellem? numquid Simon et Philippus crucem? numquid Thaddæus trucidationem (4)? numquid Matthias securim? numquid Thomas cerebri effusionem? Et unde hæc mutatio, fratres, dexteræ excelsi<sup>1</sup>? Quia « Verbo Domini cœli firmati sunt<sup>2</sup>. » Quomodo firmati, nisi supra petram? Aspice omnes firmatos, o fidelis; quia ecce Petrus, Andreas, Simon et Philippus ad crucem gaudentes vadunt. Aspice Paulum sponte decollatum; aspice Jacobum et Matthæum gladio decurtatum (5); aspice Bartholomæum pelle decorticatum (6); aspice Thaddæum crudeliter trucidatum; aspice Matthiam (7) securi percussum; aspice Thomam cerebro privatum; aspice Joannem carceri (8) mancipatum, et veneno, et balneo jucundatum; aspice Jacobum justum, fullonum baculo, spiritum exhalantem (9). Ecce quomodo « Verbo Domini cœli firmati sunt, » ecce quomodo Spiritus oris Dei omnis virtus eorum est.

<sup>1</sup> Psal. LXXVI, 11. — <sup>2</sup> Id. XXXII, 6.

(1) Sic cod.; forte *Dei milites* — (2) Sic cod.; forte *regnique*. — (3) Cod. *accessores*. — (4) Id. *trucidatus*. — (5) Id. *decoratum*. — (6) Id. *depanperatum*. — (7) Id. male *Matthæum*. — (8) Id. *carcere*. — (9) Sic opinando emendare conati sumus codicem, in quo legitur *spiritu exaltatum*.

II. Certe, ut supra diximus, fratres, ipse pastor ecclesiæ Petrus, cui datus erat principatus Apostolorum, cui traditæ sunt claves regni cælorum, cui commissa erat custodia omnium, quantæ formidinis fuerit nullatenus ignoramus. Ait enim ipse Petrus: « Non sum <sup>1</sup>, non novi hominem <sup>2</sup>; » qui fere annis tribus cum Christo conversatus jam fuerat. Sed non solum sufficit hoc, sed cœpit detestari, et dicere per illum <sup>3</sup> Deum, qui cælum et terram creavit, qui Legem Moysi dedit, qui mirabilia in mari Rubro fecit, quia non cognosco hominem <sup>3</sup>. Ecce principis et capitis Apostolorum fortitudo; ecce Petri constantia, ecce Petri pusillanimitas. Fortior denique fuit Latio in cruce affixus, quam Petrus; fortior Latio, quam Legifer ecclesiæ; fortior fuit Latio, quam Apostolus; fortior alienus, quam terrigena; fortior Domini servus, quam Domini amicus. Quomodo etiam alii Apostoli fortes fuerunt? quomodo membra ex quo caput vacillabat membrorum? Sed hodie « Verbo Domini cæli firmati sunt. » Verbum Domini Filius est Patris, quia « In principio erat Verbum <sup>4</sup>, » quia ideo dicitur Verbum ipse Filius, quia sicut verbum est manifestatio intellectûs latentis, ita Christus veniens in mundum fuit ostensio Patris, quem hominibus ignorantibus manifestavit. « Dominico igitur Verbo cæli firmati » sunt. » Cæli cælorum dicuntur Apostoli, quia sicut cæli terram fructificare faciunt, sic et Apostoli terram, scilicet homines, post adventum Spiritûs sancti fructificare fecerunt, in fide confirmando, roborando, prædicando, increpando in omni patientia et doctrina <sup>5</sup>, demones effugando, mortuos resuscitando, infirmos sanando, et vitam æternam promittendo.

III. Audistis, fratres, quomodo « Verbo Domini cæli firmati sunt; » placeat et modo audire, quomodo « Spiritus » oris ejus est virtus eorum <sup>6</sup>. » Os enim Patris Christus est,

<sup>1</sup> Luc. xxii, 58. — <sup>2</sup> Matth. xxvii, 72. — <sup>3</sup> Ibid. 74. — <sup>4</sup> Joan. i, 1. — <sup>5</sup> 2 Tim. §iv, 2. — <sup>6</sup> Psal. xxxii, 6.

quia per Filium incarnatum Pater locutus est mundo : « Et » sermonem quem audistis, inquit Filius, non est meus, sed » ejus qui misit me Patris<sup>1</sup>. » Spiritus autem sanctus dicitur esse Filii (1) Dei, dicitur esse Patris, quia ab utroque procedit, et uterque eum mittit. Mittit Pater quia « Spiritus » sanctus quem Pater mittet in nomine meo<sup>2</sup>; » mittit Filius, quia « Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos<sup>3</sup>. » Iste Paracletus, consolator, adveniens in specie ignis inflammavit corda Discipulorum, ut contra omnia adversa resisterent. Erigite, fratres, mentes, et videte oculo mentis et corporis Petri fortitudinem, postquam Spiritu sancto repletus est. Nam cum adhuc Jerosolymis Apostoli prædicarent populo post adventum Spiritus sancti, « Princeps » sacerdotum et omnes qui cum illo erant, repleti sunt » zelo, et miserunt manus in Apostolos et posuerunt eos in » carcere : Angelus autem Domini aperuit carcerem et » eduxit eos. Exeuntes autem diluculo iterum in templo » prædicaverunt. Principes sacerdotum, convocato concilio, » miserunt ad carcerem, ut adducerentur. Sed reversi dixerunt : Clausum carcerem invenimus et custodes stantes » ad januam, tandem intus aspicientes neminem vidimus. » Et cum hæc renuntiarentur, quidam dixerunt quod in » templo prædicabant<sup>4</sup>. » Adducti vero Apostoli, « Gaudentes in conspectu concilii; » præcepit magistratus, ne ulterius prædicarent Jesum. Sed ad hoc respondit ille magnus Cephias, et alta voce dixit : « Obedire Deo oportet » magis quam hominibus<sup>5</sup>. » Ecce Petrus, qui vocem mulieris timuit, modo sacerdotibus et principibus cum audacia multa resistit.

IV. Sed modo videndum est, quid est quod Spiritus sanctus in specie columbæ super Christum baptizatum apparuit et in specie ignis super Apostolos (2) descendit, nisi quia

<sup>1</sup> Joan. xiv, 24. — <sup>2</sup> Ibid. 26. — <sup>3</sup> Id. xv, 16. — <sup>4</sup> Act. v, 17, et seqq. — <sup>5</sup> Ibid. 29.

(1) Cod. male *Filius*. — (2) Hæc et in specie ignis in Apostolos desunt in eod., sed evidenter ista requirit sensus.



quamvis Christus sit iudex humani generis, tamen in mundum veniens noluit prius homines et peccatores ferire, sed cum mansuetudine attrahere; quæ mansuetudo per simplicitatem columbinam designatur: sed in igne venit hominibus, quia peccata nostra, quæ prius Dominus per mansuetudinem toleravit, nos per zelum rectitudinis ardore pœnitentiæ debemus cremare. Est, fratres, et alia ratio, quia quos Spiritus sanctus replet, simplices et ardentes facit: simplices malitia, sed ardentes virtute et doctrina. Ideo ait Dominus: « Estote prudentes, sicut serpentes, et simplices sicut colombar<sup>1</sup>. » Serpens est astutum animal, qui aspiciens incantatorem venientem affigit aurem terræ, et aliam cauda obturat, ne vocem incantantis audiat. Itaque nec serpens sine columba, nec columba sine serpente in hominibus esse debet, quatenus et colombar<sup>1</sup> simplicitatem et serpentis prudentiam attendamus, et serpentis astutiam colombar<sup>1</sup> simplicitas temperet. Septem denique virtutes in columba legimus, quas etiam virtutes Spiritus sanctus in fidelibus generat. Columba secus fluentia libens habitat, ut, viso accipitre, in aquam se immergat (1), et evadat; semper grana meliora devorat, alienos pullos nutrit, rostro non lacerat, felle caret, in cavernis nidificat, et gemit, dum cantare desiderat. Sic et Apostoli secus divinæ Scripturæ fluentia, quibus corda eorum rigantur inhabitant, ut eorum iuramento aggressus diaboli evadant. Meliora grana sancti viri, qui post Apostolos fuerunt, id est, meliores sententias, non hæreticas, quibus pasci et pascere possint, eligunt. Alienos pullos, id est, homines prius a Deo alienos, sua doctrina et exemplo erudiunt. Non lacerant rostro, quia Scripturas non lacerant more hæreticorum. In cavernis petrarum nidificant, quia in Christo et in suis plagis semper vigilant. Gemitum habent pro cantu, quia sicut columba in suo cantu delectatur, sic

<sup>1</sup> Matth. x, 16.

(1) Cod. *emergat*.

et sancti viri, qui Spiritu sancto pleni sunt in omni tribulatione, in omni adversitate, in omni corporis infirmitate delectantur, velut in cantu. Contra ergo talem consolatorem cordis nostri hospitia præparemus, virtutibus ornemus, a vitiis mundemus ut eum suscipere mereamur.

V. Clausi denique erant Apostoli simul in pace congregati; non fabulantes, non litigantes, sed orantes erant cum Maria matre Jesu<sup>1</sup>, expectantes donum a Christo eis promissum. Sic et nos, fratres, oremus et clausi permaneamus, sæculum fugientes. Sic in fide, spe et charitate ornati ad Christum clamare, Redemptorem nostrum, poterimus: « Emitte Spiritum tuum, Domine, et creabuntur, » et renovabis faciem terræ<sup>2</sup>. Emitte Spiritum tuum, » ut in nos veniat Pater et (1) Spiritus sanctus, quia veniente ad nos Spiritu sancto, venit et Pater et Filius. Pater denique Deus, et Filius, et Spiritus sanctus, scilicet veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt ad nos juvando, dum venimus ad eos obediendo; veniunt ad nos illuminando, dum venimus ad eos intuendo; veniunt ad nos implendo, dum venimus ad eos respiciendo; ut sit nobis eorum non exterior visio, sed interior, non transitoria mansio, sed æterna. Amen.

<sup>1</sup> Act. 1, 14. — <sup>2</sup> Psal. ciii, 30.

(1) Deest *et* in cod.

## SERMO LIX.

De Pentecoste IV, de Adventu Spiritùs sancti.

*Hunc sermonem suppeditavit eadem Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 36. Sit ut præcedentes in appendice post præcedentem cum numero de Pentecoste xi.*

## SYNOPSIS.

I. Gratia Apostolis data. II. Mysterium Pentecostes in veteri Lege figuratum III. Scriptor, ex monacho, presbyter. IV. Dotes quæ a presbyteris requiruntur. V. In prædicatione modus est tenendus.

I. CONGRUUM et dignum est, fratres charissimi, ut his diebus, in quibus legimus sanctos Apostolos in eodem loco pariter congregatos et Spiritu sancto repletos<sup>1</sup>, et nos (1) conventum in domo Dei pariter faciamus. In hac enim die sacratissima, sancti Apostoli multas gratias, quæ ad officium clericorum pertinent et pastoribus Ecclesiæ valde necessariae sunt, receperunt abunde. Ideo primo videamus quid datum est illis, ut et nos discamus quid datum sit nobis. Dederat jam Dominus potestatem Apostolis expellendi dæmones, sanandi infirmos, dimittendi peccata, et in cœna, quando eos in presbyteros consecravit, et post resurrectionem, quando in facie eorum insufflavit et dixit:

<sup>1</sup> Act. 11, 1, et seqq.

(1) Cod. male *ut et nos*.

« Accipite Spiritum sanctum; quorum remisistis peccata<sup>1</sup>, » etc. » Sed quia ituri erant ad omnes gentes per multas tribulationes, ideo primo instruendi erant, ut scirent quid prædicarent; primo roborandi, ut prædicare auderent; primo confirmandi in gratia, ut iniurias et tormenta non timerent. Ideo datæ sunt eis linguæ omnium nationum, quæ sub cælo sunt, ut hæc omnia perficere possent. Hæc enim necessaria Apostolis erant. Nam si scientiam habuissent et timuissent, defecissent; si scientia caruissent et audaciam habuissent, defecissent; si scientiam et audaciam habuissent, et gratia Dei caruissent, defecissent; si scientiam, si audaciam, si gratiam habuissent, et genere locutionis caruissent, defecissent. Datur ergo Apostolis Spiritus sanctus sub forma (1) ignearum linguarum, quia lucem et ardorem habet. In luce illuminatio doctrinæ, in ardore fervor audaciæ designatur. In hac illuminatione perfecte datum est capere (2) Evangelium, quod perfecte ante adventum Spiritûs sancti capere non poterant. « Multa, inquit Salva- » tor, habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo; » sed cum (3) venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem » veritatem<sup>2</sup>. » Sed dum venit Spiritus sanctus veritatis, cum sono magno venit<sup>3</sup>, significans quod ad sonum prædicationis jam eos incitabat. Sedebant congregati in cœnaculo David, quia jam magistri et iudicatores facti erant, et gloriosi principes terræ et cælorum cives. Sublimitas, præceptorum cælestium donorum sublimitatem indicat. Quia congregati erant, unitas Ecclesiæ significatur.

II. Hæc autem omnia quæ hodierna die facta esse conspiciamus, in Veteri Lege sancti Patres in figura viderunt. Legimus namque quod quinquagesimo die post exitum de Ægypto, post immolationem agni in Ægypto, data est lex in monte Sinai tali modo: primo quando descendit Domi-

<sup>1</sup> Joan. xx, 22. — <sup>2</sup> Id. xvi, 12. — <sup>3</sup> Act. ii, 2.

(1) Desunt in cod. hæc verba *sub forma*. — (2) Deest vox *capere* in cod. — (3) Cod. *dum*.

nus in ignem fumantem, cœperunt tonitrua et buccina audiri, et fulmina micare, et nubes operire montem, et populus prohibitus est ad montem accedere, ne videret Deum et transiret terminos constitutos. Ascendit autem Moyses et Aaron in montem, et præcepta Legis receperunt<sup>1</sup>. Sed attendite, fratres, quod hæc omnia hodierna die facta et adimpleta videmus. Ecce post liberationem filiorum Israël, et post passionem Christi Domini nostri, post liberationem eorum de inferno, data est quinquagesimo die Apostolis perfecta sanctæ Legis cognitio. Nam ibi Dominus descendit in igne, sic et Spiritus sanctus in Apostolos; ibi sonitus, et hic sonus; ibi buccina, et hic prædicatio; ibi tonitrua, et hic minatio pœnarum; ibi fulmina, et hic miraculorum coruscatio. Sancti denique Apostoli post adventum Spiritûs sancti veritatem prædicaverunt, pœnam inferni comminati sunt, miraculis coruscaverunt. Utraque etiam Lex data est in alto; illa in monte, sed ista in cœnaculo. Moyses et Aaron sunt in monte, et populus separatur a (1) monte, quia Doctores Ecclesiæ ascendunt sublimitatem mysteriorum, sed populus simplicia discit et altiora perscrutari prohibetur.

III. Hæc omnia, fratres charissimi, de utroque Testamento sumpta a nobis; et si per culpam nostram vobis (2) non conveniunt, tamen ex officio dici (3) debent. Nam licet in eremo cum fratribus meis, quos in Christi nomine congregavi, ibidem multo tempore fuerim, ut multi ex vobis videre potuerunt, tamen compulsus a sancto sene Valerio factus sum presbyter: et post dies paucos presbyteros infra domum Valerii mecum habere volui (4), pariter cum eisdem vivere cupiens, sicut hactenus cum fratribus meis

<sup>1</sup> Exod. XIX, 16, et seqq.

(1) Deest *a* in cod. — (2) Cod. *nobis*. — (3) Deest verbum *dici* in cod. — (4) Hæc omnia falsa omnino videntur, cum monasterium Augustinus non habuerit, nisi post Valerii mortem. Vide notas ad Serm. ad fratres in eremo XXI.

feceram, quod valde difficile erat propter vehementem tumultum quibuscumque horis dierum. Et ecce dimissa solitudine, non tamen mente sed corpore, sacerdotes facti sumus, collocati in cœnaculo sumus, positi in monte sumus, quia positi sumus in tanti ordinis sublimitate, ut gregi Domini quasi speculatores provideamus contra versutas (1) hostis nostri calliditates. Nos in cœnaculo sedis Dei sedemus, quia iudices, et pastores, et magistri in Ecclesia Dei sumus, et subjectos nobis docere debemus. Sed qui docet, debet eam scientiam, quam docet, primo habere, et postea audacter docere.

IV. O quam magnæ temeritatis est cathedram ascendere, si non habet scientiæ donum! o quam periculosum est sine vita sancta velle dominari! o quam grave est velle corrigere si in eisdem peccatis pastor extiterit! Non debent in cœnaculo cum Apostolis sedere, qui non meruerant sancto Spiritu cum Apostolis fulgere. Quare non meruerunt, nisi quia noluerunt. *Verum audite* (2), fratres? *Judices* facti sumus, iuste iudicare causas debemus; *doctores facti sumus*, veritatem docere studeamus; patres et pastores *facti sumus*, subjectos nostros nutrire, et pascere, et ut pupillam oculorum custodire debemus. Non pauperem spernere debemus, non divitem vel potentem odio vel amore tenere. Qui ergo in cœnaculo sedere quærit, et ignem et fervorem audaciæ suscipiat contra rebelles, obediendo illi qui dicit: «Nolite timere eos, qui occidunt corpus<sup>1</sup>.» Sic isto fervore repletus erat sanctus Moyses, qui, cum moraretur per dies multos in monte, mandata Legis accipiendo, peccavit populus, et vitulum fabricavit<sup>2</sup> et adoravit eum populus (3). Descendit Moyses de monte, ut ei Dominus præceperat, et destruxit usque ad pulveres, quos pulveres sparsit, et de-

<sup>1</sup> Matth. x, 28. — <sup>2</sup> Exod. xxxii, 1, et seqq.

(1) Cod. *versutia*. — (2) Id. *audire*. Quæ italicis distinguuntur, vel partim, vel totaliter vetustate sunt deleta. — (3) Vox *populus* videtur abundare.

dit potum ex eis filiis Israël, et stans ait : « Si quis Domini » est, adhæreat mihi<sup>1</sup>. » Et adhæserunt ei filii Levi, quibus ait : « Ponat vir gladium suum super femur suum, et ite(1) » per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem » suum et proximum suum<sup>2</sup>. » Qui sic fecerunt. Hunc sanctum Moysen imitari debemus, quia fervore justitiæ plenus est. Si peccat populus, accipiamus gladios ultionis, sed prius super femur nostrum ponamus, atque a nobis prius malorum illecebras abscindamus. Deinde per medium castrorum ire debemus; et tunc pergitur per medium, quando sic juste judicamus, quod nec amore stringimur, nec odio divellimur; in hoc nec amico, nec proximo parcendum est. Si quis vero non fecerit (2), hypocrita est, et Pharisæus, et destructor sanctæ Legis. Corpus vituli etiam frangere debemus, et dare potum filiis. Et quid est corpus vituli, nisi zizaniæ seminatores vel superbiæ? Tales omnino fugiendi sunt, et in pulverem humilitatis redigendi verbo sacræ admonitionis.

V. Sed modo dicere oportet, quomodo gratiam, sive genera linguarum habere poterimus; ideo attendendum est, si hanc gratiam obtinere volumus. Nam in prædicatione non est semper idem modus; cum corrigimus, non idem modus est habendus. Aliis enim simplicia, aliis mediocria, aliis maxima prædicanda sunt. Sic et Apostoli fecerunt. Sic etiam, arguendus est quis, alius acriter, alius dulciter, alius timore (3), alius blanditiis, alius minis, et alius factis, ut expedit secundum naturarum conditionem. Gratiam linguarum habet qui locutionis modos observare cognoscit. Digni ergo eritis, fratres charissimi, residere in cœnaculo Ecclesiæ, si in corde scientiam, si fervorem justitiæ cum moderantia et discretionem habueritis. Qui sine scientia populum regere quærit, cæcus cæcum per viam ducere quærit. Cogitemus ergo quantum onus, fratres, suscepimus :

<sup>1</sup> Exod. xxxix, 26. — <sup>2</sup> Ibid. 27, et seqq.

(1) Cod. *iro.* — (2) Id. *confecerit.* — (3) Id. absque sensu *maxime.*

de quibus omnibus rationem reddere debemus. Nobis enim commissa sunt duo talenta, unum intelligentiæ et aliud operationis. Servemus quod habemus, et multiplicemus quod servamus. Non enim sufficit servare, nisi servata studeamus multiplicare. Deus autem qui thesaurum suum nobis commisit, nobis custodiat, et custodita multiplicet, ut nos in æterno suo regno de labore nostro per gratiam remuneret. Amen.

---



APPENDIX  
SERMONUM  
SANCTI AURELII  
AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI  
CLASSIS III.

---

SERMONES  
DE SANCTIS.

---

SERMO LX.

De Sancto Paulo primo Eremita.

*Idem dicendum de hoc sermone ac de omnibus qui reperiuntur in Bibl. Ædil., cod. x, ubi hic legitur fol. 40. Sit igitur in appendice post sermonem appendicis Maurinensis CLXXXVIII.*

SYNOPSIS.

I. Paulus fugit in desertum, velut Elias. II. Beatitudo paupertatis spiritualis. II. Soror paupertatis humilitas. IV. Laus paupertatis, quæ et cum lenitate conjungitur. V. Cavendum a contumeliis inferendis.

I. SCRIPTUM est, fratres charissimi, quod sanctus Elias timuit Jezabel, et timens surrexit, et abiit quocumque eum ferebat voluntas. Venit autem in Bersabee Juda, et dimit- tens ibi puerum suum perrexit et abiit in desertum. Cum- que venisset et sederet subtus unam juniperum, projecit

se et obdormivit sub umbra ejus, et ecce Angelus Domini tetigit eum dicens : « Surge et comede. Et respiciens ad caput » suum vidit subcinericium panem, et vas aquæ. Comedit » ergo, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius qua- » draginta diebus et quadraginta noctibus, et sic pervenit ad » montem Dei Horeb<sup>1</sup>. » Per Eliam, qui interpretatur fortis Dominus, intelligi potest Paulus, qui persecutionem patiebatur videndo Martyres duci ad victimam. Beatus es, o Paule, et « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum et regnum cœlorum<sup>2</sup>. » Qui Paulus metuens Jezabel, id est, tyrannidem Decii imperatoris, timens suæ carnis fragilitatem, timens ne a Deo recederet, abiit (1)....., abiit in balnearium animarum, abiit ad consortium Angelorum, ad viam æternæ vitæ; abiit ad eremum, ad verum paradysum deliciarum; abiit ad hortum suavissimum, plenum omnium pomorum; abiit ad agrum venerabilium Patrum sanctorum; abiit non ad inquietudinem sæculi, sed ad mentis et corporis tranquillitatem. Abiit quoque sanctissimus Paulus dum esset annorum quindecim quocumque tuliteum a Domino voluntas sibi collata, venitque in Bersabee Juda, id est, in vastam solitudinem, dimittens sibi puerum, id est, puerilem sensum, pristinorum actuum debilitatem. Et dimissis omnibus a sæculi tumultu quiescit, et dormit cantans cum Propheta : « Hæc » est requies mea in sæculum sæculi<sup>3</sup>. » Quam requiem, quam pacem, quam tranquillitatem habere non possunt qui in sæcularibus tumultibus implicantur. Pax ista habet tranquillissimam vitam, quæ mente sua non litigat, sed in Dei amore perseverans, amœna tranquillitate perfruitur; quam ne temporalem putares addit Propheta : « In (2) idipsum » dormiam et requiescam<sup>4</sup>. Idipsum, » dicitur quod nulla rerum vicissitudine commutatur, sed idipsum permanens impermutabili perennitate consistit; « Dormiam, » finem

<sup>1</sup> 3 Reg. xix, 5-8. — <sup>2</sup> Matth. viii, 10. — <sup>3</sup> Psal. cxxxii, 14. — <sup>4</sup> Id. iv, 9.

(1) Hic desunt quædam vetustate corrosa. — (2) Deest *in* apud (od.

vitaë vult intelligi; « Requiescam, » futuram beatitudinem indicare monstratur, quando dabitur sanctis infinita pausatio, et dulcis requies infinita. Tunc angelica visio tangens eum excitat eum ad bonum operandum, et ad altiora consurgendum inspirat. Respicit tunc « Ad caput suum, » quod est Christus, et ecce « Subcinericius panis, » qui est pastus divini dogmatis, forinsecus et a foris quidem rudis, sed medullitus ineffabiliter confortativus et dulcis; et « Vas » aquæ, » quod est fons lacrymarum cum cordis compunctione. « Comedit et bibit, » complendo et adimplendo hortamenta salutis, quæ audit, et « Pergit in fortitudine » cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, » id est, toto vitaë suæ spatio, « usque ad montem Dei, » excelsæ beatitudinis. » Quaterdeni, quadraginta sunt, et vita præsens congrue quaternario numero figuratur, vel quia quatuor anni temporibus tota vita nostra variatur, vel quia mundus ipse in quo vivimus (1) quatuor elementis subsistit, igne videlicet, aëre, aqua et terræ. Igitur, fratres mei, « Quæcumque dicta vel scripta sunt, ad nostram » doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum, spem habeamus<sup>1</sup>; » et nuper audientes quid Paulus egerit, mente avida prospiciamus. Quid enim egit? Solus ad eremum perrexit, velut Elias; quin (2), non homo fuit, ut Elias, nec (3) quadraginta annorum formatus, eremum gratanter intravit. Non metuens bestias, non animalia fera considerans, non divitias secum portans, non de vita aliquid cogitans, sed velut Abraham cognationem et divitias deserens, venit in terram, quam monstraverat et præparaverat ipsi Dominus. Sciebat enim quod jam præceperat Dominus corvis, ut pascere eum in deserto; et pastus est a corvis in deserto Angelicis, annis nonaginta octo. O grande spectaculum (4)! o grandis et sublimis Salvatoris clementia! Ecce Paulus puer desertum

<sup>1</sup> Rom. xv, 4.

(1) Cod. male *numerus*. — (2) Id. *quia*. — (3) Id. *sed*. — (4) Id. *spectaculum*.

ingreditur; non cibus operatur, et magnifice pascitur; non pannis, nisi quibus tunc fruebatur, et palmarum (1) indumento optime decoratur: non amicitiam quarit et ecce à (2) sancto viro Antonio (3)..... visitatur.

II. Eia ergo, fratres, nolite solliciti esse de corpore mortis (4) hujus; sed « Quærite primo regnum Dei<sup>1</sup>. » Confidite in illum, quia ipse Pater cœlestis amat vos<sup>2</sup>, nec derelinquit sperantes in se<sup>3</sup>; amemus ergo eum, confidamus in illum, quia ipse Pater cœlestis amat vos, nec derelinquit sperantes in se (5): amemus ergo eum, confidamus in illum, quoniam « Ipsi summa cura est de nobis<sup>4</sup>. » Sequamur Paulum pauperem, cujus vita et exempla recitata sunt a venerabili et famoso viro sancto Valerio. Plus mihi contulit ad salutem quam frequens et continua Ambrosii disputatio. Sequamur igitur Paulum pauperem, quia « Beati » pauperes spiritu<sup>5</sup>, » quoniam divites sunt in regno cœlorum. Sed paupertas quædam est in rebus tantum, quædam est in voluntate tantum: primam paupertatem habentes, non beati esse dicuntur; sed pauperes hic et pauperiores in futuro erunt. Tales sunt miseri qui cum affectu habere desiderant: isti non beati, sed jam damnati dicuntur. Quæ est ergo paupertas quæ beatos homines facit, nisi paupertas spiritûs, nisi nihil hujus mundi appetere? Multi denique in rebus abundant; sed quia rebus non delectantur terrenis, et voluntate pauperes sunt quasi non habentes, sicut Abraham, Isaac et Jacob, qui licet in rebus abundarent, tamen summe pauperes fuerunt, quia omnia despiciant, tales denique vere sunt pauperes spiritu, quia si habent, cor non apponunt<sup>6</sup>, et si (6) non habent, habere non desiderant.

<sup>1</sup> Matth. vi, 33. — <sup>2</sup> Joan. xvi, 27. — <sup>3</sup> Judith. xvi, 17. — <sup>4</sup> 1 Petr. v, 7. — <sup>5</sup> Matth. v, 3. — <sup>6</sup> Psal. lxi, 11.

(1) Cod. *palms*. — (2) Deest *a* in cod. — (3) Vox sequens tempore est deleta. — (4) Deest *mortis* in cod., ubi vox est abrasa. — (5) Hæ voces male iteratæ videntur. — (6) Cod. *qui*.

III. Hos tales oportet esse humiles, aliter paupertas illa yana est. Soror namque paupertatis et amica inseparabilis humilitas comprobatur. Nam pauper spiritu superbus esse non potest. Quare non potest? Quia gloriam suam quarit, et paupertatem spiritûs amittit. Si quis vero propter gloriam mundi divitias suas spargit, non vere spiritu pauper est, quia dispergendo, gloriam mundi quærit. Qui vero Deum non timet, nec vere pauper, nec vere humilis esse poterit. Hoc docemur facere et petere, dum petimus a Deo: « Libera nos a malo <sup>1</sup>. » Liberati a malo sumus, dum vere Deum timemus, et amore ejus (1) omnia adversa gaudenter portamus. Tunc vere pauperes sumus. Talibus regnum cœlorum vere promittitur, quibus dicitur: « Beati » pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum<sup>2</sup>. » Et beati pauperes spiritu (2) dicuntur, quia sunt in via beatitudinis, quia in mundo nihil habentes, congrue eis regnum cœlorum promittitur.

IV. O beata paupertas! o jucunda Sanctorum possessio! o ineffabile bonum Sanctorum! o lætitia filiorum Dei! o gaudium sempiternum! Per te cœlorum regnum panditur, per te Deus acquiritur, per te humilitas amplectitur (*sic*), per te dæmones alliguntur, per te infernos clauditur, per te Patriarchæ ditantur, per te Prophetæ lætantur, per te Angeli gloriantur, per te Martyres reficiuntur, per te Virgines coronantur, et Paulus per te clarus civis, mitis effectus, ad cœlum hodie sublimatur in gloria. O gloriosa paupertas! o deliciarum fons! o eremitarum vita! o cœnobarum norma! Te Pagani magnificent, te Judæi honorant, te Christiani glorificant, te Angeli decorant; quia « Beati » pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum. » Isti etiam sunt mites, quorum possessio erit in terra viventium<sup>3</sup>. Et quem mitem appellamus, nisi pauperem spiritu? Solus enim mitis est ille qui nulla ira fraugitur, nulla tribu-

<sup>1</sup> Matth. vi, 13. — <sup>2</sup> Id. v, 3. — <sup>3</sup> Ibid. 4.

(1) Cod. *sui*. — (2) Id. iterat male *beati*, pro *spiritu*.

latione vel adversitate mutatur, nullo proximi odio movetur; sed proximi felicitate gaudet, cum proximo gaudente gaudet, et cum dolente dolet, in necessitatibus consulit, malos motus in eis affixos comprimit; talis est mitis, talis est vere pauper spiritu. Talis tamen (1)... mundo despicitur, quoniam « Mundus quæ Dei (2) sunt odit. » Tales invisibilis inimicus multis occultis modis impugnat; tales tangere tentando sollicite procurat; tales contumeliis (3) verborum sæpe damnat, sæpe ad cruciatum corporis provocat, sæpe cogitationes cordium, et naturæ conditiones et complexionnes scire conatur. Et si in aliquo vitiorum delectari inimicus occultus agnoscit, si aliquem in aliquo affixum præsentit, tunc maxime telas suas, ut aves rationales capiat, tendit; et tunc captæ necesse est in profundum descendant quasi lapis<sup>1</sup>.

V. Eia ergo, fratres mei, custodite vos, maxime vos qui pauperes spiritu cum Paulo esse desideratis; custodite vos et vigilate; cavete ne invicem verbo tantum turbemini; in contumeliis quippe verborum corpus non læditur, non possessio eripitur, sed anima perditur. O quam chara possessio anima est! o quam pretioso sanguine redempta est! o quam cito perditur, si verborum contumelias adamamus (4)! Custodite ergo vos, fratres mei, si vere pauperes esse desideratis. Custodiamus nos a verborum contumelia, nec loquamur, nec loquenti respondeamus. « Siluisse, inquit Paganus ille, nunquam me pœnituit, sed locutum fuisse. » Et alius dicebat: « Me locutum fuisse aliquando pœnituit, » sed tacuisse minime. » Quicumque enim propter vilitatem de aliquo loquitur eum odiendo, detractor est, et religiosus esse non potest, quia hujus vana est religio<sup>2</sup>; si vero propter compassionem vel correptionem loquitur, vere pauper est spiritu, et vere charitatem habet. Qui tamen

<sup>1</sup> Exod. xv, 5. — <sup>2</sup> Jacob. i, 26.

(1) Desunt quædam, forte *pauper a.* — (2) Cod. *male sua.* — (3) Id. *contumelias.* — (4) Id. *contumeliis adamamur.* — (5) Id. *ubi.*

respondet inferenti sibi contumelias, dummodo corde non turbetur, licet respondeat non propter se, sed ut inferens se ipsum cognoscat, numquid peccabit respondens? Absit. Attendere tamen semper debemus, quod contra verborum contumeliam summum remedium est ipsa humilitas. Qui vero humilis est, omnibus bonis major est. Talis vilitatem non timet; odisse non potest, detrahere minime nescit, omnem contentionem ignorat, paupertatem spiritu summe peroptat; congregationem gentium fugit, ad desertum locum cum Paulo properat, et velut sanctus Elias timeas Jezabel, fugit in Bersabee Juda, et ibi dimittens pueriles sensus, pergit ad Angelorum desertum, quod est vita æterna. Amen.

---

SERMO LXI.

De Purificatione Virginis.

*Sermo hic eductus est ex Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 41 b, ac proinde in appendicem amandandus. Locus ejus post sermonem Benedictinorum appendicis CLXXXIX.*

SYNOPSIS.

I. Christus pauperum hostias voluit offerre. II. Beatus Simon Christum amplectitur, sed beator Maria. III. Turtur et columba castitatis exemplar. IV. Et pœnitentiæ publicæ aut privatæ. V. Septem columbæ virtutes. VI. Primo felle carct. VII. De cadavere vivere nescit. VIII. Meliora grana suscipit. IX. Gemitum habet pro cantu. X. Alienos pullos enutrit. XI. Super aquas sedet. XII. In foramine petrarum manet.

I. CONSUETUDO, fratres charissimi, erat in Veteri Lege.

ut si mulier masculum peperisset, ipsa mulier ab ingressu templi per dies quadraginta abstineret; postea veniret ad templum et offerret filium cum hostiis. Præceperat enim Dominus Moysi in Lege offerre agnum pro filio, si posset, simul et turturem vel columbam; qui vero non sufficeret ad agnum offerendum, quia pauper erat, duos turtures vel duos pullos columbarum offerret<sup>1</sup>. Hæc enim erat oblatio pauperum et humilium personarum. Dominus igitur, qui non venerat Legem solvere, sed adimplere<sup>2</sup>, voluit octava die circumcidi, et post dies quadraginta in templo representari; et quia de paupertate in cunctis nos instructurus erat, ubique exemplum paupertatis ponebat. Ideo voluit par turturum aut duos pullos columbarum pro se offerri; non agnum offerre voluit, ut dives reputaretur, ille qui in omnibus divitum et pauperum gubernator apparet. Ipse denique Salvator filius pauperis appellari voluit, in vili loco nasci, vilissimis pannis involvi, in vili præsepio reclinari, et in mundo non habuit ubi caput reclinaret<sup>3</sup>. In famosissima tamen civitate mori voluit, ut per omnia nobis exemplum paupertatis et humilitatis donaret in conspectu omnium qui Jerosolymis habitabant. Omnes namque nationes quæ sub cælo habitabant, ibi aderant.

II. Et ecce ibi inter cæteros erat senex, qui Spiritu sancto repletus erat a pueritia, qui centum annis et amplius jam in omni sanctitate vixerat. Ille famosus, hic beatus, hic gratiosus, hic Simeon appellatus erat. Ille diu in templo in oratione steterat expectando redemptionem Israël. Et ecce hodie de Sancto sanctorum rapitur, et obviam Salvatori progreditur, et amplectens Matrem et Filium ait non tantum corde, sed voce, non tantum voce remissa, sed alta, exclamare cœpit: «Nunc dimittis servum tuum in pace<sup>4</sup>.» Et bene in pace dimittis, quia pacem video. Quare dimittis in pace? «Quia viderunt oculi mei salutare tuum<sup>5</sup>.» O beati oculi! o beata brachia, quæ Deum strin-

<sup>1</sup> Levit. XII, 6-8. — <sup>2</sup> Matth. v, 17. — <sup>3</sup> Id. VIII, 20. — <sup>4</sup> Luc. II, 29. — <sup>5</sup> Ibid.



gere et tenere meruerunt! o beatæ manus quæ Deum palpare meruerunt! o beata labia, quæ Deum osculari meruerunt! Et non tantum labia Simeonis; sed et longe amplius et Mariæ matris suæ, quæ Deum et hominem parere inuenit et nutrire, labia, brachia, venter, mens, manus et oculi beati et benedicti per omnes dicuntur; et vere beati, quia ex ea « Ortum est lumen rectis corde<sup>1</sup>, et lumen ad » revelationem gentium, et gloriam plebis filiorum Israël<sup>2</sup>. » Hæc enim est illa ingeniosa solemnitas apicula, quæ digne ceram super omnes apiculas fabricabat, et sine coïtu procreavit (1). De ea enim apes nascuntur, et eandem speciem virginitatis habet cera. Sic et Virginem Mariam, virginem in partu, ante partum et post partum, fecundissimam matrem et virginem, filiam et sponsam digne prædicamus.

III. Eia ergo, fratres, scio quod portare et videre, palpare et laudare cupimus Jesum. Si enim hoc vere desideramus, nunc turturem et columbam offeramus. Columba enim simplicitatem, turtur vero castitatem significat. O quantæ et quam mirabilis castitatis turtur prædicatur a cunctis! Tantæ igitur est, quod amisso conjugio, vel casu perditio, non amplius alium quærere curat. Ille igitur turturum imitatur, qui castitatis est amator, non tantum corpore, sed etiam mente. Ille etiam columbam digne Deo offert, qui se innocentem custodit et neminem lædit, et fel amaritudinis, rancoris vel odii minime portat; turturum, qui ab altera se continet uxore, et si caret uxore, ab omni inquinamento luxuriæ se removet. Confundantur igitur et erubescant luxuriosi, qui nunquam satiantur in desideriis suis, qui non solum uxorem unam, sed et plures quotidie habere procurant. Tales efficiuntur pauperes et inopes Deo et hominibus odibiles. Isti sunt qui Deum laudare non possunt; isti sunt pessimi et magni latrones, qui patrimonium

<sup>1</sup> Psal. cxi, 4. — <sup>2</sup> Luc. ii, 32.

(1) Cod. *procreatur.*

sæpe vendentes, postmodum (1) velut miseri servi pergunt in villam miseriæ pascere porcos.

IV. Igitur, fratres, agite pœnitentiam, astringite luxuriam, cingite lumbos, discite benefacere, pœnitimini et agite pœnitentiam. Quidam enim publice, quidam occulte pœnitentiam agunt. Qui enim publice peccant, gravius Deum offendunt, quia suo exemplo alii scœda facere discunt; ideo publice pœnitere debent et fortius. Ut fuerunt exemplum corruptionis, sic et correptionis exemplum appareant. Per columbam pœnitentes publice (2) designantur, quia gemitum publice edit; sed turtur in occulto dolet invita de societate fraudulenter amissa.

V. Hæc enim aviculæ, fratres, sunt nobis forma vitæ. Et ideo vos, qui sacram Scripturam ignoratis, earum conditiones audite, et attendite quid agere debeatis; creaturæ namque Dei non solum ad cibum nobis datæ sunt, sed etiam in exemplum. Dator enim cœlestis nobis quotidie per creaturas insinuat quid agere debeamus; quandoque per formicam, quandoque per columbam, quandoque per turturam (quid agere debeant) (3). Attendite igitur, fratres, ad columbam: septem enim virtutum nobis exemplum demonstrat, felle caret, de cadavere vivere nescit, semine pascitur, meliora semper eligit et comedit grana, gemitum habet pro cantu, alienos pullos enutrit, super aquas sedet, ut cum viderit umbram venientis accipitris eum devitare possit se mergendo et abscondendo in aqua, in foramine petrarum manet. Si ergo, fratres, Christum cum Simone videre desideramus, hanc avem in his imitari debemus.

VI. Primo denique necesse est nobis, ut felle amaritudinis careamus; nullum enim vitium sicut odium est continuum. Homo enim non (4) semper in luxuria manet; non semper inflatur superbia, non semper proximum lingua devorat; sed qui odium habet nunquam quiescere

(1) Cod. *qui postmodum*. — (2) *Deest in* in cod. — (3) Hæc verba abundare videntur. — (4) *Deest non* in cod.

quærit. Et si hoc mihi non creditis, libros vestræ conscientie legite. Nullum ergo tam mortiferum dolum, sicut odium; et qui odium frangit in se vel in alio, vere filius Dei est; et qui odium inter fratres seminat, vere diabolus est, vere filius perditionis, vere petra scandali et lapis reprobatus et ejectus in profundum maris. Qui etiam pacem impedit, Antichristus est, quia nullum vitium ut odium reperitur in terra. Quid enim valet omne bonum quod agitur, odio suffocatum (1)? Numquid eleemosyna? numquid abstinentia? numquid cuncta opera misericordie? numquid martyrium? «Si tradidero corpus meum, inquit» Apostolus, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum<sup>1</sup>.» Nec oblatio nec peccatorum remissio datur, nisi prius odium a corde repellatur.

VII. Quid enim columba amplius habet? Cadavera enim non comedit, vel vermes. Quid enim per vermes, nisi prava conscientia designatur, quæ animam rodit? Cadavera enim peccata sunt, quæ comedere non debemus, ne animam occidamus. Vitanda enim sunt omnino peccata, quia homo tot vitiorum efficitur servus, quot vitiorum possessor efficitur.

VIII. Quid enim amplius columba agit, nisi quod meliora grana suscipit in agro? Sic pascitur, sic impinguatur et reficitur; sic et nos facere debemus, quia non solo pane corporali, sed et verbo Dei nos ipsos pascere debemus. Sicut in homine duæ sunt substantiæ, corpus videlicet et anima; sic duo sunt cibi necessarii, scilicet corporalis, ut corpus pascatur, et spiritualis, ut anima divino verbo reficiatur. Pro tota enim vita nostra omni die petitur, dum dicitur: «Panem nostrum quotidianum da nobis hodie<sup>2</sup>,» sicut et pacem in diebus nostris pro toto sæculo vivente. Meliora igitur grana colligere debemus et manducare, quia spirituale pabulum semper præcedere debet.

<sup>1</sup> 1 Cor. xiii, 3. — <sup>2</sup> Luc. xi, 3.

(1) Cod. *suffocato*.

IX. Quid amplius agit columba, nisi quod alienos pullos nutrit? Estote igitur misericordes, pascite pauperes, exerceatis opera misericordiæ, dum tempus habetis; sæneratur enim Domino qui pauperi tribuit.

X. Quid amplius columba, nisi quod juxta fluentia habitat? O admirabilis virtus columbæ! Videmus, ut et ipsa, inimicum per aërem volantem, quærentem quem devoret, nec inter nos habitare permittitur, nisi dum volumus; nec tamen a nobis multum remotus est. Si enim nobiscum habitasset, semper vel super nos dominium habuisset. Quis tam fortis, quis tam Deo firmatus, quis tantæ constantiæ dotatus fuisset, qui ipsi (1) resistere potuisset? Nec tamen debet aliquis securus esse, dum vixerit, nec de castitate præterita confidere, quia ipsi potentes (2) sanctissimos viros sæpe perduxerunt ad Tartara. Vigilant enim nec quiescere valent; modo persequendo, modo occidendo, modo blandiendo, modo minando devincunt. Quotiescumque, fratres mei, sentimus ejus calidam tentationem, fugiamus ad Christi passionem. Ecce quando dicit, Exerce adulterium, lege mox Scripturam, quæ ait: « Non mœchaberis<sup>1</sup>. » Quando dicit, Furtum exerceas, lege Scripturam dicentem: « Non » furtum facies<sup>2</sup>. » Quando dicit, Exerce furorem in proximum, lege Scripturam minantem, et dicentem: « Qui » irascitur fratri suo, reus erit iudicio<sup>3</sup>. » Quando dicit, Cur mentiri pavescis, lege Scripturam dicentem: « Perdes » omnes qui loquuntur mendacium<sup>4</sup>. » Juxta hujusmodi fluentia, velut columba, sedere debemus, ut dum inimicus advenerit, eum superare valeamus.

XI. Quid enim amplius columba agit, nisi quod gemitum habet pro cantu? Tu vero peccator verte in lacrymas tuum gaudium, quia « Beati qui fletis, quia ridebitis<sup>5</sup>. » Et iterum: « Væ vobis qui ridetis, quia flebitis<sup>6</sup>. » O quam

<sup>1</sup> Exod. xx, 14. — <sup>2</sup> Ibid. — <sup>3</sup> Matth. v, 22. — <sup>4</sup> Psal. v, 7. — <sup>5</sup> Luc. vi, 21. — <sup>6</sup> Ibid. 25.

(1) Cod. *sibi*. — 2 Forte *dæmones*.

dulcis est ipsa lacryma, per quam Maria purgata fuit, per quam Petrus veniam impetravit, per quam David gratiam Dei obtinuit. Flete ergo, flete peccata; ecce enim Christus cum in se non haberet quid fleret, flevit pro Lazaro, non tamen quia mortuus fuerat, sed quia eum ad mundum revocare expediebat. Non enim flendum est quando moriuntur; sed quando nascuntur, potius cum nascentibus flendum est. Si enim Salvator pro uno flevit, nos ergo miseri, cur pro nobis lacrymas possumus continere? Hoc est quod David post peccatum dicebat: «Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo<sup>1</sup>.» Et quid enim per lectum, nisi conscientia designatur, in qua, sicut in lecto, homo requiescit? Nam sicut lectus requies est ægris, et labor est sanis, sic et in conscientia quidam requiescunt ut boni, licet in mundo ægri appareant, et quidam ibi laborant, quorum vita mala est, licet florere videantur.

XII. Quid enim amplius columba habet, nisi quod in foraminibus petrae habitat? Petra autem Christus est, in qua nidificare debemus: de qua petra duo sacramenta exierunt, scilicet sanguis et aqua<sup>2</sup>: sanguis ad redemptionem, et aqua ad regenerationem; hæc (1) voluit demonstrare. Et si sic, fratres, fecerimus, digne cum Maria Deo hostias offeremus. Sequamur ergo vestigia sanctæ Mariæ Virginis, quæ se talem exhibuit in mente, qualis erat representatio in figura. Rogemus ergo eam quæ mundi est medicina, cælorum porta, spes miserorum, consolatio peccantium, ut Filium, quem hodie præsentavit, faciat nobis placabilem, et tribuat illam pacem, quam Simcon sanctus intellexit, ut mereamur videre salutare Dei nostri. Amen.

<sup>1</sup> Psal: vi, 7. — <sup>2</sup> Joan. xix, 34.

(1) Deest hæc in edit.

## SERMO LXII.

De Annuntiatione beatæ Mariæ semper Virginis.

*Sit in appendice sermo iste propterrationes supra allatas, utpote qui sit erutus ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 42. Locus ejus post sermonem Appendicis Maurinensis cxcv.*

## SYNOPSIS.

I. Maria castellum quo intravit Christus. II. Angeli salutatio, et Mariæ humilitas. III. Porta castelli fides; Martha et Maria, vita activa et contemplativa. IV. Utraque dici potest Mater Dei; et primo Martha. V. Deinde et Maria, eligendo partem meliorem. VI. Maria virgo, Christus flos. VII. Mariæ invocatio.

I. AUDISTIS, fratres charissimi, quod Jesus hodierna die intravit quoddam castellum, et mulier quædam recepit eum in domum suam<sup>1</sup>. In Scriptura quippe sacra res una et eadem in multis diversa significat, sicut leo, hædus, ignis et aqua. Est enim de tribu Juda<sup>2</sup> leo (2), et leo quærens quem devoret<sup>3</sup>; et hædus qui peccata portavit<sup>4</sup>, et hædus qui a sinistris erit damnatus<sup>5</sup>; et ignis sancti Spiritûs<sup>6</sup>, et ignis qui super impios cadet<sup>7</sup>. Licet enim castellum malum, malum significat, quia ait Dominus: «Ite in castellum quod contra

<sup>1</sup> Luc. x, 38. — <sup>2</sup> Apoc. v, 5. — <sup>3</sup> 1 Petr. v, 8. — <sup>4</sup> Exod. xii, 5. — <sup>5</sup> Math. xxv, 35. — <sup>6</sup> Act. ii, 3. — <sup>7</sup> Psal. x, 7.

(1) Deest *leo* in cod.

» vos est<sup>1</sup>, » et contra meam doctrinam, et contra omnes meos; plane tamen hoc (1), in quod intravit Jesus, singularem et intemeratam virginem, genitricem ejusdem, salva Scripturarum regula, pro similitudine accipere volumus. Castellum denique dicitur quælibet turris muro aliquo circumdata; hujusmodi castellum non incongrue Maria dicitur, quia virginitas mentis et corporis quasi murus circumdatus, in tantum ut nullus accessus libidinis ad eam intrare potuerit (2). Et quia ubi (3) libido virginitatem superare non potest, solet impugnare superbia, inde (4) est etiam in eadem Virgine turris humilitatis, quæ a muris virginitatis omnem expellat superbiam. Ideo in virgine nec peritura virginitas, nec humilitas, sed semper in eadem (5) permansura erat et reservata super omnes virginitas.

II. Ad hanc igitur Virginem mittitur Gabriel; et quis est iste Gabriel, nisi major Paradisi Angelus? Iste quippe ad Virginem reverenter mittitur, et cum ab Angelo Virgini desponsatæ Filius (6) promitteretur, respondit Maria: « Quomodo fiet istud<sup>2</sup>? » Attendite, fratres, quod si cui-libet desponsatæ diceretur: Filium habebis, non miraretur nec interrogaret; « Quomodo fiet istud? » quia usu naturæ gravidari jam sciret et speraret. Sed quia virginitatem Deo promiserat, quemadmodum sponsus ejus Joseph, ideo audiens se (7) imprægnari, ait: « Quomodo fiet istud? » Et audito responso, elevatis ad cælum manibus, non Angelorum dominam, non Paradisi portam, non sanctitatis formam, non desperatorum matrem, non virginitatis principium, non columnam templi, non maris portum, non miserorum veniam, non cælorum scalam, non reginarum reginam, non metûs (8) fugatricem, non mortis obstaculum, non viam vitæ, non cælorum lumen, non Matrem

<sup>1</sup> Matth. xxi, 2. — <sup>2</sup> Luc. 1, 34.

(1) Cod. *hic*. — (2) Id. *potuisset*. — (3) Deest *ubi* in cod., qui deinde habet *possit*. — (4) Cod. *unde*. — (5) Id. *eandem*. — (6) Deest *filius* in cod. — (7) Deest *se* in cod. — (8) Cod. *mortis*.

Dei se, ut digne poterat, appellavit; sed quid? « Ecce ancilla Domini<sup>1</sup>. » Et sic super omnes efficitur digne beator. O sublimis Virgo, o digna Mater Dei! o humilitas in terra collocata! Quid te sublimius præter illum qui te fecit? quid te sanctius præter illum qui te sanctitatis templum fecit? quid te fortius præter illum qui te castellum et turrin fortitudinis Sion digne fecit ab æterno, et elegit ante mundi constitutionem, ut esses sanctitas appellata statim post tuam sanctam conceptionem?

III. Merito igitur, fratres, intravit Jesus quoddam castellum, et bene quoddam, quia valde singulare. Multæ enim filiæ Sion congregaverunt divitias, tu ipsa vero supergressa est universas<sup>2</sup>. Porta vero ipsius castelli, per quam intravit Jesus, fides est; ideo perfecta fuerunt omnia quæ dicta fuerunt ei a Domino<sup>3</sup>. Intravit enim Jesus quoddam castellum, non tamen ipsum violavit, sed sanctificatum sanctius consecravit. Non enim Martha tantum (1) libenter Salvatorem recepit, sed audito quod castellum intraverat, solemnes nuntios destinavit, ut ad domum ejus declinaret; quod et ipsa cum sorore, ut arbitror, postmodum venit rogando, deprecando et supplicando ut veniret in domum suam. « Et huic erat soror nomine Maria<sup>4</sup>. » Et quid per sorores duas, nisi duas in Ecclesia vitas sancti Patres designant. Martha activam, et Maria contemplativam elegit. Una laborat, ut pauperes pascendo Deum videat; et altera sedendo et quiescendo semper cum Deo convivat. Illa laborat expectando, et ista vacat jam Deum in mente tenendo; una circa exteriora, et altera circa celsiora; una occupatur in mundo, et altera contemplatur in cælo; una bona, sed altera optima est.

IV. Sed videamus nunc si Maria Mater Dei, et Martha et Maria digne appellari possit. Nam Martha Deum hospitem suscepit, et dimisit eum habitare; sed Maria postquam

<sup>1</sup> Luc. 1, 38. — <sup>2</sup> Prov. xxxi, 22. — <sup>3</sup> Luc. 1, 45. — <sup>4</sup> Id. x, 39.

(1) Cod. male *tamen*.



habuit, noluit dimittere unquam. Martha in domo, sed Maria in ventre, Martha in domo, sed Maria in domo et in mente hospitem Christum dignius super omnes suscepit. Martha ob Christi amorem nudos vestiebat, sed Maria Filium non semel, sed saepe induebat. Martha Christum et pauperes Christi pascebat, sed Maria Christum semper alebat. Martha potum Christo tribuebat, sed Maria Christum lacte reficiebat. Hæc vere digna est illa Dei Mater, quæ super omnes opera misericordiæ exercuit. Præmo hospitem Dei Filium in utero suscepit; nudum in carne vestivit paucis quibus utobatur; et ipsa ipsum esurientem suo lacte multoties pavit; ipsum sitientem videns, potum tribuit; ipsum infirmum per infantiam et jacentem, non solum visitavit, sed etiam balneando, fovendo; gestando, osculando frequentavit. O Martha, imo satis et maxime satis major Martha, quomodo circa multa es occupata<sup>1</sup>? Dic, dic, o pia Dei Mater. Numquid comprehenso Filio et crucifixo; quasi in carcere posito non (1) affuisti, ante (2) hæc autem non sollicita eras et turbata (5), cum fugeres in Ægyptum a facie Herodis, qui tuum Filium tam nequiter persequebatur, ut multos ætatis suspectæ pueros occideret? numquid, o Dei Mater, non turbata eras, cum videres Judæos insidiantes, et mortem filii tui quotidie procurantes? et ad ultimum turbata fuisti valde, quando animam tuam pertransivit gladius<sup>2</sup>, cum Filium tuum videres comprehendi, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari, derideri, colaphizari, crucifigi, mori et sepeliri. O Martha, quomodo sollicita es, quomodo turbaris erga plurima!

V. Porro de parte Mariæ, quæ optima prædicatur, quanta vel qualis fuit, quis sufficienter loquetur? Si talis est, ut diximus, imo melior est, ut diximus, pars Marthæ,

<sup>1</sup> Luc. x, 41. — <sup>2</sup> Id. ii, 35.

(1) Deest *non* in cod. juxta morem, et sic deinceps. — (2) Cod. *inter*. — (3) Id. *turbaris*, et sic deinceps.

quæ tantum a Domino non laudatur, sed tamen a Domino non vituperatur, qualis est pars, quam Maria optimam elegit, quæ sic laudatur, ut dicatur ab ea non auferri<sup>1</sup>? O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quæ fuit in Matre tua, quando Spiritus hodie in ea supervenit, et virtus tua obumbravit ei<sup>2</sup>, et de eodem Spiritu sancto concepit quod de Deo. Hic in quo Dei sapientia latebat, in ejus utero corpus sibi adaptabat. « Christus enim est » Dei virtus et Dei sapientia<sup>3</sup>, » et, « In eo sunt omnes » thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi<sup>4</sup>. » Si Christus in Maria, ergo Dei virtus, Dei sapientia, et omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in Maria sunt. Non ergo ad pedes Domini, sed ad dexteram residet in excelsis. Non ergo solum partem Marthæ ab ea (1) jam ablata est, quia jam non erit sollicita amplius Filio puero ministrare, cui omnes cælestium (2) Angelorum ordines comministrant; non jam turbabitur fugiens in Ægyptum, quoniam assumpta est in cælum; jam non turbatur nec turbabitur circa plurima, quæ Filio fecerunt, quoniam omnia subjecta sunt sub pedibus ejus. Pars ergo Mariæ perficitur, quæ non auferetur ab ea, quia exaltata est super choros Angelorum, et « Videt Deam facie ad faciem<sup>5</sup>, sicuti est<sup>6</sup>, » anima et corpore glorificata in cælo (3). Hæc est pars sæcunda et segura, quæ non auferetur ab ea in æternum; ideo optima, quia securior; ideo optima, quia æterna et sempiterna est.

VI. O homo, qui dormis, audisti hæc omnia? « Surge » ergo qui dormis, et resurge a mortuis, et illuminabit te » Christus<sup>7</sup>. » Duo etenim tibi hodie data sunt. Quæ sunt, nisi virga et flos? Virga Mater est, et flos Filius Dei est; virga præ tendit rectitudinem, et flos pulchritudinem; virga rectitudinem conversationis, et flos gloriam retribu-

<sup>1</sup> Luc. x, 42. — <sup>2</sup> Id. i, 35. — <sup>3</sup> 1 Cor. i, 24 — <sup>4</sup> Coloss. ii, 3. —  
<sup>5</sup> 1 Cor. xiii, 12. — <sup>6</sup> 1 Joan. iii, 2. — <sup>7</sup> Ephes. v, 14.

(1) Cod. ei. — (2) Id. cælorum. — (3) Id. in cælum.

tionis. Duo ergo sunt, vita recta et vita beata. O homo, in his totum bonum est. Quidquid enim præter hæc duo est, vanum et transitorium est totum. Vita recta Mater est, vita beata Filius est. De Matre nascitur Filius; sic præcedit justitia, et sequitur gloria; præcedit rectitudo, et sequitur beatitudo; præcedit meritum, et sequitur præmium. Apprehende Matrem, ut vivas; apprehende Filium, ut in æternum vivas. Tene virgæ rectitudinem, concupisce floris pulchritudinem. Intuere virgam, si tribularis; accipe florem, si angustiaris; rectitudinem tibi ponit virga, flos profert incrementum tuum. Ne ergo fugias, si sordidus es; ne contremiscas (1), si virtute pauperrimus es; ne desperes, si mortuus es; sed ad Mariam refuge, et sub alis suis te abscondere ne timeas. O magnum vitæ speculum, Maria humilis virgo! remedium, dat in conversatione Filius, exemplum dat per compassionem Mater (2). Mater contra futura, ne fiant, præbet exemplum; Filius contra præterita facta, ne noceant, præstat remedium. In hoc Filius major Matre, quia sua passione peccatum mundo abstulit. Non enim pro redemptione mundi mortua fuit Mater, sed Filius; quod et Mater fecisset, si necesse fuisset. Numquid non et ipsa stabat juxta crucem, expectans si homo, vel Angelus, Filius vel cognatus sibi diceret: « Maria, te etiam pro mundi salute oportet ut cum Filio moriaris? » O quam dulce verbum istud fuisset Mariæ! Ut sicut una vita pariter cum Filio vixerat, ita et una morte pariter mori optabat! Igitur, fratres, in Matre virtutis exemplum relucet, sed in Filio salutis remedium. Prius enim docuit conversatione, sed postea sanavit passione. In cælo igitur Filius æqualis est Patri in majestate, sed in terra transcendit Matrem pietate.

VII. O felix, alma Mater, quæ nulla bonitate vinci po-

(1) Cod. *contremiscaris*. — (2) Cod. absque sensu *ne expectes, da*; et deinde deest *Mater*. Divinando sanavimus depravatam hunc textum; utrum feliciter, judicet qui voluerit.

test, nisi ista sola quæ de ea se exeruit (1) in melius ! O propago beata ! o Matris puritas ! o Nati pietas ! Quantum nobis præstas, Maria ! Per te monstratur via, per te recuperatur patria, per te cuncti sanantur, per te omnes ditantur. Tu via, sed Filius tuus vita. Te, Maria, contemplamur, ut recte incedamus, sed Filiam contemplamur, ut beate vivamus. O virgæ rectitudo ! o floris pulchritudo ! Beata Virgo, quæ talem florem producere meruit ! beatum Castellum quo intrare voluit ! Per Mariam datur Christus, sed per Christum datur salus ; quam salutem nobis concedat ille qui pro nobis incarnari voluit. Amen.

---

### SERMO LXIII.

#### In Natali sancti Joannis Baptistæ I.

*Sermo hic eductus ex Bibl. Laurent., Plut. XIII, Cod. VIII, fol. 201 b, et pariter memoratus in Bibl. Venet. catalogo, cod. LXIX, fol. 257 b, ita intricatas et pueriles habet de voce sententias, ut sancto Augustino nullatenus possit ascribi. Sit in appendice post sermonem Benedictinum CC cum numero in Natali beati Joannis Baptistæ VI.*

#### SYNOPSIS.

I. Nativitas Joannis Baptistæ, miraculum est Dei. II. Joannes prædicat in deserto, quod est Judæi et Gentiles. III. Zacharias incredulus amittit vocem, usque dum sterilis fœcundata pepererit vocem. IV. Zacharias obmutescens fit imago populi Judaïci. V. Conclusio.

I. « Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificen-

(1) Cod. *exeruit*, et non habet *se*.

»tia, vox Domini» humanæ sapientiæ «conterens cedros<sup>1</sup>,» de contractis senio visceribus et vitio sterilitatis hodie, fratres charissimi, nasci Joannem jussit. Inde lectio sonuit, quæ per sæculum (1) totum viribus summis increpuit, et obsurdescentem mundum atque tenero sopore (2) solutum, novo et mellifluo pulsans sonitu, nunc clamore fortissimo suscitavit. Ille est enim Joannes, de quo annuntians Propheta dicit : «Vox clamantis in deserto<sup>2</sup>.»

II. O vastum sæculi desertum ! o formidolosa ubique vianibus solitudo ! Nullus namque jam Hebræam terram Patriarchia, nullus Propheta calcabat. Patulæ enim fauces Leviathan ad perniciem Judæorum paratæ itinera cruenta servabant, in quibus sæpe multos justos ad se missos veridicosque vates lapidibus oppresserunt, universaque gentium terra sine rege Christo, sine accola Verbo, infœcundis linguis et duris cordibus, tanquam lapidibus, abundabat, quia hoc erat quod colebat. Texerant eam undique sylvæ vitiorum, atque crescentibus ex se criminibus (3) tecta et aspera facies, spinosa fœditate (4) horrebat. Non illa falcem Legis senserat ; non ibi vomer cœlestis agricolæ sulcos semitæ rectoris (sic) induxerat ; nullum semengratiæ spiritualis fœcunda manus sparserat ; sed sicut canitur, terra erat deserta et sine via et sine aqua<sup>3</sup>. Non enim apud gentes antea aut aqua erat, aut via, ubi homines falsus error incerta semper confusus varietate fallebat ; ubi nullus imber indulgentiæ ardentia scelera undis succurrentibus restingebat (5). In hac ergo eremo Judæorum, seu gentium senticosa, vox clamantis, præco imminentis judicis venit, Salvatorem et ipse occidendus annuntians, homines ad viam disciplinæ melioris exhortans : «Parate, inquit, vias Domino : rectas» facite semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur,» hoc est, omnis humilis exaltabitur, et «erunt quæ prava sunt directa,

<sup>1</sup> Psal. xxviii, 4, et seqq. — <sup>2</sup> Matth. iii, 3. — <sup>3</sup> Psal. lxi, 3.

(1) Cod. *speculum*. — (2) Id. *tenero viatore*. — (3) Id. *crescentium ex se crinimum*. — (4) Id. *spinosa fœditatis*. — (5) Id. *restingabat*.

» et aspera in vias planas<sup>1</sup> ; » scilicet , ut quidquid tortuosi serpentis ante infructuosus et lubricus error invexit, quidquid scabiosæ naturæ callosa (1) durities operuit, recta et inoffensa viæ securioris ac semitæ fidelis planities adæquet (2). Hoc ergo vox ista clamat sub universo mundo; præco tantus insinuat : « Parate, inquit, viam Domino, » rectas facite semitas Dei nostri<sup>2</sup>. » Jam siquidem Maria Christum Spiritu sancto maritante conceperat; jam sine alieno semine impollutus Virginis venter excreverat; jam hinc Evangelistarum currebat quadriga; jam hinc tuba plenum Deo cursum per orbem dictura resonabat. Ideo vox judicem, tuba præibat Regem, ut sæculum conveniret, et mundus totus audiret, terrificisque clamoribus surdas aures hominum sonus gratissimus aperiret.

III. Cum igitur sacerdos Zacharias astaret altaribus, annuntiato cœlestis Regis (3) præcone, confestim incredulus pater obmutuit. Sensit vox genitoris (4) silentium, vetus lingua conticuit Judæorum. Zacharias sacerdos a sacrificio revertitur mutus, quia verus erat sacerdos illico (5) nasciturus. Torpnerunt in cubili suo membra verborum, vox in suis succisa radicibus aruit, atque in ipsis conatibus victa defecit. Nihil aperto ore sonabat, quia inter cæcum uteri dicentis (5) chaos absorptus et interruptus sermo perierat. Ante Verbum vox nascitur. Perdidit itaque Judæa sermonem paternum, et jus novæ vocis transivit ad filium, quia Joannes Christo erat exhibiturus obsequium. Verum incredulus ille pater qui Gabrieli a thronis regalibus venienti noluit accommodare fidem, post incarcerationam vocem, quam recte (6) faucium profunditas et humilitas viscerum secreta receperunt, ubi mater naturæ vincula et nodos uteri atque implicamenta resolvit genitili more, recepit pater vocem. Fundit novum partum alvus sterilis, et soluta

<sup>1</sup> Luc. III, 3, 4. — <sup>2</sup> Isaï, XL, 3.

(1) Cod. *gallicosas*. — (2) Id. *adæquat*. — (3) Id. *cœlestibus rege*. — (4) Id. *gemina*. — (5) Id. *illicito*. — (6) Id. *discentis*. — (7) Id. *veste*.

sunt ora patris. O mira rerum et naturæ conventio! hic residuo calore reviviscunt emortua ævo viscera; hic verbum accrescit in lingua. Hic concipitur vox, hic tollitur vox; sed cum nascitur, quod concipitur, confestim solvitur quod ligatur.

IV. Ad mysterium redeamus. Erat igitur Ecclesia priscis temporibus infœcunda de qua dicitur: « Lætare, sterilis, quæ non parit; erumpe et clama, quæ non parturit, quia multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum<sup>1</sup>. » Hæc posteaquam, divino repleta munere, spem salutis parturivit, sicut scriptum est: « Propter timorem tuum in utero accepimus, parturivimus spem salutis<sup>2</sup>; obstupuit lingua legis ejus, qui genuit, et in synagoga propheticus sermo defecit. Idcirco Judæum, quem incredulitas fecerat mutum, vox nata perducit ad Verbum, ut in partu suo agnoscat fidem, qui noluit agnoscere sibi advenisse Dominum salvatorem.

V. Minuantur ergo nunc dies; crescant noctes; humilietur in carne Deus; exsuperetur in cruce tenebrosus Judæus. Necesse est enim, ut dies resurgendo crescat in lucem, et nox victa in sua permaneat cæcitate, id est, synagoga velamento excæcetur perfidiæ, « Donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israël salvus fiat<sup>3</sup>, » miserante Domino nostro Jesu Christo qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Isaï. LIV, 1. — <sup>2</sup> Id. XXVI, 17, 18. — <sup>3</sup> Rom. XI, 25.

## SERMO LXIV.

## In Natali sancti Joannis Baptistæ II.

*Sermonem hunc, quem ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 43, mutuati sumus, sit cum cæteris ejusdem manuscripti in appendice post præcedentem cum numero in Natali sancti Joannis Baptistæ VII.*

## SYNOPSIS.

I. Joannes servus, Christus dominus. II. Joannis encomium. III. Joannes deus aliquando putatus. IV. Nihilominus ab Herode occiditur. V. Mulier malorum omnium causa. VI. Herodiadis et ejus filiae pœna.

I. FRATRES charissimi, duo erant abscondita antiquitus ab oculis et mente hominum, scilicet æterna bona et æterna mala. Non enim poterat homo cognoscere mala, ut caveret, et cognoscere bona, ut requireret; ad sola enim præsentia oculos apertos habebat; ideo non videbat quid cavendum, aut quid tenendum vel amandum esset. Ideo Deus Pater, cupiens nos illuminare, duos grandes homines ad nos misit, quorum primus homo purus fuit, sed secundus fuit Deus et homo; primus fuit servus, sed secundus dominus extitit. Prius denique servum misit, ut minaretur, postea Filium, ut consolaretur, destinavit. Servus attulit timorem, sed Filius obtulit amorem; servus nuntiavit, ut timeremus, sed Filius nuntiavit, ut amaremus; servus



clamavit : « Genimina viperarum, quis vobis demonstravit » fugere a ventura ira? Agite fructus dignos pœnitentiæ<sup>1</sup>. » Ecce servus Joannes prænuntiat periculum, suadet cautelam, ostendit consilium (1)..... bonus nuntius, percutit servus, ut sanet Dominus.

II. Videte duos nuntios : venit Joannes non manducans, non bibens ut homo ; venit Propheta et super omnes Prophetas major. Cui Prophetarum sic datum est nosse mysteria regni Dei, sicut Joanni? cui Salvator caput inclinavit Prophetarum? Quis, ut Joannes, Christum agnovit, et salutavit in utero, ut Joannes? Est ergo Propheta, et non solum Propheta, sed Prophetarum caput, et Apostolus, et non solum Apostolus, sed Apostolorum magister venerabilis. Venit ergo Joannes Martyr, et non solum Martyr, sed etiam Martyrum via, caput et exemplum. Venit Joannes Confessor, et non solum Confessor, sed Confessorum forma. Venit Joannes Virgo, et non solum Virgo, sed Virginum exemplum. Venit Joannes Eremita, et non solum Eremita, sed Eremitarum virga et auriga. Venit hodie ad nos Joannes; nascitur lumen fidei nostræ; nascitur caput gratiæ; nascitur sanctitatis speculum; in cujus ortu congratulantur vicini; sed in Christi nativitate non turba hominum, sed pastorum. Nuntiatur Christus, nuntiatur et ab eodem Joannes, non tamen, ut Christus, in thalamo, sed in templo, sed in Sancto (2) sanctorum. Solam invenit Angelus Mariam, solus et invenitur Zacharias. Orabat Maria, orabat et Zacharias; in thalamo Maria, sed Zacharias in Sancto sanctorum, ubi lex et manna abscondita erant. Nascitur Joannes lælitiâ Israël, et honorificentia populorum; nascitur præco veritatis, et a Matre Domini de terra levatur. Nascitur Joannes, sanctus sanctorum, et nomen gratiæ ipsi miraculose imponitur. Nascitur Joannes, qui super omnes

<sup>1</sup> Luc. III, 7, 8.

(1) Hic quædam desunt, tempore oblitterata. — (2) Cod. male *sancta*, et sic deinceps.

ex fœmina natos a Salvatore commendatur, et Prophetarum Propheta ab eodem proclamatur, et Angelus, non natura, sed gratia appellatur.

III. Nascitur Joannes, qui cum esset creatura, Creator a multis reputabatur; cum esset homo, velut Deus adorabatur; cum esset Domini servus, cunctorum dominus dicebatur. Et quid mirum, fratres? Nam et Judæi Messiam expectabant, et Joannem miraculose conceptum et natum audiebant; ipsum puerum annorum septem in deserto habitare videbant; mel sylvestre, locustas et herbarum radices comedebat; filius magni Zachariæ apparebat, cuncta terrena despiciebat, ad cujus aspectum totus populus tremebat; exemplum sanctitatis cunctis erat, et apparebat in tantum, quod de nullo Patriarcharum vel Prophetarum auditum erat. Quid ergo mirum, si Deus reputabatur a multis? Licet Joannem non legamus in vita sua miraculum aliquod fecisse, vita tamen sua et doctrina, super omnium vitam et doctrinam transcendebat. Ejus conversatio semper in cœlis erat. Sic enim decoratus ostenditur doctor noster sanctissimus Joannes, legifer noster, et omnibus doctoribus major, sanctior cunctis, terribilior universis, qui Prophetas præcessit in meritis, supergreditur Patriarchas in præmiis, super Apostolos volavit in gratiis, Martyres ampliavit in suppliciis, Confessores decoravit in vigiliis, Virgines ditavit exemplis, Viduas sublimavit abstinentia, Conjugatos sanctimonia, Sacerdotes pudicitia, Monachos honorificentia. Quisquis etiam de fœmina natus, inferior est Joanne. Cui denique Sanctorum tantum (1) se Trinitas demonstravit? ignoro; cui se tantum revelavit? investigare nescio; cui tale testimonium perhibuit? investigare non præsumo; cujus ortum et nativitatem sic magnificavit? alloqui non possum.

IV. Et tamen Joannes sic decoratus occiditur, in carcere recluditur, fere moritur, blasphematur, et persequuntur

(1) Deest *tantum* in cod.

SERMO LXIV, IN NATALI S. JOANNIS BAPTISTÆ II. 345  
 eum; et sic occiditur veritas, sic destruitur Lex, sic conculcatur justitia, dum, ad voluntatem meretricis saltantis, Joannes decollatur in carcere. O quam magnum spectaculum! o quam magnum damnum! o quam magna crudelitas, Joannem occidere et decollare in carcere! o Herodes, quomodo sic sensum perdidisti? Quomodo consilio meretricis credidisti? Numquid non (1) paulo ante Joannem metuebas, et eum libenter audiebas, credens ipsum sanctum et justum esse? Quomodo audes decollare christum Domini? Ubi forma Legis, nisi in Joanne? ubi jura naturæ, nisi in Joanne? Numquid non sanctificatus, antequam natus? numquid non eum sanctissimum prædicasti? numquid genus ejus ignoras? numquid non eum omnes formidant? numquid non dracones et aspides coram Joanne formidant in deserto, tremunt et mansuescunt? Et tu eum occidere cupis? Cogita, cogita, o Herodes, antequam Joannem occidas, cogita quid Deus fecerit Sanctis suis. Cogita, antequam facias, quia post factum consilio non indigebis. Cogita et voluntatem tuam pravam conculca. Cogita quomodo Daniel inter leones non conculcatur ab eis; quomodo Jonas in ventre piscis conservatur illæsus; quomodo Samson a Dalila non occiditur, ut affectat; timens sanctum occidere, inimicis eum tradidit. Cogita, quod sanctum et justum occidere quæris; quod impunitus non diu remanebis. Sed hæc omnia Herodes non consideras? Inebriatus rabie meretricis, præcipis amputari caput Joannis in carcere.

V. O infelix mulier, vitiorum mater, et regina! o mulier, pacis dissipatrix, plena veneno mortifero! o concha putredinis, et luxuriæ domus! o chaos inferni et insatiabile animal! o inimica virtutum! Per te Sancti occisi sunt, per te civitates combustæ et destructæ sunt, per te vita perditæ est, per te mors inventa est, per te bella fiunt, per te sapientes perduntur (2); per te pulchri, turpes; per te,

(1) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (2) Cod. male *perdunt*.

dites, pauperes; per te, fortes, debiles; per te, veraces, mendaces; per te, casti, luxuriosi; per te, humiles, superbi; per te parentibus inobedientes et Deo odibiles fiunt.

VI. Tu vero, Herodias, sanctitatis noverca, scias et nulloatenus dubites, quod tua voluntas et opera non remanebunt impunita, quia sanguis Justii clamat ad Deum de terra. Expecta igitur, et tuam damnationem, si (1) potes, jam (2) portare incipe. Infatuatur denique hæc mulier, diaboli membrum, et nuda coram omnibus pergens, a pueris baculis et lapidibus percussa occiditur; et sic ad barathrum nequiter deportatur post mortem cognati sui Herodis fere per annum. Puella vero quæ libenter sic saltabat, a diabolo suffocatur nocte, et sic filia cum matre a diabolo associatur. Nos vero, fratres, oculo mentis aspiciamus sancti Joannis vitam, et quid fecerit, et quid egerit, ferventer agamus; et si non tantum, quantum ipse fecit, facere valeamus, saltem quantum possumus, facere studeamus, ut cum eo consortes simus per gratiam in gloria Beatorum. Amen.

(1) Cod. *sicut.* — (2) Id. *hoc.*

SERMO LXV.

In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli I.

*Hic sermo legitur in duobus Codicibus Cassinensibus, scilicet Cod. XI, fol. 257, et Cod. CXXIII, fol. 142 a tergo. Plura continet quæ leguntur sive in sermone appendicis Maurinensis CCII, qui alibi sancto Ambrosio tribuitur, sive in sermone CCIV ejusdem appendicis. Quapropter illum amandamus in appendicem, tanquam sententiarum sanctorum illorum doctorum collectionem, licet dignus sit in multis qui legatur. Locus ejus post sermonem Maurinensem CCV cum numero in Natali Apostolorum VI.*

SYNOPSIS.

I. Petrus et Paulus gubernatores et milites. II. Eorum supplicii causa. III. Ecclesia utriusque mater. IV. Petrus a Paulo quæsitus. Pauli crimen et conversio. V. Æquales fuere Petrus et Paulus, licet unus primus et alter novissimus. VI. Conclusio.

I. FRATRES charissimi, gubernator in tempestate dignoscitur, miles in acie probatur. Delicata jactatio est, ubi periculum non est. Sicut enim gubernator eruditus, inter marina discrimina, inter minaces fluctus, inter extollentium se aquarum metuenda cacumina fretus, fixus gubernaculo suo, intentis oculis (1) hæret ad cælum, et impetu

(1) Sic cod. CXXIII; deest vox *oculis* in cod. XI.

non frangitur tempestatis, sed gubernans in periculis navem propitiante Domino perducit ad littus; et sicut miles intercruentes gladios, inter hostium feroces aspectus, intrepidus pro regis sui jure decertans, si mori illi contigerit, laudabiliter moritur, si vero vicerit, palmis victricibus et honoribus decoratur; ita et beatissimi (1) Apostoli Petrus et Paulus, velut gubernatores et milites, contra adversarias potestates omnem tolerantiam præstiterunt, nec victi sunt, sed potius vicerunt.

II. Ergo Petrus et Paulus suum (2) sanguinem fuderunt. Sed videamus, fratres, causam quare ista perpassi sunt, scilicet quod inter cætera miracula (3), etiam magum illum Simonem, de vacuo aëre, unius solum ope (4) orationis præcipiti ruina in terram prostraverunt. Cum enim Simon magus atque maleficus (5) Christum se diceret, et tanquam filium ad patrem, assereret ad cælum (6) volando se posse conscendere, atque elatus solum (7) magicis artibus, per æthera (8) volare cœpisset, tunc Petrus et Paulus (9), fixis in terra (10) genibus precati sunt Deum, et precatione sancta vicerunt magicam levitatem (11). Prius (12) enim ascendit ad Deum Sanctorum oratio, quam magi Simonis falsa volatio (13), et ante pervenit justa petitio, quam iniqua præsumptio. Ante Petrus et Paulus in terris positi obtinuerunt quod petebant, quam Simon perveniret in cælestia, quo nunquam pervenire valebat (14). Tunc igitur Petrus et Paulus, oratione facta, Simonem magum victum, de sublimi aëre rapuerunt (15),

(1) Sic cod. cxxiii; cod. xi *beatis*. — (2) Codd. *eorum*; legendum *suum* aut *sinul*, aut *hodie*. Hæc et sequentia habentur in Serm. ccii append. n. 3. — (3) Edit. *inirabilia*. — (4) Codd. *solummodo*. Edit. *orationibus suis de aëris vacuo præcipiti ruina prostraverint*. — (5) Edit. *idem Simon*; reliqua desunt. — (6) Desunt in edit. verba *ad cælum*. — (7) Edit. *subito*. — (8) Desunt voces *per æthera* in edit. — (9) Desunt in edit. *et Paulus*. — (10) Desunt in edit. voces *in terra*. — (11) Edit. omnia habent numero singulari, et sic deinde. — (12) Edit. *prior*. — (13) Iid. *ad Dominum oratio quam volatus*. — (14) Iid. *ad cælestia quo tendebat*. — (15) Iid. *tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aëre deposuit*.

et quodam præcipitio in saxum (1) elidentes, ejus crura confregerunt. Et hoc in opprobrium facti illius, ut qui paulo ante volare tentaverat, subito plantas amittens, ambulare non posset (2); et quia diabolicas pennas assumpserat, ut in cœlum ascenderet, divisus membris in terra collisus, coram omni populo turpiter jacuisse monstratus est. Sed ne forte, fratres, hoc mirum videatur, quod magus iste atque maleficus (3) præsentibus Apostolis per æra aliquantulum volaret (4), hoc patientia Petri et Pauli fecit. Permiserunt enim illum sublimius ascendere, ut de alto eum ostenderent cecidisse (5); voluerunt eum aliquantulum aëris in excelso levare a conspectu omnium populorum, ut illo cadente, unde fuerat gavisura turba fidelium, inde terreretur sequentium numerus perditorum (6). Nam cujus meriti sint, fratres dilectissimi, beatissimi Petrus et Paulus, hinc possumus intelligere, ut cum Dominus noster Jesus Christus Orientis regiones propria illustraverit passione, Occidentis tamen plagam, ne inhonora (7) fuisset aliquando derelicta, istorum exhibuit sub suo imperio sanguine purpuratam; et licet illius passio sufficiat ad protectionem, tamen horum Apostolorum simulque Martyrum memoriam nobis contulit ad salutem.

III. Nam Ecclesia Domini, sponsa Christi, quæ est una et vera regina, ipsa genuit Petrum, ipsa genuit Paulum (8). Ex ipsa nati sunt; ab ipsa nutriti sunt; postea nutritores et defensores ejus effecti sunt. Nonne ipsa Paulum pariebat, ut ex lupo fieret agnus? Natus est Paulus, crevit et factus est magnus. Natus est, sed difficile satis, ita ut omnia membra contremiscerent matris. Natus est quando bap-

(1) Edit. *in saxo*. — (2) *Iid. ut qui paulo ante volare tentaverat, ambulare non posset, et qui pennas assumpserat, plantas amitteret*. — (3) *De sunt in edit. atque maleficus*. — (4) *Edit. per aërem aliquandiu volitaverit*. — (5) *Iid. ut altius caderet*. — (6) *Iid. voluit eum in excelsum levare ad conspectum omnium, ut ruentem illum de excelso oculi omnium perviderent*. — (7) *Sic cod. cxxiii; cod. xi in hora*. — (8) *Vide Serm. cciv appendic. num. 1.*

tizatus est a fratre, et illuminatus est a Deo Patre. Continuo cœpit defendere matrem, et cœpit Petrum velle videre, sed docentem, non fugientem.

IV. Fugiebat te, quando nesciebat te. Sed nunc audivit, quia « Evangelizas fidem quam aliquando expugnabas, et » in te clarificabat Deum<sup>1</sup>. » Feci, confiteor, feci; sed peccatum non habeo, quia « Ignorans feci<sup>2</sup>. » Ego feci, sed ipse non sum qui feci. Si quæris, ego feci. Et quid agimus, sancte Paule, quia fecisse te, et non fecisse, utrumque testaris? Dicis quia fecisti, dicis quia non fecisti. Hæsitat cor nostrum, quia ambiguos nos dimisisti. Dicis quia fecisti; quis est qui Paulo non credat? Iterum dicis, quia non fecisti; quis audeat dicere Paulo « Mentiris; maximo quia tantus videris, ut quidquid dixeris, indiscusse credaris? Ego feci, inquit, quando Stephanum lapidibus interfeci; sed ex quo cœlitus Christi nomen novum accepi, statim peccatum meum ego cognovi. Fecit Saulus; numquid fecit Paulus? Multum est inter Saulum et Paulum. Et vere, fratres, vultis scire quia multum inter Saulum et Paulum? Saulus lapidavit, Paulus lapidatus est (1); Saulus persecutus est Ecclesiam, Paulus persecutionem passus est propter Ecclesiam; Saulus Christianos virgis affecit, Paulus pro Christo quinquiesquadraginta una minus accepit; Saulus persecutus est Sanctorum congregationem, Paulus per fenestram (2) in sporta submissus est. Propterea multum inter Saulum et Paulum. Illud (3) nomen a parentibus in litteris Legis accepit; istud nomen novum a Christo semel accepit.

V. Dicamus aliquid, fratres, etiam et de Sancto Petro, qui fuit piscator, cui jubebat, non dico curator, sed infimus obsonator, et modo, genibus fixis eum adorat Impe-

<sup>1</sup> Act. ix, 21. — <sup>2</sup> 1 Tim. 1, 13.

(1) Vide Serm. cciv, append. num. 3, et Tract. viii in Epistol. Joan. num. 2. — (2) Codd. *fenestra*. — (3) *Iid. male illum... istum; sic et in litteras.*



rator. Ideo mundi sapientes evanescent, quia perdidierunt mentes, quia placuit Deo per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes. Duo luminaria magna qui omnium gentium tenebras illustrant, et omnibus veneratoribus suis bona beneficia præstant, Petrus et Paulus, primus et novissimus, sed tamen ambo æquales, quia non est in illis majus et minus. Primus, cum Simon esset, ligare et solvere noverat retia piscatorum; factus est Petrus, et cœpit ligare et solvere vincula peccatorum. Novissimus, cum Saulus diceretur, multos Christianos injuriis afflixit, multos crudeliter interfecit; factus est Paulus, et propter Christum pejora passus est, quam quod fecit.

VI. O divina providentia! o divina mysteria! o divina clementia! o divina secreta! Quomodo Christi Ecclesiam ædificaverunt Petrus et Paulus! Et celebramus hodie eorum festa solemnia in laude divina, procurante (1) Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(1) Cod. cxxiii præstante.

## SERMO LXVI.

In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli II.

*Erutus hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 45 b, sit in appendice post præcedentem, cum numero in Natali Apostolorum VII.*

## SYNOPSIS.

I. Sanctorum Apostolorum encomia. II. Quam diversi ab eis sunt hodierni pastores. III. Sancti Apostoli duo sunt seraphim stantes super templum; sex alæ Petri. IV. Sex alæ Pauli. V. Imitandi pastoribus isti pastores.

I. FESTIVITATEM beatorum Apostolorum Petri et Pauli hodierna die, fratres charissimi, celebrantes, solemniter cum eisdem in Domino gaudeamus. Ipsi enim sunt sanctissimi patres verique pastores, qui velut Saül et Jonathas amabiles et decori in vita sua, leonibus fortiores, aquilis velociores, in morte quoque non sunt separati<sup>1</sup>, et quasi agni mansueti ad victimam ducti, occiduntur simul ligati, velut latrones viarum. Isti sunt gloriosi principes terræ, duces et rectores populi. Isti sunt dii tui excelsi, per quos duceris ad vitam, morte æterna deposita; merito per eosdem consequeris gloriam beatorum. Isti sunt templorum columnæ et fundamenta Ecclesiarum, in quibus pendet tota nostra Lex et Prophetæ. Isti sunt sanctissimi Martyres triumphantes, et juvenes illi qui appannerunt virtute de-

<sup>1</sup> 2 Reg. 1, 23.

cori<sup>1</sup>, optimi in gloria et pretiosi amictu. Isti sunt principes Apostolici, gubernatores et illuminatores terræ, quibus super omnes alios Dominus dedit potestatem ligandi atque solvendi<sup>2</sup>; virtutem super naturam, ut eam curarent; virtutem super dæmones, ut eos everterent, super mortem, ut eam contemnerent, super Angelos, ut corpus Domini consecrarent. Isti sunt sanctissimi cœlorum cives, qui potestatem claudendi et aperiendi habent, et ostenderunt exemplo vitæ formam (1) et doctrinam in vita sua. Isti sunt sanctissimi patres verique pastores, illustres ingenuitate, non fastu; insignes auctoritate, non cultu; celebres sanctitate, non quæstu. Isti sunt præcones Evangelici clarissimi, verbis clari (2), clariores exemplis, sed clarissimi signis et miraculis. O quam magnifice sanctissimi Apostoli claruerunt! o quam gloriosa tuba eorum per totum mundum resonuit! o quam cito isti mundi principes totum mundum Christo subdiderunt! Vere isti sunt, quos Dominus misit, ut perambolarent terram, navigarent mare, transvolarent montes in fame, siti, nuditate. O quam grandis Dei potentia! o quam mira Dei magnificentia! Petrus piscator et Paulus doctor, totum mundum in paucis tempore concusserunt; totum orbem in signis et prodigiis in admiratione posuerunt; totum orbem ad fidem Christi conduxerunt. Quibus armis? Non corporali potentia, non divitiis protecti, sed solo Dei auxilio hoc operati sunt.

II. O utinam, fratres, tales essent et modo pastores, quales et ipsi fuerunt! Vere dubito, et satis pertimesco, ne sint hodie pastores nostri non (3) præcones, sed canes muti; non duces veritatis et luminis, sed falsitatis et cæcitatibus; non constantes operarii, sed custodes mercenarii. Tales sunt canes mordaces, latrones veraces, qui nec vita nec exemplo famæ vel doctrinæ curant sanctos Apostolos

<sup>1</sup> 2 Mach. III, 26. — <sup>2</sup> Matth. XVI, 19.

(1) Cod. *vita exemplo fama*. — (2) Id. male *clariores*. — (3) Deest non in cod.

imitari. Tales sunt murmuratores et querulosi, paupertatem Petri conculcantes, doctrinam Pauli despicientes, ambulantes in desideriiis suis, et in ore ipsorum abundantes superbia (1), et minitantes personas, ut quæstus apportent.

III. Non sic Apostoli; sed in conversatiene angelica vita et doctrina viventes, vere isti sunt illi duo Seraphim stantes super templum<sup>1</sup>; sex alæ erant uni, et sex alæ erant alteri. Et quid per sex alas primi, nisi sex Petri prærogativas et excellentias intelligamus (2)? Debentur enim per excellentiam singula singulis, ut de singulo eorum vere dicamus: « Non est inventus in gloria illi (5) similis<sup>2</sup>. » Quod enim, fratres mei, fuit Petri primum donum, videamus. Numquid non (4) inter Apostolos prior extitit ordinatus, curam gerens omnium Ecclesiarum? Ipse denique Petrus vocatus est a Domino Simon, propter obedientiam humilitatis; vocatus est Cephas propter constantiam firmitatis; vocatus est Petrus propter innocentiam veritatis. Et sic, fratres mei, aspiciamus Petrum fide sublimiorem, amore ferventiorum, secretorum familiariorem. Quanto enim familiarior, tanto morti crucis similior. Aspiciamus etiam Petrum miraculis clariorem, cunctis auctoritate et majoritate superiorem.

IV. Ecce Seraphim prior sex alis ornatus, sed ubi sint sex alæ alterius videamus. Ubi prima Pauli ala, nisi sinceritas (5) mirabilis conversionis? Præventus est enim Paulus divina dignatione absque propria dispositione, actu persistens in persecutione, et reductus est a prava conversatione. Ubi altera Seraphim ala, nisi strenuitas mirabilis conversationis? Abundantius omnibus Apostolis laboravit<sup>3</sup>, quia diffusius scripsit, quam aliquis Apostolorum, latius operatus est manibus, nolens recipere prædicationis fructus

<sup>1</sup> Isaï. vi, 2. — <sup>2</sup> Eccli. xlii, 20. — <sup>3</sup> 1 Cor. xv, 10.

(1) Cod. *superbiam*. — (2) Deest in cod. verbum *intelligamus*. — (3) Cod. *sibi*. — (4) Deest *non* in cod. — (5) Cod. *sinceritatis*.

et munera. Non enim usus (1) fuit prædicationis fructu et potestate, sicut et cæteri Apos toli, sed famem et nuditatem sustinebat, laborando manibus suis<sup>4</sup>, ne offendiculum daret Evangelio Christi<sup>2</sup>. O quam dura fuit ala istius Seraphim, severitas persecutionis! In laboribus plurimis, in carceribus, in plagis, in profundo maris pœnam et dolorem sustinuit<sup>3</sup>. O quam grandis ala fuit, solemnitas Pauli prædicationis! Vere Doctor gentium appellatur; vere prædicator veritatis, vere vas electionis<sup>4</sup> super omnes alios Paulus nominatur; vere cunctorum magister et pater. Et quis, fratres mei, Apostolorum, Patriarcharum vel Prophetarum prædicavit solemnius? quis Patriarcharum correpsit virilius? quis Prophetarum Paulo disputavit tutius? Digne ergo vas electionis est, nomen Christi portans corde, et ore et opere super omnes alios coram Regibus et Gentibus et filiis Israël<sup>5</sup>. O quam grandis etiam fuit ala Pauli, subtilitas contemplationis! Rapitur enim Paulus ad tertium cœlum, et ipsi (2) concessum est adhuc habenti statum et habitum viatoris, ut Deum videret, sicuti est, et experiretur fructum et gustum comprehensionis; sic enim Paulus rapitur. O quam grandis istius Seraphim ala (3), celebritas consummationis! Decoratus enim fuit morte nobilium magnus sanctus Paulus et capitali sententia, tanquam civis nobilissimæ civitatis, mundi capitis; quo decollato vox magna et terribilis audita est: Jesus, Jesus, Jesus. Ecce quomodo vixerat, sic et moriebatur. Nomen quod in mente, vita, voce et opere, in vita portaverat, post etiam vitam ignorare non poterat. In hoc enim, fratres charissimi, Petrum excedit doctor Gentium Paulus; quia crux erat pœna et ignobilior mors; tamen sicut una vita vixerant, sicut unam vitam prædicaverant, sic una die et hora pariter cœlum triumphantes feliciter intrave-

<sup>1</sup> 1 Cor. iv, 12. — <sup>2</sup> Id. ix, 12. — <sup>3</sup> 2 Cor. xi, et seqq. — <sup>4</sup> Act. ix, 15. — <sup>5</sup> Ibid.

(1) Deest *usus* in cod. — (2) Cod. *sibi*. — (3) Deest *ala* in cod.

runt. Ecce quomodo sanctissimi Seraphim, habentes alas sex, morte devicta, consummato labore cursûs eorum, intraverunt ad vitam.

V. Nos igitur, fratres, qui nunc Pastores vocamur, studeamus cum Apostolis angelice vivere. Prælatus denique Angelus dicitur optime, vel dici debet, ratione sinceritatis in vivendo, quia, sicut Angeli puri et nitidi, stare semper debemus, ratione scientiæ in cognoscendo; ratione eruditionis in informando; ratione medicationis in curando; (Raphaël enim numquid Tobiam non curavit?) ratione prudentiæ in eligendo et desiderando; non enim terrena, sed cœlestia amare debemus; ratione velocitatis in discurrendo (1); volare enim debemus et discurrere prædicando et corrigendo proximum, et suscitare amicum jacentem; ratione orationis (2) in suffragando, quia pro populo Domini orationes facere et portare debemus; ratione devotionis in contemplando, quia Prælatorum conversatio semper in cœlis debet esse. Sed « Væ nobis, quia peccavimus<sup>1</sup>; » væ nobis, quia non Angeli, sed pessimi peccatores sumus; væ nobis, plenis superbia in præsidendo; væ Prælati, plenis immoderantia in exequendo; væ Prælati, cupidis in congregando; væ Prælati, remissis in corrigendo; væ Prælati, inter subditos dolos et scandalum, ut regnent, imponendo; væ Prælati, animarum curam negligendo; væ Prælati, scandalum operantibus in peccando. Non sic igitur, fratres mei, non sic agere debemus, si veri Pastores ovium esse desideramus. Quid enim Petrus, quid enim et Paulus egerit, aspiciamus, et eos postmodum imitari non timeamus. Laboremus denique, dum tempus habemus, ut in tempore suo cum eisdem recipiamus fructum, gloriam et honorem, quod nobis concedat ipse Pastor verus Jesus Christus. Amen.

<sup>1</sup> Thren. v, 16.

(1, Cod. *discernendo*. — (2) *Id. cœli male*.

## SERMO LXVII

## In Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli III.

*Pulcher hic sermo, et sancto Augustino dignissimus, cuius sententiis et dicendi modo apprime convenit; nec dubitasset illum beato Doctori tribuere, nisi obstaret cod. IV, huic sancto Ambrosio assignans. Legitur in quinque codicibus. Florent., nempe Bibl. Laurent., Plut. xxx sinist., cod. 11, fol. 155 b; ibid., Plut. xxxiii sinist., cod. IV, fol. 165 b; Bibl. Ædil., cod. cxxxvi, cujus pagina non indicatur in nostris chartis; ibid. cod. cxliii, fol. 251; et denique Bibl. Mugel. cod. xiv, fol. 110. Sit in appendice post præcedentem cum numero in natali SS. Apostolorum VIII.*

## SYNOPSIS.

## Apostolorum vocatio et gloria.

DUORUM Apostolorum sanctorum (1) Petri et Pauli, fratres charissimi, hodie celebramus natalem; quorum sonus et prædicatio pervenit in omnem orbem terrarum. Ita eorum passio celebratur ab oriente usque ad occidentem, quoniam pro Rege passi sunt cæli et terræ. Meruit civitas Romanorum, ut ibi sint (2) constitutæ memoriæ Apostolorum. Oportuit enim ibi esse prædicatores regni cælorum, ubi constitutum est (3) regnum Romanorum, ut diversæ

(1) Sic codd. omnes excepto cod. cxxxvi, qui habet *eorum sanctorum Apostolorum*; unde videtur hoc esse solummodo fragmentum. — (2) Sic cod. cxxxvi; cæteri *ubi sunt*. — (3) Sic omnes codd., excepto cod. xiv, qui habet *conditum est*.

gentes venientes honorificent (1) memoriam piscatorum. Euntibus enim ad beatum Petrum apostolum, qui noverrunt ubi (2) est constituta memoria Adriani Imperatoris, miræ magnitudinis et pulchritudinis templum constructum? Numquid potest ab aliquo dici: Intremus ad memoriam Imperatoris? Ergo præteritur memoria Imperatoris, et festinatur ad memoriam piscatoris. Bene piscatores facti, qui erant piscatores nati. Piscatores piscium facti sunt piscatores hominum Domino Christo dicente: « Venite » post me, faciam vos fieri (3) piscatores hominum<sup>1</sup>. » Artem vobis non muto, genus piscium muto. Extrahebatis de mari vivos ad mortem, nuac extrahetis de sæculo mortuos ad salutem. Unus erat piscator, alius persecutor. Quantum meruerunt persecutores et piscatores, ut fierent prædicatores! Primus in ordine Apostolorum electus est Petrus, novissimus (4) in ordine Apostolorum electus est Paulus, sicut ipse de se testatur dicens: « Ego enim sum » minimus Apostolorum<sup>2</sup>. » Qui elegit primum, ipse elegit et novissimum, ut simul paterentur (5) primus et novissimus. Bona passio, quæ nunc cohæret (*sic*) laude; bonum certamen, quod perfecit martyrium. Sciebant Apostoli, ad quam pertendebant coronam, quam acceperunt Petrus et Paulus in urbe Roma. Dixerat enim Dominus in Evangelio: « Qui reliquerit patrem, aut matrem, aut (6) uxorem, et filios, et omnia quæ possidet (7), centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit<sup>3</sup>; » et, « Qui perdiderit » animam suam propter me in hoc mundo, in vitam æternam custodiet (8) eam<sup>4</sup>. » Oportet ergo, fratres, ut propter vitam non diligamus vitam; propter vitam æternam,

<sup>1</sup> Matth. iv, 18, 19. Marc. i, 17. — <sup>2</sup> I Cor. xv, 9. — <sup>3</sup> Matth. xix, 29. — <sup>4</sup> Id. x, 39; xvi, 25. Marc. viii, 35.

(1) Cod. xiv *glorificent*. — (2) Sic omnes codd; cod. cxxxvi *ibi*. — (3) Sic cod. cxxxvi; in cæteris deest vox *fieri*. — (4) Sic omnes codd.; cod. xiv *novissime*. — (5) Cod. xiv male *parentur*. — (6) Sic cod. cxxxvi; vox *aut* deest in cæteris. — (7) Sic cod. iv; cæteri male *possideat*. — (8) Sic cod. iv; cæteri *custodit*.



temporalis est contemnenda. Boni Discipuli, qui veram doctrinam tenuerunt Magistri, cursum consummaverunt, fidem (1) servaverunt<sup>1</sup>, promissa dilexerunt, temporalia contempserunt, et vitam æternam possederunt. Unus ex rustico insertus, alius ex lupo agnus. De Paulo apostolo dictum est : « Lupus rapax ; mane comedet (2) prædam, et » ad vesperum dividet escas<sup>2</sup>. » Fuit persecutor Saulus, sed mutatus est, ut fieret prædicator Paulus. Fuit quidem (3) antea persecutor, qui postea (4) factus est magnificus prædicator. Christum quem aliquando blasphemabat, postea publice prædicabat. Ipse enim de se testatur dicens : « Qui prius fui blasphemus, et contumeliosus (5) et persecutor, sed ideo misericordiam merui, quia ignorans » feci in incredulitate<sup>3</sup>, » ut in me revelaret Deus Filium suum. Hoc præstitit mihi persecutori. Quid autem præstitit piscatori, nisi claves regni cælorum ? Claves ipsas regni cælorum fides meruit Petri, quia (6) prior agnovit Filium Dei (7). O gloriosum meritum Apostolorum ! Non uno die electi ad gratiam, sed uno die meruerunt palmam ; non uno die electi ad apostolatam, sed uno die meruerunt accipere martyrium consecratum (8). Transcenderunt cælum, et coronati venerunt ad Dominum Deum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> 2 Tim. iv, 7. — <sup>2</sup> Gen. xlix, 27. — <sup>3</sup> 1 Tim. i, 13.

(1) Sic codd. omnes; cod. xiv *probaverunt*. — (2) Sic cod. cxxxvi, qui deinde non habet *prædam*; cæteri *rapiet prædam*. — (3) Sic cod. iv; cod. xiv *fuit antea*. — (4) Sic cod. ii, et cæteri; cod. xiv *postea vero*. — (5) Desunt hæc voces *et contumeliosus* in omnibus codd., excepto cod. iv. — (6) Sic ex diversis codd. textus restituitur. Cod. enim iv *clavis ipsa regni cælorum fidem*; cod. xiv *claves ipsa regni cælorum fides meruit Petri, quæ*; cod. autem ii *insulse fidem meruit Petrus*. — (7) Sic cod. iv; cæteri non habent *Dei*. — (8) Sic codd. Forte legendum *martyrium. Martyria consecrati transcenderunt*, etc.

## SERMO LXVIII.

In festo sancti Petri ad Vincula.

*Sermo iste extractus e Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 44, pro titulo habet In advincula sancti Petri. Ponitur in appendicem, propter sæpius commemoratas rationes, post præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Petrus ab Herode missus in carcerem ab Angelo liberatur. II. Ab ipso aliisque Sanctis patientiam debemus addiscere. III. Patientiæ encomium. IV. Hanc et Pagani commendarunt.

I. FRATRES charissimi, festum ad vincula sancti Petri Apostoli, ut multi vestrum viderunt et audierunt, temporibus nostris incæptum est ab Ecclesia celebrari; et ideo ad honorem tanti ecclesiarum patroni et capitis, festum ejus solemniter celebrare debemus. Nam cum Petrus, fratres charissimi, esset apud Jerosolymam, et post adventum sancti Spiritûs miracula in cunctis ostendens, in tantum ut ipso veniente, et viam transeunte, infirmi sanarentur a quibuscumque detinebantur infirmitatibus; ideo Petrus in templo a populo Judæorum flagellatur, et ini- que verberatur, per terram ducitur et trahitur, et apud Herodem Agrippam fratrem Herodiadis Jerosolymorum præfectum in carcere ponitur, et catenis fortiter religatur;

parcens ipsi (1) pro tunc vitam propter dies azymorum; post quos dies volebat eum producere et ponere ad mortem in populo. Interfecerat enim Jacobum fratrem Joannis gladio. Prædictus enim Herodes valde cupidus erat, et populum Judæorum in recipiendo multum gravabat; proditor quidem erat, et luxuriæ pater dicebatur a cunctis, et a cunctis despiciebatur; ideoque volens placere Judæis apposuit, ut et Petrum apprehenderet et occideret, sicut et Jacobum<sup>1</sup>. Et dum esset Petrus in carcere, recordatur (2) quomodo sanctus Daniel in lacu leonum liberatus est, et clausa sunt ora leonum; recordatur Apostolus quomodo Jonas in ventre ceti clamavit et evomitus est; recordatur quomodo tres pueri in camino ignis ardentis clamaverunt, et salvati sunt. Et ideo Petrus in carcere positus clamavit, et ceciderunt catenæ de manibus ejus<sup>2</sup>. Tu vero, o homo, discce, dum discere potes; accipe Petri doctrinam, qui dum pateretur, non conquerebatur; dum per terram duceretur, vox blasphemiam in eo non audiebatur; dum catenis ligaretur acerrimis, non lamentabatur; dum in carcere esset obscurissimo, pro Christo libenter patiebatur. Præceperat enim Apostolus fidelibus, ut omnes ad Deum funderent preces pro eo, et cum eo sine intermissione.

II. Tu vero, o homo, discce, quia dum peregrinaris, tempus addiscendi est. Esto cum Petro vir fortis, sive juste, sive injuste patiaris tormenta vel carceres, maledictionem vel mortem. Esto vir fortis in cunctis, quæ pateris, quia si juste pateris, purgaris; si injuste pateris, coronaris. O quam gloriosum est martyrium mentis vel corporis, amore Christi, non mente superba, sed igne charitatis accensa, ad tempus hilariter sustinere! Et vere ad tempus,

<sup>1</sup> Act. xii, 13. — <sup>2</sup> Ibid. 7.

(1) Cod. *sibi*. Hæc phrasid omnino barbara est, cum vox *parcens* referatur ad Herodem, et non ad Petrum, qui tamen nominativum est sententiæ verbum. — (2) Cod. *recordatus*, et sic deinde, excepta vice tertia, ubi bene scribitur *recordatur*.

quia vita nostra velut umbra transit<sup>1</sup>. Quos namque, fratres, vere mentis Martyres reputamus, nisi illos sanctissimos confessores, qui Christum ore, corde et opere profitentur in cunctis adversitatibus, qui etiam non solum de suis condolent malis, sed etiam proximorum mala (1) videntes vel audientes, non solum unam, sed mille mortes quotidie patiuntur? Isti sunt veri martyres, qui licet sanguinem non effundant, tamen mortem patiuntur quotidie obsecrando, increpando, prædicando, condolendo, visitando, opprobria, verbera et blasphemias sustinendo in omni patientia et doctrina<sup>2</sup>. Sic enim sanctus ille Moyses, licet adhuc juvenis, faciebat. Dum videret male operantes, dicere non timebat: « Ut quid proximo nocetis<sup>3</sup>? » Et audivit: « Quis principem te constituit super nos<sup>4</sup>? » Sic etiam sanctus ille Joseph faciebat, quando fratres suos crimine pessimo patri inculpabat. Sic etiam Job, quando uxori respondit: « Tu quasi una de stultis mulieribus locuta es<sup>5</sup>. » O quam beatus, o quam gloriosus Job! Quot enim voces in laudem Dei percussus reddidit, tot sacrificia Deo obtulit; toties Deo se digne sacrificavit, quoties adversariorum voces patienter audivit. Acriora etiam tormenta diabolus patientia Job sustinuit, quam diabolus in sancto viro infixit (2). O quam amabilis patientia, o quam gloriosa! Tam magnum donum Dei est ut etiam ipsius, qui eam nobis largitur, patientia prædicetur. Facile satis est vestem concinctam habere, inclinato capite incedere, velum super oculos dimittere; sed hæc omnia sine patientia, modicum valent. Esto vir fortis, noli in indignatione te ponere, noli in superbia te jactare; ita (3), si percuteris, ut lacrymas præ dolore continere non valeas. Esto vir fortis et patiens, quia non pœna, sed medicina tibi est; castigatio, non damnatio tibi est; mel et lac tibi est, et non venenum. Noli, o fili, flagel-

<sup>1</sup> Job. xiv, 2. — <sup>2</sup> 2 Tim. iv, 2. — <sup>3</sup> Exod. ii, 13. — <sup>4</sup> Ibid. 14. — <sup>5</sup> Job. ii, 10.

(1) Cod. *labere*. — (2) Id. *infixerit*. — (3) Id. *nam*.

lum repellere, si non vis repelli a paterna hereditate; noli attendere pœnam, quam pateris in flagello, sed quem locum in testamento paterno obtineas. Si vexaris infirmitate, si gravaris loquacitate inimicorum, vel inopia paupertatis, esto in cunctis vir fortis. Nemo denique bonus est, nisi in adversis sit (1) patiens, et malo fuerit approbatus.

III. O tu, homo, qui impatiens es, scias quod misericordiam a Deo non consequeris, si irascaris reddendo malum pro malo. Consulo ergo, ut sis vir patiens, et cum pateris, dic non solum corde, sed et ore: Juste patior hæc et majora, quia peccator sum, si non in hoc, saltem in aliis, quia sæpe peccavi. Si vero hoc dixeris, omnino misericordiam consequeris ab eo, qui post tribulationem ad pristinum statum te poterit revocare. O quam magna virtus est, si non lædas, a quo læsus es! o quam magna gloria! o quam gloriosus de te cantus coram Angelis Dei, si tu potuisti nocere, et parcis! o quam nobile vindictæ genus est ignoscere! o patientia prædicanda, quæ omnia vincit adversa, non colluctando, sed sustinendo; non murmurando, sed gratias exhibendo! Ipsa est quæ fures totius prævæ voluntatis astringit; ipsa est quæ animas Deo limpidas reddit. Nihil denique, fratres, fortius esse potest, nihil egregius, nihil beatius, quam audire noxia, et non respondere contraria; quam audire mortifera, et respondere vivifica. O fideles, attendamus et nos, eum qui (2) non habet arma defensionis. Dum enim capitur, non cornibus percutit, non dentibus mordet, non fugam capit, sed manibus latronis vel occisoris patienter acquiescit; nulla se reluctance defendit: sic et nos, famuli Christi, facere in cunctis debemus.

IV. Diogenes denique, paganus ille famosus in cunctis, cum audisset amicos dixisse: « An ignoras, quod multi te vituperant undique? » Respondens paganus ait: « Oportet ab insipientibus sæpe vituperatum (3) patienter semper

(1) Cod. *in adversis; sic.* — (2) Id. *quis enim.* — (3) Id. *vituperatus et sic deinceps.*

portare, et ab eisdem vulneratum in nullo pavere. Felicissima denique vita cunctorum putatur, si (1), cum possint, mala pro malis non reddant, sed potius patientia clypeati (2), optima pro pessimis reddere festinent. Nam vir patiens quanto plus ad iram provocatur, tanto fortius et charius apud nos (3) existimatur. Nam adversa portare, humanum patres nostri prædicaverunt; sed brutale, malum non ferre, semper nos docuerunt. » Ecce, fratres mei, quomodo Pagani, doctores nostri esse possunt, ecce quomodo formam patientiæ nobis dederunt; ecce quomodo et quantum sanctam patientiam magnificaverunt. Eia ergo, milites Christi, amplectamini (4) patientiam, facite eam sponsam, sequamini vestigia ejus, et clamare cum Petro non desistatis in cunctis quæ patimini, ut ille patientiam tribuat qui suo pretioso sanguine nos redemit. Amen.

---

## SERMO LXIX.

### In Natali sancti Laurentii I.

*Hic sermo eductus ex Cod. Cass. cix, fol. 92 a tergo, cum nomine sancti Augustini, collimare videtur in pluribus cum sermone appendicis Maurinensis cccvi, qui etiam legitur inter opera sancti Ambrosii. Benedictini de sermone ab ipsis edito dixerunt eum dignum esse qui legatur; dignus est et iste, quem stampis subdimus, utpote qui in multis sit diversus ab eo quem Maurini ediderunt. Illum tamen inter sermones appendicis propter easdem rationes amandamus. Locus ejus sit idem ac sermonis cccvi Benedictinorum, cujus diversa videtur editio.*

(1) Deest *si* in cod. — (2) Cod. *clypeatus*. — (3) Id. *nostrum*. — (4) Id. *amplectamur*.

## SYNOPSIS.

I. Beatus Laurentius in cœlesti sedere maluit, quam in terrestri cathedra. II. Quæ fuerint ejusdem judicio veræ divitiæ. III. Quomodo imitandus Laurentius.

I. LICET ingentia facta tenuis sermo non explicet, et natura frigidioris ingenii flammam Martyrum narrare non possit, devotionem tamen nostram erga cultum martyrii demonstrantes, ab ipso per quem efficiuntur Martyres, deprecamur, ut divini ignis in nos virtute succensa, loqui sacerdotem doceat, qui Levitam docuit triumphare. Beatus namque Laurentius, dum in urbe Roma archidiaconatus officio fungeretur, et idem in minori adhuc esset Ecclesiastico ordine constitutus, ad principalem palmam martyrii pro vitæ virtute pervenit. Non quærens requiem post laborem, non gaudium eligens post sudorem, sed craticulam præferens cathedræ, ardere magis voluit, quam sedere. Noverat enim ab Apostolo esse præceptum : « Qui » bene ministraverit bonum gradum sibi acquirat<sup>1</sup>. » Acquiret plane, non tam in præsentem hoc sæculo quam in futuro, nec ut hic tantum sedeat, ubi Scribæ et Pharisei reprobantur, sed illic potius, ubi per Evangelium Dominus repromittit dicens : « Sedebitis et vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël<sup>2</sup>. » Istam sedem, istam cathedram, istam admirabilem requiem Laurentius expectabat, ideoque patienter et fortiter illata supplicia perferebat. Superiori vigente (1) desiderio, suppositis ignibus non cedebat; dum enim ardet Christi desiderio, persecutoris pœna non ardet. Quantum autem in eum amor fidei crescit, in tantum supplicii flamma frigescit.

<sup>1</sup> 1 Tim. III, 13. — <sup>2</sup> Matth. XIX, 28.

(1) Cod. *vice boni* absque sensu.

Torquetur quidem persecutoris incendio, sed ex amore succenditur divino. Salvatoris ignis materiale tyranni restinguit ardorem. Quamvis enim in favillam membra solvantur, fidei tamen fortitudo non solvitur. Corporis licet sustineat detrimentum, sed lucrum æternæ salutis acquirit, dicente Apostolo : « Non sunt condignæ passionibus hu- » jus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur » in nobis<sup>1</sup>. »

II. Sed videamus quibus meritis ad istam beatus Laurentius pervenerit dignitatem. Non enim casu quodam hoc accidit, nec personarum acceptor Deus<sup>2</sup>, largitur illi hoc quod aliis forte subtraheret, sed justæ dispensationis judicio remunerat laborantem, et vicem quodammodo restituit operanti. Nam ut beati Laurentii multa præteream, hoc, fratres, quam eximium, quam putatis esse mirabile, quod nec speravit in incerto divitiarum<sup>3</sup>, sed divitias suas et thesauros Ecclesiæ pauperes simul et debiles æstimabat, confidenter dicens tyranno, has solas divitias, hos veros thesauros in pauperibus Ecclesiam possidere. Et revera, fratres, isti sunt thesauri nostri, per quos non solum multa conquirimus, sed ipsum majestatis Dominum facimus debitorem, sicut ipse dicit : « Quamdiu uni ex minimis » meis fecistis, mihi fecistis<sup>4</sup>. » Esurivi enim, et in esuriente cibatus sum; sitivi, et in sitiente potatus sum<sup>5</sup>.

III. Et idcirco, fratres, si ad culmen martyrii cupimus pervenire, omni præsentis vitæ ambitione deposita, istis bonorum operum gradibus Laurentium subsequamur. Sicut enim passione sua illuminavit mundum eo lumine quo accensus est, ita flammis quibus exustus est, omnium christianorum ad fidem corda succendit. Quis autem nolit pro Christo ardere cum Laurentio, ut possit cum Laurentio coronari, qui dum persecutoris flammam vicit, ostendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia superare, et amore Christi Domini diem judicii non timere, cujus

<sup>1</sup> Rom. viii, 18. — <sup>2</sup> Act. x, 34. — <sup>3</sup> 1 Tim. vi, 17. — <sup>4</sup> Matth. xxv, 40.  
— <sup>5</sup> Ibid. 35.



diei ne tunc uratur incendio, cum examinationis tempus advenerit, ante Propheta clamat et dicit: « Ure renes meos et cor meum<sup>1</sup>. » Ure renes, ne nutriant vanitatem, ure cor, ne cogitet vanitatem. Habes enim salutarem ignem, et universis luminibus clariorem, illum de quo Dominus dixit in Evangelio: « Ignem veni mittere in terram, et » quid volo, nisi (1) ut accendatur<sup>2</sup>? » Impleta, Christe, tua voluntas est. Ecce enim hoc accensi igne Cleophas cum socio suo dicunt: « Nonne cor nostrum ardens erat » in nobis, cum aperiret nobis Scripturas<sup>3</sup>. » Hoc accensi igne tres pueri et inter pœnarum flammis, camino æstuante, deambulabant, et igneos globos pedibus illæsi conculcabant<sup>4</sup>. Unde beatus Laurentius non minori est gloria prædicandus. Illi enim inter pœnarum flammis deambulabant, hic in ipso supplicii sui igne discumbit. Illi vestigiis pedum conculcant incendia, hic ferventem craticulam laterum regyraticene suorum devotus restinguit. Illi ad postremum stantes, in pœna elevatis tantum manibus orabant, hic prostratus in pœna toto Christum corpore deprecatur.

<sup>1</sup> Psal. xlv, 2. — <sup>2</sup> Luc. xii, 19. — <sup>3</sup> Id. xxiv, 32. — <sup>4</sup> Dan. iii, 24.

(1) Cod. *quem volo ut accendatur*.

## SERMO LXX.

## In Natali sancti Laurentii II.

*Legitur hoc sancti Laurentii encomium in Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 44 b. Hinc sit in appendice post sermonem Maurinensem cccvii cum numero in Natali sancti Laurentii III.*

## SYNOPSIS.

I. Sancti Xysti et sancti Laurentii colloquium. II. Beati diaconi fortitudo. III. Coronatur tempore pacis. IV. Martyrum festiuitates quomodo celebrandæ.

I. AUDISTIS, fratres charissimi, quod dum perduceretur venerabilis senex Xystus ad passionem, legimus sanctissimum Laurentium martyrem post ipsum clamasse: « Quo progredieris sine filio, pater? quo modo, sacerdos sancte, sine ministro properas? » Legimus etiam venerabilem præsullem voce consolationis paternæ ipsi (1) respondisse: « Non ego te desero, fili, nec derelinquo, sed maiora tibi debentur pro fide Christi certamina. O dulcissime fili, in te pollet præclarior (2) gloria. Te excitat fortior pugna, tibi debetur gloriosior palma. Exhortor te, fili, et moneo, esto vir fortis et præliare Domini bella. Nam de cognatione tua te tuli, et de domo patris tui te eduxi. Cuncta quæ mundi sunt dimisisti; omnia reliquisti et sic bene incæpisti; sed quia modo post triduum pugnarè te oportet,

(1) Cod. *sibi*. — (2) Id. *gloriosior*.

ideo esto vir fortis, præliare bella Domini.» Quod audiens Levita Laurentius cogitabat, quomodo pro Christo carnem subjiat, quomodo hostem dejiciat, quomodo mundum despiciat, quomodo pro Christo mortem suscipiat. Et ecce dum hoc cogitat, post diem tertiam, facto ostenditur patris Xysti venerabilis obedientiæ obtemperator, membrorum Christi pauperum fertilissimus recreator, divinitatis magnificus ampliator, sanctæ fidei solemnissimus defensor, malignorum militantium sævissimus propugnator. Ecce, fratres, quomodo adimplevit patris præcepta; ecce quomodo fuit in cunctis vir fortis; ecce quomodo cucurrit in stadio, et currendo recepit bravium gloriosæ victoriæ.

II. Eia, sancte Levita Laurenti, vir fortissime in conviando, debellando, præliando super omnia fortissima genera tormentorum, quibus corpus tuum sanctissimum tradidisti voluntarie; eia, Martyrum gemma clarissima. Magnum et admirabile spectaculum fidei nostræ, atque propheticum stupendum valde miraculum! « Videbat namque Moyses, quod rubus arderet (1), et non comburetur<sup>1</sup>; » videbat in Spiritu sanctum Laurentium Levitam super ignem positum, nec comburebatur; sed quanto plus a foris comburi videbatur, tanto plus intus divino amore ardere videbatur. Ecce, fratres, quomodo fuit vir fortis in vinculis, in carceribus, in scorpionibus, in facibus, in lampadibus, in laminis plumbeis, in unguulis ferreis, in lecto ignito, in crate, in furcis ferreis, in carbonibus vivissimis. Ecce quomodo rubus iste corporaliter ardet, nec tamen comburitur intus, sed semper, ut diximus, fortius accenditur. Et quomodo hoc scimus? Per vocis signa (2). Ipsæ namque voces (3) sunt signa earum quæ sunt in anima passionum. Istæ (4), quod intus etiam latet, numquid ad exteriora membra non (5) denuntiant? Ecce ergo

<sup>1</sup> Exod. III, 2.

(1) Cod. male ardebat... comburebatur. — (2) Id. per voces et signa. — (3) Id. male ipsa denique signa sunt signa ei earum. — (4) Id. nota. — (5) Deest non in cod., ut semper, et sic deinceps.

Levita Laurentius, id quod intus latebat, jam amplius celare (1) non potest. Clamat ergo Laurentius, vociferatur cardo orbis terræ (2); amplius tacere (3) non potest; silere (4) namque non amplius eum decet: «Disce, inquit, miser, quia carbonem tui non ardorem, sed refrigerium mihi præstant.» O magnum, o (5) mirabile, o grande spectaculum! o fidei sanctæ exemplum! Ignis namque (6) præ omnibus agentibus est potentissimus in imprimendo, velocissimus in alterando, acutissimus in penetrando, acerbissimus in affligendo; et beatus Levita Laurentius ignem potentissimum superat, velocissimum temperat, acutissimum mactat, acerbissimum valenter deglutit.

III. O sancte Levita Christi, Christianorum protector, viduarum consolator, pauperum et orphanorum amator, bonorum Ecclesiæ optimus dispensator! Vere hodie decoraris inter omnes Martyres, et demonstraris nomine famosissimus, signis præclarissimus, festo solemnissimus, in throno sublimissimus. Unde hoc, nisi gratia Dei? unde hoc, quia bene incepit, et melius in cunctis perseveravit, in tantum ut etiam tempore pacis coronam martyrii suscipere dignaretur? Sed dicet quis: Quomodo tempore pacis invenit coronam? Numquid sanctus Papa Xystus martyrium jam de propinquo non receperat? numquid non et cum eo Felicissimus et Agapitus, sanctæ Ecclesiæ Cardinales (7)? Quomodo ergo tempore pacis coronam martyrii adinvenit Laurentius? Sed breviter nunc loquendo, tempus (8) pacis appello, quod Romæ fideles pacifice vivere poterant, et sine persecutione. Sed quia Decius thesaurum apud Christianos esse sciebat, cupiens Ecclesiarum thesaurum expoliare, sanctum Ecclesiæ caput aggreditur, et renuens Xystus capitur et occiditur. Sed si thesaurum Imperatori dedisset, fratres, sanctum martyrium non suscepisset; sed quia contempsit

(1) Cod. male *latere*. — (2) Hæc difficilia intellectu, nisi respicias ad voces, quæ paulo post sequuntur, *ecclesiæ Cardinales*. — (3) Cod. *tenere*. — (4) Id. *scire*. — (5) Deest *o* in cod. — (6) Id. *denique*. — (7) Cardinales nondum erant instituti tempore sancti Xysti, nec etiam sancti Augustini; unde erudit evidenter novitas horum sermonum. — (8) Cod. *tempore*.

occiditur, et impius Christianos cunctos Imperator persequitur. Similis etiam ratio de Laurentio designatur; et ideo diximus, quod tempore pacis coronam adinvenit martyrii.

IV. Nos vero, fideles, quid Levita Laurentius egerit, attendamus, quia in stadio positi sumus; currere namque festinanter debemus, ut cum sancto viro Laurentio bravium suscipere mereamur jucunditatis. Celebremus ergo ejus festum (1), ut et ipse hanc nobis gratiam impetret, cujus memoriam solemnem facimus, non tantum corporalibus operibus abstinendo, sed etiam ejus virtutes recolendo. Toties enim natalia Sanctorum celebramus, quoties eorum virtutes recolimus, quibus claruerunt in terris. Et ad gloriam illius totum referamus, sine cujus gratia nihil boni cogitare possumus. Melius, ut arbitror, faceret homo in agro aliquid utile, quam frequenter in foro otiosus existeret (2); et melius fœminæ nostræ lanam vel linum texerent (3), quam in diebus Dominicis vagando plateas considerarent, impudice respicerent, et impudicitius salutarent vel salutarerent. Dominico enim die a labore terreno cessandum est, et orationibus insistendum (4), ut si quid negligenter per sex dies agitur, per diem Dominicæ resurrectionis precibus expiatur. Valde enim absurdum nimia securitate veile sanctum Martyrem honorare, quem scimus Deo placuisse. Quid enim prodest interesse festivitatis (5) hominum, si contingat te deesse festivitatis Angelorum? Si desinas ab omnibus sæcularibus, et nihil mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad Ecclesiam convenias, divinis lectionibus aurem præbeas, de cælestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad

(1) Hæ voces, *ejus festum*, sensu requisitæ, desunt in cod., sicut et deinde verbum *facimus*. — (2) Cod. *existere*. — (3) Id. *texere*, et sic deinceps *considerare... respicere... salutare et salutari*. Quæ corrigenda, ul fecimus, nisi legas *melius esset fœminis nostris*. — (4) Id. *insistendo*. — (5) Hæc vox deest in cod.

visibilia, sed ad invisibilia et futura : hæc est observatio Legis Christianæ. Sic et Deus laudari vult, sic suos Martyres venerari. Hæc est summa festivitas, et dum eorum merita recolimus, patrocinia eorum sentire non dubitemus ; quod nobis concedat qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

---

### SERMO LXXI.

In festo Assumptionis Beatæ Mariæ virginis.

*Sit in appendice iste sermo, licet dignus qui legatur, tum quia legitur in Bibl. Ædil. Cod. x., fol. 45, tum quia apertius mentitur scriptor, se modo Levitam, modo Episcopum asserendo. Locus ejus post sermonem Maurinensem cccviii, cum numero in festo Assumptionis B. Mariæ ii.*

### SYNOPSIS.

I. Timet scriptor de Maria loqui, cinis et peccator, sed Dei gratia adjutus loqui præsumit. II. Maria sine peccato. III. Ejus invocatio et encomium. IV. Cautè ambulandum, ita ut removeatur vel memoria fœminarum. V. Quam periculosa fœminarum conversatio. VI. Sancti Ambrosii pulcherrima ea de re doctrina.

I. Ego pulvis et cinis, qui et loquor vobis ; propterea erubesco de Virgine aliquid dicere. Nam postquam virginitatem me amisisse cognovi, nunquam tanto fervore virginitatem Gentibus prædicavi, ne mihi dicatur : « Medice,

» cura te ipsum<sup>1</sup>. » Et quid mirum, si mihi hoc quotidie diceretur? Numquid non (1) tanquam jumentum, triginta annis et amplius computrivi in stercorebus peccatorum meorum? Quomodo ergo loquar vobis quorum conversatio in cælis est<sup>2</sup>? Numquid non ego tanquam pulvis et cinis, quem projecit ventus a facie terræ<sup>3</sup>? Cujus hactenus contemptibilis et miserabilis vita fuit, et sic sermo contemnendus efficitur. Numquid vos non (2) eremi cultores, cælorum cives sanctorum, et domestici Dei<sup>4</sup>, qui vere sapitis, quæ Dei sunt et non quæ super terram<sup>5</sup>? numquid non etiam puer inter vos sensu et sapientia? Unde ergo tam superba præsumptio, ut indoctus inter sapientes, juvenis inter senes, filius inter patres, Levita (5) inter Sacerdotes, audeat proferre sermonem? Contremisco elationis supercilio, ut lutum de figulo, opus de opifice, creatura de Matre Creatoris, infimus de supremo, peccator de illa quæ peccatum nescivit, præsumat aliquid fabulari. Verum contra hanc excusationis arrogantiam duplicem adveni excusationis viam, quarum prima est charitas vestræ dilectionis, et immensitas divinæ bonitatis. Potens est enim Dominus, ut loquatur in servo suo peccatore et immundo, qui locutus est in jumento<sup>6</sup>; et qui aperuit os asinæ ad loquendum, aperiat cor et os meum per gratiam suam, ut digne narrare possim nomen suæ Matris vobis fratribus et presbyteris meis.

II. Festivitas hodierna, fratres dilectissimi, tanto nobis debet esse devotior, quanto illa cujus (4) memoriam agimus, cunctis gentibus fuit sæcundior, cunctis apparuit sanctior, cunctis intus et foris pulchrior, cunctis sapientior, gloriosior, gratiosior, omnibus creaturis perfectior.

<sup>1</sup> Luc. iv, 23. — <sup>2</sup> Philip. iii, 20 — <sup>3</sup> Psal. i, 4. — <sup>4</sup> Ephes. ii, 19. — <sup>5</sup> Coloss. iii, 4. — <sup>6</sup> Num. xxii, 28.

(1) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (2) Desunt hæc verba *vos non* in cod. — (3) Nota auctorem qui scripsit hunc sermonem, hic se Levitam uominare et deinde Episcopum asserere. — (4) Cod. *quanto illam memoriam*.

Non solum in vita, sed in ventre sanctificata, super omnes alias creaturas, morte jam per eam devicta, nobis attulit vitam sempiternam. Hæc est enim illa gemma gloriosa Paradisi, de qua supra diximus, quam propter honorem Dei (1) honoravimus in libello, quem nos edidimus nuper de Natura et Gratia, dicentes (2): «Cum de peccatis agitur, nullam prorsus de Maria habere volo quæstionem (3).» Unde enim scimus quod ei plus collatum fuit gratiæ ad vincendum ex omni parte peccatum, quam alicui de sœmina nate. Et miraris si hoc audis? Nequaquam, fratres, mirari debemus, quia concipere ac parere meruit illum, quem constat nullum habuisse peccatum. Virgine igitur ista excepta, si omnes Sanctos et Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utram essent sine peccato, quid fuisset responsum putamus, nisi quod ille sanctus Joannes ait: «Si dixerimus quod peccatum non habemus, mentimur, et veritas in nobis non est<sup>1</sup>?» Hæc est illa Angelorum domina, cunctis felicior, cunctis beatior, cunctis purior, quæ prius Christum fide concepit, quam carne. Materna enim propinquitas nil ei profuisset, nisi prius ipsum feliciter fide, quam carne, gestasset. Beatus igitur dicitur venter Mariæ, non tantum quia in eo Verbum caro factum est<sup>2</sup>, sed quia verbum Dei super omnes operando custodivit. Quid igitur, fratres, nobiliter Dei Matre? quid splendidius ea, quam Patris splendor elegit? quid castius ea quæ corpus sine contagione corporis, Deum et hominem generavit? Virgo quippe super omnes virgines fait, non solum corpore, sed et mente; corde humilis, verbis grata, animo prudens, loquendi peritior, legendi studiosior, non in (4) incremento divitiarum, sed

<sup>1</sup> 1 Joan. 1, 8. — <sup>2</sup> Joan. 1, 14.

(1) Cod. male *propter quem honorem Deum*. — (2) Deest verbum *dicentes* in cod. — (3) S. Augustin. de Natura et Gratia, cap. xxxvi, num. 62.  
 (4) Deest *in* apud eod.



SERMO LXXI, IN FËSTO ASSUMPT. B. MARIE VIRG. 375  
 in prece pauperum et viduarum mentem reponens (1),  
 intenta operi, verecunda sermone. Arbitrum mentis, non  
 hominem, sed Deum quærere, nullum verbo vel facto læ-  
 dere, omnibus bene velle, majoribus assurgere, æqualibus  
 non invidere, jactantiam fugere, rationem sequi, virtu-  
 tem amare, hæc enim fuit sanctæ Virginis vita; hæc enim  
 fuit nostrum in cunctis documentum et doctrina; hæc  
 extitit tota fiducia peccatorum et gloria; hæc est enim  
 plena omni misericordia. Dicite mihi, fratres, dicant si-  
 milliter et Judæi, qui Mariam venerabantur (2), qui Ma-  
 riam videre concurrebant, qui Mariam audiebant ut  
 Angelum Dei, licet Matrem Dei esse non crederent;  
 dicant et ipsi, quando viderunt, vel audire potuerunt,  
 quod Maria fastidiverit humilem, quod (5) repulerit debi-  
 lem vel inopem. Verum, fratres mei, quod nec in oculis,  
 nec in verbis, nec in actu, nec in gestu, nec in progressu,  
 nec in audita, nec in olfactu aliquid, nisi sanctum et jus-  
 tum, invenire potuerunt in Maria, ut digne talis appareret  
 hominibus in corporis specie, sicut intus erat simulacrum  
 sanctitatis in mente. Talem hanc Evangelista monstravit;  
 talem Angelus cælorum major reperit; talem Pater, Filius et  
 Spiritus sanctus elegerunt et præelegerunt ante mundi con-  
 stitutionem, ut Mater esset Dei æterni, plena omni gratia et  
 veritate, ut nemo sit qui abscondat se a calore<sup>1</sup> sanctitatis et  
 misericordiæ ejus. Quid ergo, fratres, de Maria dicemus?  
 Talis denique fuit, ut ejus vita sit omnium disciplina.

III. Merito omnes generationes te laudant et magnificent, o  
 Virgo prudentissima. Numquid tu, Virgo gloriosa, omnibus  
 generationibus vitam et gloriam non (4) genuisti; tu cælo gau-  
 dium, Angeli lætitiâ, justis gloriam, peccatoribus veniam?  
 Merito super omnes generationes hodie sublimaris, et a cunc-

<sup>1</sup> Psal. xviii, 7.

(1) Cod. *pauperum intenta et viduarum reponens intenta operi, verecundo sermone.* — (2) Id. *venerantur, quia.* — '3, Id. *quando,* et sic deinceps. Deest *in* ante *oculis.* — (4) Deest *non* in cod., et sic deinceps.

tis creaturis hodie magnificaris, quia in te, de te, et per te, quidquid boni recepimus et recepturi sumus, recipere cognovimus. Tu ergo, Maria, sola patrona humani generis, tu afflictis medica singularis, tu desolatis mater et refrigerium, tu in mare navigantibus salus et remedium, tu viduarum maritus et refugium, tu latronum dulce receptaculum, tu desperatorum lux et sustentaculum, tu defunctorum advocata et pabulum, tu Patriarcharum et Prophetarum suave convivium, tu Apostolorum vita et spectaculum, tu Confessorum magistra et ab aestu umbraculum, tu Virginum domina et earum sustentaculum. Ergo, Virgo prudentissima, hodie benedicta et venerabilis prædicaris in tua mirabili Assumptione. Benedicta (1) anima tua sanctissima simul unita cum venerabili corpore ab omnibus generationibus et super omnes generationes in æternum et ultra.

IV. Nos ergo, dilectissimi fratres, qui (2) nomen et habitum sanctæ religionis patenter portamus, videamus quomodo caute ambulemus<sup>1</sup>; nam totus mundus in maligno positus est<sup>2</sup>, et adversarius noster diabolus jam regnare in mundo videtur, cupiens nos seducere et trahere ad se, nunc superbiendo, nunc luxuriando, nunc invidendo, nunc detrahendo, nunc etiam cogitando, nunc etiam consentiendo, nunc et operando subvertere nos conatur. Nos vero, dum hæc omnia patimur, ad Mariam recurrere non differamus. Habet enim gladium bis acutum, ut nos ab hoste maligno tam cito defendat. Cavere denique summe debemus, ne occasionem peccandi diabolo demus. Nam ideo mundum reliquimus, et in hac vasta solitudine habitamus, ut peccata fortius vitare possimus. Non enim sufficit tantum fœminam non videre, sed fœminarum memoriam a corde penitus eradicare debemus. Sanc-

<sup>1</sup> Ephes. v, 15. — <sup>2</sup> 1 Joan. v, 19.

(1) Deest vox *benedicta* in cod. — (2) Deest *qui* in cod.

tus namque (1) ille Joannes in utero matris sanctificatus, matrem sanctissimam habuisse non dubitamus. Numquid non et magni sacerdotis Zachariæ filius extitit? Et tamen nec patris opibus, nec matris blanditiis et affectibus, in domo parentum suorum (2) manere voluit, sed a (3) tenerrimis annis, opibus cunctis dimissis, perrexit ad eremum, ne florem suæ fœcundæ virginitatis per diabolum posset amittere. Samson, virorum fortissimus, leonem suffocavit; sed fœminam videndo, amorem suum suffocare non potuit; vincula fregit inimicorum, sed suarum non solvit nexus carnalium voluptatum; messes incendit alienas, sed incendium suæ libidinis extinguere noluit, et sic messem suæ virtutis amisit.

V. O fratres, si Mariæ placere volumus, fœminas omnes despiciamus, ipsamque solam capiamus æternam. Nam de carbonibus scintillæ exeunt, de ferro rubigo nutritur, de aspide venenum mortiferum; sic et de muliere luxuria, nunc videndo, nunc loquendo progreditur. Nam fœmina super cuncta psallere delectatur, licet verecunda appareat, cujus cantum audire imperfectius est et magis mortiferum, quam basiliscum sibilantem. Mementote etiam, fratres, quod Thamar ab Amon fratre suo corrupta sit propter diurnam et frequentem insimul mansionem. Nihil denique, fratres mei, esse sentio, quod magis animum virilem dejiciat et succumbere faciat, quam fœminarum blandimenta et conversatio nimia; et quanto religiosiores videntur, tanto citius alliciunt. Sub habitu sanctitatis et pietatis latet venenum libidinis. Experto, fratres mei, credite; Episcopus loquor coram Deo et vobis, quia non mentior. Longas cedros Libani, magnos duces gregum, famosissimosque omni sanctitate ornatos hac peste cecidisse conspexi; de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosii (4) vel Hieronymi impudica turpitudine.

(1) Cod. *denique*. — (2) Id. *dum*. — (3) Deest *a* in cod. — (4) Cod. *vel tantum de Ambrosio*.

Numquam enim mulieres frequenter videre debemus, et si possibile est nunquam de talibus loqui, vel disputare utrum pulchrior hæc vel illa, si Mariæ placere intendimus. Denique attendite, fratres mei, quid dixerit magnus ille Cato de fœminis: « Si absque fœmina esset mundus, nostra conversatio non esset absque diis. » Non ergo licet clericis fœminarum conversationem habere. Numquid ipsa diaboli janua non est? numquid non via iniquitatis? numquid non scorpionis percussio? numquid non omnium malorum genus est et caput? Nam dum appropinquat, stimulat; mox ignem visu accendit, flammigero igne lumbos comburit, conscientiam intuentis destruit, et fundamenta sanctitatis in brevi evertit.

VI. Quid enim mihi pater venerabilis Ambrosius dixit, fratres, audite: « Matrem tuam ita videas, ne per illam alias fœminas videre coneris. Ancillulas, quæ illi obsequio sunt, scias tibi esse insidias, et quanto vilior est earum conditio, faciliorem agnosce tuam esse ruinam. Pulchra denique cito adamatur, et fœtida raro despicitur. Quis gloriabitur castum se habere cor? » Hæc enim fuit inter cætera venerabilis patris Ambrosii doctrina, quam omnes nos usque ad mortem tenere debemus. Adjuvet autem nos, et interpellet pro nobis Dei Mater (1) alma, quæ meruit hodierna die super omnes choros Angelorum exaltari, ut, destructis vitiis et bravio salutis adepto, pervenire mereamur ad gloriam æternam. Amen.

(1) Cod. *et alma.*

SERMO LXXII.

In festo sancti Andreæ apostoli.

*Cum eruatur hic sermo ex Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 37 b, et deinde citetur Avicenna medicus, qui undecimo sæculo mortuus est, sit locus ejus in appendice post sermonem Maurinensem CCIX.*

SYNOPSIS.

I. Andreæ vocatio. II. Discrimen inter vocationem, electionem et assumptionem. III. Omnes vocat Christus, sed non eligit nisi humiles et pauperes. IV. Andreæ martyrium in cruce, qui nobis imitandus proponitur.

I. AUDIVIMUS, fratres charissimi, quod dum perambulare Dominus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, et ait illis: « Venite post me, faciam vos piscatores fieri et animarum<sup>1</sup>. » Et sic assumpsit eos de aquis multis<sup>2</sup>. Vocaverat enim Dominus prius Andream; quia dum Joannes diceret de Christo: « Ecce Agnus<sup>3</sup>, » mox Andreas Christo credidit, et sic, relicto Joanne magistro suo, secutus est Christum magistrum; relicto Joanne, secutus est Jesum; relicta creatura, secutus est Creatorem. Et ait: « Magister, ubi habitas<sup>4</sup>? » Et ait: « Venite, et videte<sup>5</sup>. » Et quo

<sup>1</sup> Matth. iv, 19. — <sup>2</sup> Psal. xvii, 17. — <sup>3</sup> Joan. 1, 36. — <sup>4</sup> Ibid. 38. — <sup>5</sup> Ibid. 39.

duxit eos , nisi in templum ? Illa erat domus Dei , et aliam mansionem non habebat Salvator. Et visis a Christo miraculis , corpore recessit a Christo currens ad Petrum , et ait : « Invenimus Messiam qui dicitur Christus <sup>1</sup>. » Et ambo facti sunt piscatores animarum , sal terræ et lux mundi , rectores terræ , magistri generales Ecclesiæ , senatores cœlestis curiæ.

II. Sed sciendum est quod alia est vocatio , alia electio , et alia assumptio : « Multi namque (1) sunt vocati , pauci » vero electi <sup>2</sup>, » sed paucissimi assumpti in atriis Domini. Vocavit Salvator multos per prædicationem , elegit paucos per inspirationem , et assumpsit paucissimos per pietatem et miserationem in die novissimo. Vocavit enim Salvator Judam per prædicationem , et elegit per inspirationem , in tantum quod ipsi (2) dedit potestatem mysteriorum , fugandi dæmonia et faciendi miracula. Elegit eum ad apostolatam , sed non assumpsit ad curiæ cœlestis principatum. Quare non assumpsit ? quia non perseveravit in fide. Ideo , fratres , cavendum nobis est , ne cum Juda pereamus. Ecce jam vocati sumus per gratiam , jam electi , sed nondum assumpti sumus in Sanctorum consortio. Pensate , fratres mei , pensemus et nos , quod soli assumpto beatitudo promittitur. Solus ille beatus est , non qui de mundo vocatus est , non (3) qui electus est , sed qui bene assumptus est : ille vere (4) beatus est , qui sic in cœlum ingressus est.

III. Tamen ipse animarum zelator semper vocare non desinit superbos et humiles , divites et pauperes , nobiles et ignobiles ; sed non elegit nisi humiles , et pauperes , et ignobiles , ut fortia quæque confundat. Non elegit Platonem philosophum , non Aristotelem dialecticum , non Socratem et Ciceronem rhetoricum , non Avicennam medicum (5) ;

: Joan. 1, 41. — <sup>2</sup> Matth. xx, 16.

(1) Cod. *denique*. — (2) Id. *sibi*, et sic deinceps. — (3) Hic transpositio evidens est in cod., qui habet : *Non qui electus est, sed qui bene assumptus est, qui de mundo vocatus est.* — (4) Cod. *vero*, et sic deinceps. — (5) Avicenna medicus natus est anno 980, et mortuus an. 1036.

nec istos elegit, quia totum tempus vitæ suæ consumpserunt in perscrutandis novitatibus naturæ. Non elegit mundi sapientes, sed idiotas et piscatores, Petrum et Andream, Jacobum et Joannem. Isti insipientes appellati sunt; sed quis sapientior Petro, in cujus umbra sanantur infirmi<sup>1</sup>, mortui ad ejus vocem reviviscunt<sup>2</sup>, Angeli ipsi obediunt? Insipiens appellatur Joannes, quia piscator erat; sed quis sapiens sit ut ipse, qui cælum meruit penetrare? Insipiens et Jacobus dicitur; sed quis eo melius naturas hominum investigavit? Confundantur ergo sapientes mundi, quoniam insipientes Apostoli et idiotæ appellati sunt ab eis, et ecce triumphatores, quorum «Vita insania reputabatur, et vita eorum sine honore; et ecce quomodo collocati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos, » et super Sanctos, » sors (1) illorum » est<sup>3</sup>. » Sic enim Andreas vocatus est, sic in apostolatam (2) electus est. Sic enim elegit Christus piscatores, ut superborum cervices humiliaret; elegit debilem, ut faceret fortem; elegit pauperem, ut faceret divitem; elegit indoctum, ut faceret doctum; elegit injustum, ut faceret justum; elegit superbum, ut faceret humilem; elegit mortuum, ut faceret vivum; elegit de maris tempestate, ut perduceret ad portum tranquillitatis. Tunc vere elegit, tunc vere vocavit, tunc maxime et assumpsit. Sed per quid assumpsit, nisi per tribulationes?

IV. Tandem cum esset gloriosus Christi Apostolus fere centenarius, capitur, verberatur, fame perimitur (5), vigiliis maceratur, sacrum ejus corpus per terram trahitur, tandem crucifigitur, et corpus Sæül a Philistæis suspenditur, et biduo in cruce, velut in deliciis vivens, viginti milibus instantier prædicavit; et sic, ut ait sanctus martyr Cyprianus, hora nona, sextaque feria, migravit ad cælum. Nos vero, fratres, sanctum Dei Apostolum imitari debemus. Homines namque sumus, sicut et ipse stetit. Stetit

<sup>1</sup> Act. v, 15. — <sup>2</sup> Ibid. 40. — <sup>3</sup> Sap. v, 4, 5.

(1) Deest sors in cod. — (2) Cod. in apostolatu. — (3) Id. percutitur.

sanctus Apostolus, et non abiit post aurum<sup>1</sup>, non abiit vitis consentiendo; sed stetit vitis resistendo, sedit in docendo. Nam quidam in præsentis sæculo trahuntur inviti, quibus necessaria est fortitudo; quidam trahuntur illecti, quibus necessaria est temperantia; quidam trahuntur seducti, quibus necessaria est prudentia; quidam trahuntur sponte, quibus necessaria est justitia. Si sic fortitudine, temperantia, prudentia et justitia armati fuerimus, erimus cum Andrea, corpore crucifixi et triumphatores cum eo in gloria; sed si contrarium fecerimus, necesse erit ut suspendamur cum Achitophel, propter defectum doctrinæ; suspendamur cum Amon, propter abusum lasciviæ; suspendamur cum Juda, propter defectum pœnitentiæ; suspendamur cum Absalom, propter defectum perseverantiæ (1). Achitophel indiscretus fuit in consilio, ideo periit; Amon superbia et lascivia inordinatus fuit, ideo periit; Judas periit, quia (2) non pœnituit; Absalom suspensus periit, quia post reconciliationem patris, in pace non permansit. Igitur, fratres, qui vocati sumus et electi, si cum Apostolo cupimus assumi, simus obedientes, attendentes quid nobis præcipiatur. Quid enim, nisi ut Deum toto corde diligamus, qui est supra nos; animam nostram diligamus (3), quæ est intra nos; proximum diligamus, qui est infra nos? Sic erimus obedientes, sic viriles, sic malorum supplantatores, sic Deo grati, sic corpore et mente præelecti, ut cum vocaverit, faciat nos piscatores hominum Dominus Jesus Christus. Amen.

<sup>1</sup> Eccli. xxxi, 8.

(1) Deest hæc dimidiata phrasid in cod.—(2) Cod. *qui*.—(3) Id. *diligimus*.



## SERMO LXXIII.

De sancto Nicolao pontifice.

*Hoc sancti Nicolai Pontificis Myrensis encomium, utpote erutum ex Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 49, et ridicula de infantia Sancti facta continens, inter apocrypha merito amandatur. Locus ejus post præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Magnus Nicolaüs, quia humilis. II. Miram Nicolai vitam debemus imitari. III. Si non possumus sequi Christum per viam rubicundam, illum sequamur per viam candidam. IV. Diversa humilitatis genera. V. Paganorum testimoniis confirmatur doctrina humilitatis. VI. Humilitatis encomium. VII. Sancti Nicolai humilitas.

I. AUDISTIS, fratres charissimi, nuper in Evangelio quod « Quicumque non humiliaverit se, sicut parvulus, non intrabit in regnum cœlorum<sup>1</sup>. » Verba sunt Salvatoris, quæ nunc me cantantem audivistis per os meum. Emerserat enim quæstio inter Apostolos, quis eorum esset major. Sed quia hæc erat Pharisæorum petitio, qui amabant primas cathedras in synagogis, et salutari in foro, et vocari Rabbi<sup>2</sup>, ideo humilitatis Magister ad humilitatem eos revocans,

<sup>1</sup> Matth. xviii, 5. — <sup>2</sup> Marc. xii, 38.

statuit parvulum, Martialem nomine (1), qui postea Apostolorum discipulus fuit. in medio eorum, et dixit: « Qui non humiliaverit se sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum. » Ac si dicat Magister: Qui non erit humilis (2) beneficio virtutis, sicut hic parvulus beneficio ætatis, non intrabit in regnum cœlorum. Salva tamen omni reverentia Salvatoris, possunt hæc verba solemnitati hodiernæ congrue convenire. Nam licet sanctissimus Nicolaus Myrensis episcopus jam annis centum sint ex quo (3) a sæculo migravit, gloriose tamen ejus memoria non solum Christianis, sed etiam Judæis gloriosa habetur. Ecclesia namque sancta, velut acies ordinata<sup>1</sup>, in acie præliantium præmittit fortiores, in fine ordinat fortissimos, et in medio (4) pavidos; sic in nostra sancta primitiva Ecclesia fortes fuerunt (5), qui primos impetus belli istius sæculi sustinuerunt, qui Ecclesiam Dei primo fundaverunt sanguine suo; in fine erunt fortissimi, quorum erit tanta (6) tribulatio, quod (7), si fieri possit, movebuntur ipsi electi<sup>2</sup>; temporibus vero nostris gens quædam est, cujus pars vix credere sufficit; ideo tanquam debiles et pavidus, positi sumus in medio præliantium, scilicet inter Apostolos, Patriarchas et Prophetas, et qui nos sequentur fortissimi temporibus Antichristi. Ad vos tamen, qui debiles estis, hodie mater Ecclesia clamat, sicut mater ad filios, tanquam uxor ad virum, tanquam magister ad discipulos, verba quæ ex ore meo audistis: « Qui non humiliaverit se etc. » ac si dicat sancta mater Ecclesia: Tu qui superbus es, aspice hunc parvulum jam sanctitate plenum, jam abstinentia decoratum in cunis (8), jam humilitate perfectum in gratia.

II. Erigite, erigite oculos mentis vestræ, o vos mundi

<sup>1</sup> Cant. vi, 3. — <sup>2</sup> Matth. xxiv, 24.

(1) Diu credita est hæc fabula de sancto Martiali, quæ nunc penitus exploratur. — (2) Cod. *similis*. — (3) Id. *quod*. — (4) In cod. *deest in medio*. — (5) Cod. *male fratres*. — (6) Id. *tam*. — (7) Ut latinus foret sermo, scribendum fuisset *ut... moveantur*. — (8) Cod. *in cuna*.

amatores; aspiciate hunc parvulum, et videntes quæ agit, alta voce dicetis: Ecce alter Isaac ab Angelo nuntiatus; ecce velut alter Samson ab Angelo prædicatus; ecce, ut æstimo, velut alter Joannes in abstinentia mirificatus, imo plus quam Joannes. Nam Joannes annorum quinque erat, dum desertum intravit, sed ecce alter Joannes in vase statim post ortum per se firmus stetit, et his mox cœpit in hebdomada semel bibere mammas (1). Ecce ergo alter Joannes in utero sanctificatus; ecce alter novi Zachariæ genitus, ecce alterius Elisabeth filius. Ecce Joannes pœnitentiam prædicans, cæcos illuminans, pauperes ditans et corda hominum convertens ad Christum. O stupenda et mira novitas, quam audientes Judæi mirantur, quam Christiani videntes lætantur, quam Pagani et Hæretici nauseantes confunduntur, dicentes: Novum hodie super terram fecit Dominus, quoniam a nata creatura (2) Deus demonstratur, et videtur cognosci (3)! Quis est iste puer? Nicolaius mansuetudine plenus, charitate decoratus, misericordia dives, virginitate ditatus, et columbina simplicitate jucundus, hodie cunctis demonstratur. Quid ergo dicant juvenes nostri, hæc audientes, audiamus, fratres. O quam difficile est sequi viam illius viri! o quam amara, o quam pœnosa! Nam non possum, velut hic, per ipsam transire; nam latro «Sedet cum divitibus in occultis, ut interficiat» innocentem<sup>1</sup>. «Timendus est latro iste, qui me expectat, a quo sine malo discedere non possum; timendi sunt isti latrones, quia fortes sunt, quorum unus clamat, alter adlatur, alter insidiando me occidere quærit. Nam ille eximius Prophetarum titubans clamabat: «Libera me a persequen-» tibus me<sup>2</sup>. » Petrus hoc timens titubando dicebat: «Ga-» leam salutis suscipite, ut possitis resistere<sup>3</sup>. » Quid talibus Ecclesia mater respondeat, audite: « Qui non humiliaverit

<sup>1</sup> Psal. H, x, 8. — <sup>2</sup> Psal. VII, 2. — <sup>3</sup> Ephes. VI, 17.

(1) Meræ et pueriles fabulæ, quas credat qui voluerit. — (2) *Co. l. nata creatura.* — (3) *Id. cognoscere.*

» se, sicut parvulus iste, non poterit » resistere, nec « intrare  
» in regnum cœlorum<sup>1</sup>. »

III. O amatores vitæ præsentis, o filii, fratres charissimi, tollite loricam, lanceam et gladium Patris vestri, et sic ad pugnam pergite : accipite loricam fidei, lanceam spei, et gladium charitatis : hæc enim tria cœlestis Pater pro testamento reliquit, quando dixit : « Si quis vult post me venire, tollat crucem suam et sequatur me<sup>2</sup>. » Sed dicent : Ego Christus non sum, nec Apostolus ejus sum, nec velut Stephanus esse possum. Ad quem mater : Noli timere, fili mi, quoniam alia via est ; nam si Magistrum sequi non possis (1) per viam rubeam, saltem sequere eum per candidam ; nam ipse « Dilectus candidus et rubicundus<sup>3</sup> ; » nam vidimus eum euntem per viam rubicundam, in horto ligatum, colaphis expalmatum, sputis illitum, flagellis cæsam, spinis coronatum, opprobriis saturatum, in patibulo et post mortem lanceatum. Hæc enim fuit rubicunda humilitatis via. Numquid etiam non (2) humiliatum vidimus in præsepio, humiliter pendentem ad ubera sanctæ Virginis Mariæ, qui suo palmo cuncta concludit, quem cœlum et terra capere non poterat, suppositum et oblatum in manibus Sacerdotum, et collocatum in ulnis servi sui sancti Simeonis ? Vidimus eum etiam cum parentibus suis in Nazareth, et subditus erat illis<sup>4</sup>. Numquid etiam non vidimus caput verendum Angelis, timendum regibus, inclinari sub manibus Baptistæ ? Ergo, fratres, si non creditis posse incedere per viam rubicundam, omnino per viam humilitatis expedit vos transire.

IV. Nam sunt aliqui humiles, qui cum vident laborem, et dolorem considerant, potius (5) deponunt se, quam aliquod arduum et notabile aggrediantur. Sunt quidam alii, dum succedit eis si tetigerit eos manus Domini, exardescunt, et statim ponunt in cœlum os suum. Sunt et alii qui

<sup>1</sup> Matth. XVIII, 5. — <sup>2</sup> Id. XVI, 24. — <sup>3</sup> Cant. V, 10. — <sup>4</sup> Luc. II, 51.

(1) Cod. poteris. — (2) Deest non in cod., et sic deinceps — (3) Cod. et potius.

humiliantur, ut ascendant, et aliqui, ut evadant. Prima est humilitas domestica, secunda est erratica, tertia sophistica, sed quarta est sancta et Dominica. Prima enim est naturalis, secunda volatilis, tertia versipellis, quarta admirabilis : per primam incedunt pusillanimes, per secundam murmuratores, per tertiam hypocritæ, per quartam columbæ et simplices, sicut hic sanctus Nicolaius, qui nunc parvulus dicitur non diminutione staturæ, sed ratione perfectæ humilitatis. Humiles ergo estote, fratres, et audite Paulum Doctorem Gentium dicentem : « Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci <sup>1</sup>. » Juxta ergo doctrinam Pauli, majores tuos honora, scilicet verbo et opere; pares tuos honore prævenias; infirmos in fide suscipe; « Hoc fac et vives <sup>2</sup>. » Nam et noster pater Nicolaius, cum vocatus esset a Domino, ut sederet in cathedra cum senatoribus terræ, hanc humilitatem habuit; ideo in cælis modo cum cælorum civibus ivit. Ecce enim, fratres, prima porta Paradisi est humilitas. « Qui non humiliaverit se, sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cælorum. »

V. Audite etiam philosophum; cum quæsitum esset ab eo, quæ necessaria erant ad studendi formam, ait : « Super omnia mens humilis, frequens studium quærendi, vita quieta, scrutinium tacitum, paupertas et terra aliena. » Attendite quia proposuit humilitatem, et in tribus determinavit eam. Cavete ergo, fratres, ne despiciatis eam, quæ Paradisum vobis aperuit, nec addiscere erubescatis ab aliquo. Nam paganus ille Demosthenes philosophus, usque ad canos sapientiam acquirere non erubuit; tandem veniens ad mortem dolere et lacrymari fortiter cœpit, dicens : « Tunc aliquid intelligere cœpi. » Plato etiam dum esset annorum octoginta, et infirmaretur, usque ad ultimam suam infirmitatem ab inquirendo, nec a legendo, nec a scribendo cessavit. Socrates nonaginta novem annis

<sup>1</sup> 1 Cor. ix, 19. — <sup>2</sup> Luc. x, 28.

quibus vixit, semper scripsit et docuit, ita ut (1) etiam in carcere positus disputare cum humilitate cum latronibus captivus non cessaret. Cato, cum vir sapientissimus esset, et ad senectutem devenisset, græcas litteras a rusticis ad discere non erubuit.

VI. O sancta et perfecta virtus humilitatis, sine qua nullum bonum esse potest, et cum qua omne bonum perfectum est! o sancta humilitas, quam Christiani colunt, quam pagani adorant, quam Judæi commendant, quam hæretici publicant! o sancta humilitas, cunctarum virtutum conservativa, cunctorum vitiorum expulsiva, pauperum sustentativa, sui ipsius despectiva, aliorum magnificativa, omnium bellorum placativa, omnium rixarum impeditiva, omnium perditorum restaurativa, omnium... repletiva, omnium dignitatum et bonorum multiplicativa, omnis servilis timoris expulsiva, et ad cælum sublimativa! Per te, sancta humilitas, reges regnant<sup>1</sup>; per te aperitur cælum et infernus clauditur; per te reis parcitur et coronantur; per te feræ mansuescunt et placantur. Numquid et leones, licet vulnerati, homini prostrato non parcunt? numquid non mitigatur canis, si hominem sedentem invenerit, quem prius insequabatur currendo? Nam sicut arbor alta et directa, floribus ornata, et fructibus vestita attenditur plurimum admirari (2), sub qua etiam homines et aves demorari delectantur; sic Deus delectatur respicere et habitare in anima humili et quieta.

VII. Nobis ergo, fratres, necessaria est et longe amplior (5) humilitas, quam illa Pharisæorum. Et si petierimus, fratres, sancto viro Nicolao dicentes: Edissere nobis, Pater sancte, quæ fuerit ista grandis humilitas, per quam tantum veneraris; nobis respondere potest: Cum

<sup>1</sup> Prov. viii, 15.

1) Cod. *ita quod*. — (2) Phrasis barbara, quam mutare nolimus, sed quæ bene ita verteretur: *Attenditur plurimum ab admirantibus*. — (3) Cod. *amplius*.

adhuc puer essem, et penderem ad ubera matris meæ, doctus sum quarta et sexta feria semel tantum bibere mammas; quod usque ad finem perseveravi manens in simplicitate velut puer. Sed hoc infidelis audiens, ridens dicet: Numquid introibo iterum in uterum matris meæ, et natus denuo superincumbam matris uberibus? Cui Nicolaius respondere potest: Non ita, fili; mystica sunt quæ dicuntur; frange duritiam cordis tui, et intellige litteram, et inuenies medullam intelligentiæ. Cum (1) in principio grassaretur (2) hostiis antiquis, primis parentibus scientiam tradidit nequissimæ libertatis, id est, non parendi legi divinæ (3): secundo homo contra multiplices defectus, solatium invenit rerum mechanicarum artium, quas extendit post ad usum superfluitatis: tertio non contentus his, causas naturales, quas Deus in ipsis rebus occultaverat, ausus est rimari, ac si esset inter sidera, et motus eorum, et ortus et occasus, combustiones et respectus se apprehendissee existimans, jam contingentes rerum eventus fatali necessitate esse astrictos dogmatizabat: quarto ipse Pater animarum videns hominem inutiliter laborantem, scientiam vitæ in canone utriusque Testamenti promulgavit. Hoc autem videns teterrimus inimicus, homines infatuavit naturali ratione volentes comprehendere quæ Dei sunt, scientiam Scripturarum irridentes. Contra quos Deus incitavit pisces, indoctos, ignobiles, ut per debilia, fortia mundi confunderet. Ergo animadvertite quod, quidquid superest, tibi a diabolo datum est, ut inflatus homo et dilatatus recalcitrando Deo salutari suo, non efficiatur humilis, sicut parvulus iste. Iste enim vir sanctus theologiam adamavit, philosophiam spoliavit, scenologiam temperavit, panthologiam conculcavit, volens se humiliare velut parvulus; ideo humilitatem super omnia adamavit, quam sal et condimentum cunctarum virtutum

(1) Cód. nam. — (2) Id. nasceretur. — (3) Id. non nocendi sub divino.

esse dicimus. « Humiliemur ergo, fratres, sub potenti  
 » manu Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis<sup>1</sup>, » et  
 tunc una voce cum sancto Nicolao cantare poterimus Al-  
 leluia. Amen.

---

SERMO LXXIV.

De sancto Thoma apostolo.

*Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 37 b,  
 ideoque rejicitur in appendicem, post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Thomæ dubitatio, nostræ fidei certitudo. II. Credendum  
 nobis cum Thoma converso. III. Brutorum major quam ho-  
 minum fidelitas.

I. GLORIOSUS apostolus Thomas, fratres charissimi, non  
 solum sibi, sed etiam nobis salubriter dubitavit. Sed  
 enim (1) cicatrices Domini videns, tangens, tractans et  
 palpans, omne prorsus dubium de nostris cordibus am-  
 putavit, et sic cognitus est in verbis fidei, quia vidit  
 Deum lucis, et invocavit Deum omnipotentem<sup>2</sup>. Nam  
 Maria Mater Domini nunquam de resurrectione dubitavit,  
 et tamen ardentissimo desiderio desiderabat Filium videre  
 resuscitatum. Sed nisi zelus nostræ redemptionis et for-

<sup>1</sup> 1 Petr. v, 6. — <sup>2</sup> Eccli. xlvj, 1<sup>o</sup>.

(1) Cod. *sed dum*.



tis (1) certitudo resurrectionis Domini fuisset in ea, gladium passionis minime sustinere potuisset. Mortua denique Mater juxta crucem fuisset, nisi resurgentem postmodum Filium expectasset. Vidit ergo Maria Mater, Domini resurrectionem, et prima vidit (2), et prima tanquam certissimam credidit. Sed non sic fortis (3) Magdalena, ut ait sanctus Martyr Cyprianus; sed videndo dubitavit. Ideo ipsi (4) dicitur: « Noli me tangere<sup>1</sup>. » Sed quid plura? Thomas non solum tangere, imo palpare, non solum etiam palpare, sed manum in latus ejus mittere valuit (5), ad operandum (6) promptus, ad obsequendum expeditus, ad confitendum firmus (7), quia palpans credidit, et credendo clamavit: « Dominus meus et Deus meus<sup>2</sup>. » Quis ergo, fratres, dubitabit Salvatorem surrexisse a mortuis, cum præsentiam oculus agnovit, manus atrectavit et perscrutatus est digitus? O necessaria tarditas, per quam omnis tollitur dubietas, asseritur veritas, imponitur nobis omnis fidei firmitas! Quid ergo mirum, fratres mei, si Apostolus in verbis cognitus est fidelis, dum vidit Deum lucis et invocavit Omnipotentem? Vere fidelis est in confessione divinæ virtutis; vere catholicus in credulitate (8), vere evangelicus in prædicatione, vere mirabilis in tormentorum elatione nobis sanctus Apostolus demonstratur. Igitur, fratres dilectissimi, celebremus et laudemus hunc gloriosum Apostolum, copiosum in meritis, virtuosum in signis, famosum in prodigiis, gloriosum in præmiis.

II. Sed ad nostram doctrinam, fratres, aliquid dicere vos avidos esse affecto. « Sunt enim aliqui ex vobis qui nisi videant signa et prodigia, non credunt<sup>3</sup>. » Tales a Domino corripiuntur cum Regulo, cui hoc est dictum; ipse enim

<sup>1</sup> Joan. xx, 17. — <sup>2</sup> Ibid. 28. — <sup>3</sup> Id. iv, 48.

(1) Cod. *fortitudo certitudo*. — (2) Hoc contrarium videtur Evangelio, ubi dicitur Christum primo apparuisse Mariæ Magdalene. — (3) Cod. *forte*. — (4) Id. *sibi*. — (5) Deest *valuit* in cod., ubi pro hac voce est *igitur*. — (6) Cod. *operiendum*. — (7) Deest *firmus* in cod. — (8) Cod. *prædicatione*.

quærebat corporalem præsentiam; sic et Thomas quærebat sensûs experientiam. Dispensative tamen pro nobis factum est, quia per hoc fidei veritas creditur, sensu experitur (*sic*), ratione concluditur, et nullus dubietatis locus relinquitur. Credamus ergo, ne nobis dicatur: « Nisi signa et » prodigia videritis, non creditis. » Credamus, ut audiamus: « Beati qui non viderunt et crediderunt<sup>1</sup>. » Et quid est credere, nisi fide informata tendere in Deum, quia vere natum, quia redemptorem, quia flagellatum, quia punitorem qui veniet (1) judicare vivos et mortuos? Ex his enim anima informatur affectione, ut suo Creatori adhæreat, et suo Redemptori ex amore condoleat; ex suo dolore collætetur (2), ex spe congaudeat Salvatori. Credamus ergo ne reprehendamus a Domino dicente: « O stulti et » tardi corde ad credendum<sup>2</sup>! » Non enim hodie sapientes mundi credere possunt, nisi videant sacramentum unionis, tormenta passionis, argumenta resurrectionis, et condimenta tribulationis. Non igitur videre hæc omnia possumus, sed fide credere nos oportet. Sic enim credebat stando Simeon in templo per orationis devotionem; sic et Zachæus in moro per passionis imitationem; sic et Apostoli in excelso per eminentem dilectionem; sic et Thomas in cœnaculo per stuporis admirationem. Quid ergo, fratres? pensemus et nos quanta fuit Christi humilitas. Quæ (3) enim major humilitas, quam Deum homini uniri? quæ major pietas, quam Deum pro homine mori? quæ major claritas, quam resurrectione (4) in morte vestiri? quæ major æquitas, quam hominem præmiari vel puniri ex meritis? Hæc autem omnia, fratres, credere, et nullatenus dubitare debemus, ut credendo cum Thoma dicamus: « Dominus meus et Deus meus! » Nam nisi crediderimus, Deum in nullo invocare poterimus; et si non aderit nobis,

<sup>1</sup> Joan. xx, 29. — <sup>2</sup> Luc. xxiv, 25.

(1) Cod. *venerit*. — (2) Deest hæc vox in cod. temporis lapsu oblitterata. — (3) Cod. male *quid*, et sic deinceps. — (4) Id. *resurrectionem*.

quid facere nos possumus? Numquid aliquid boni? Omnino minime, etiam vel cogitare. Mala denique sine Deo facere possumus sed a malis resurgere sine Deo nullatenus omnino valemus. Sufficientes ergo sumus ad mala, sed omnis nostra sufficientia a malis resurgendo ex Deo est <sup>1</sup>. Siuus ergo ipsi (1) fideles, quia sine fide ipsi placere non possumus. O beata fidelitas, quæ homines Deos facis, quæ homines Deo conjungis, quæ omni auro et lapide pretioso snavior prædicaris a cunctis! o chara et amanda possessio! o astringenda beatitudo! o diligenda hæreditas filiorum Dei! Beati, qui te diligunt; infelices, qui te odiant! beati, qui te quærent; damnati, qui te fugiunt! beati, qui te agnoscunt; maledicti, qui te despiciunt! Nam qui te dilexit, triumphat in cælis, et qui te odivit, laqueo se suspendit. Pilatus etiam magnæ infidelitatis fuit: ipse namque (2) fratrem suum proditorie occidit, zelo invidiæ inflammatus socium dormientem filium regis suffocavit: tandem manu propria Romæ se peremit (3). Alta uxor Regis Longobardorum viro fidem fregit, venenum in genitalibus viro dormienti imposuit et occidit, quæ in eadem nocte a diabolo suffocata invenitur in lecto. Ecce, fratres, quomodo infideles percunt; ecce qualis est eorum finis.

III. O quam dolendam est, o quam plangendum de fidem frangentibus! Longe major fides invenitur in brutis, quam in hominibus. Nam canem Romæ vidimus, fratres, qui tantam fidem domino suo servavit, ut ipse homo solus cum cane inimicis undecim obvians, seipsum (4) illæsum servaverit (5), qui non solum non est occisus, sed nec etiam vulnerari ab aliquo potuit, et sic omnino illæsus ab inimicis evasit (6). Numquid et ibidem canem alium

<sup>1</sup> 2 Cor. III, 5.

(1) Cod. *sibi*, et sic deinceps. — (2) Id. *denique*. — (3) Decet *se peremit*. — (4) Cod. *ipsum*, et non habet *se*, et deinde desunt *non est ante occisus*. — (5) Id. *servavit*. — (6) Oblitterata evanuit vox quæ hoc loco scripta erat, quam, ut potuimus, supplevimus

non (1) vidimus, qui videns dominum suum in carcere morientem, magno rugitu (2) se mordens cum domino moritur suo? numquid non multi ex vobis apud Hipponem viderunt canem, qui videns dominum suum in lecto mortuum, panem domino porrigebat et carnes, et blandiens (5), ut poterat, dominum suum invitabat ad comedendum; sed videns eum non comedentem, non comedebat? Dum autem corpus defuncti portaretur ad foveam, canis cunctis recedentibus corpus domini sui rapuit et in prato florum ipsum collocavit; et custodiens tribus diebus, fame moritur canis. Ecce denique, fratres, canes et lupi, ursi et liones, turtures et ciconiæ fidem tenent et servant. Nos autem et quomodo nostras conscientias discutiamus, fratres, considerate. Eia ergo, o milites, estote Christo fideles; amplectamini fidem; nam sicut aurum est purissimum (4) metallorum et nobilissimum, et albedo fundamentum oculorum, sic et fides omnium virtutum, sine qua impossibile est placere Deo<sup>1</sup>. Sicut sol est pater omnium planetarum, sic et fides omnium virtutum. Hanc autem servavit, hanc adamavit, hanc nos tenere docuit et demonstravit gloriosus Thomas Apostolus, qui tamen diu remansit incredulus ut nos certificaret. Hac fide sancta armatus ad Indiam pergit, et ibidem tres Magos convertit, mortuos decem et octo resuscitavit, provinciam totam convertit; tandem a carnifice (5), gladio percutitur, et diffuso in terram cerebro, anno ætatis suæ, ut Martyr Dei Cyprianus ait, sexagesimo, extensis ad cælum manibus et brachiis, migravit ad Dominum. Amen.

<sup>1</sup> Hebr. xi, 6.

(1) Deest non in cod., et sic deinceps. — (2) Cod. *ruitu*, nisi legas *ricu*. — (3) Id. *branchis*. — (4) Id. *purum*. — (5) Id. *pontifice*.

SERMO LXXV.

In Natali sancti Stephani proto-martyris.

*Eductus hic sermo ex Bibl. Ædil. , cod. x, fol. 58, sit in appendice, sicut et cæteri ejusdem codicis sermones. Locus ejus post sermonem Maurinensem CCXVII, cum numero in Natali sancti Stephani IX.*

SYNOPSIS.

I. Christus humiliatus, ut glorificentur ejus fideles. II. Christus inimicorum condonationem nos edocuit. III. Stephanus ejus imitator. IV. Per hunc conversus Paulus regnat in cælis. V. Sancti Stephani miracula. VI. Ejusdem invocatio. VII. Imitanda charitas.

I. HESTERNA die, fratres charissimi, audivimus completos esse dies Mariæ, ut pareret Filium suum primogenitum. Audivimus et hodierna die almam matrem Ecclesiam etiam filium peperisse primogenitum. Nam peperit primo alma Maria, ut pareret secundo alma Ecclesia; peperit Maria sine dolore, ut pareret Ecclesia sine mœrore; peperit alma Maria in paupertate, ut pareret Ecclesia in divitiarum dignitate; peperit alma Maria in stabulo, ut Ecclesia pareret in æterno tabernaculo; peperit Maria inter bovem et asinum, ut Ecclesia pareret inter Deum et Angelum. Nam nisi Maria prius peperisset, nunquam Ecclesia parere potuisset; nisi Rex prius descendisset, Stephanus primogenitus

non fuisset. Descendit ergo prius Rex, ut secundo ascenderet miles; descendit Rex lætantibus Angelis, ut ascenderet miles lapidantibus Judæis; descendit Rex humilis, ut ascenderet miles sublimis; descendit Rex pastoribus demonstratus, ut ascenderet miles Angelis circumdatus; descendit Rex panniculis involutus, ut ascenderet miles stola immortalitatis indutus; descendit Rex pauperrimus, ut ascenderet miles ditissimus. Hunc Deus Pater humiliat, et hunc exaltat; humiliatur Creator, ut exaltetur creatura; humiliatur Deus, ut vivificetur reus; humiliatur Medicus, ut sanetur ægrotus; humiliatur bonitas, ut sublimetur improbus; humiliatur pietas, ut (1) sublimetur impius. Deus (2) hunc humiliat et hunc exaltat.

II. Heri denique Dominus venit in mundum, et nova præcepta dedit mundo. Ait enim Deus et homo: « Diligite » inimicos vestros; benefacite iis qui oderunt vos, ut sitis » filii Patris vestri<sup>1</sup>. » Venit enim in mundum ex sola dilectione, et ideo voluit suos in dilectione confirmare. « Diligite, » inquit, inimicos vestros. » Nec solum præcepit, primitus adimplevit. Ecce Salvator, dum crucifigitur clamat, et ait: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt<sup>2</sup>. » O quam grandis labor est inimicos diligere! o quam forte, o quam difficile est diligere qui te quærit occidere! o quam impossibile est pro persequentibus exorare! Nec nos hoc, fratres, audemus negare, sed dicere quasi compellimur omnimode fortissimum esse. Magnus labor est in hoc sæculo, sed grande præmium in futuro. Attende, audi, quomodo grande; non tamen dicere audeamus impossibile esse homini inimicos diligere; nam si impossibile fuisset, Salvator qui cuncta corda cognoscit et opera, quomodo nos hoc facere præcepisset? Difficile ta-

<sup>1</sup> Matth. v, 44. — <sup>2</sup> Luc. xxiii, 34.

(1) Hæc verba *improbus; humiliatur pietas ut deleta sunt* in cod. temporis apsu, et a nobis fuerunt divinando restituta. — (2) Sic et vox *Deus*, et deinde *Dominus*.

men est et valde pœnosum, sed præmium grande in futuro. Attende, audias, quomodo grande; audias quantum.

III. Stephanus ille magnus, qui velut Angelus, primus Jerosolymis tuba (1) cecinit, unus de septem diaconibus ab Apostolis ordinatus, virgo a Deo electus, viduarum pater institutus, Spiritu sancto repletus, synagogam Judæorum post sancti Spiritus repletionem intravit et cœpit cum eisdem disputare, et nullus doctorum poterat ipsi (2) resistere; ceperuntque eum et lapidaverunt. Et videns lapidantes ait: « Ecce video cœlos apertos<sup>1</sup>, et, positis genibus, clamare cœpit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum<sup>2</sup>. » Vidit denique cœlos apertos, quia parata sibi jam erat via; vidit et Jesum stantem et non sedentem; vidit stantem, ut reciperet. Sedere judicantis et regnantis est; stare vero auxiliantis est. O sancte Stephane, martyrum caput et principium, Christi vere membrum, quomodo per omnia secutus es Magistrum! Oravit ipse pro persecutibus, et tu orasti pro lapidantibus. O quam magnum et admirabile donum donavit Dominus militi suo! Non enim solummodo eum copiose ditavit, sed etiam ad certandum peroptime confortavit. Attulit namque donum charitatis, ut perduceret ad consortium Trinitatis. Quod ergo attulit, et erogavit, nec sibi aliquid minuit, sed mirabiliter militem prædotavit. Charitas enim illa, quæ heri deposuit Christum, ipsa hodie Stephanum ad cœlum levavit; charitas quæ præcessit in Rege, ipsa hodie refulsit in milite. O admiranda potentia Redemptoris! o prædicanda indesinenter gratia Salvatoris! Heri ostendit in Matre virginittatis æternæ miraculum; sed hodie demonstravit in Martyre maguæ charitatis indicium; summa integritas heri demonstrata fuit in Virgine, sed hodie dilectionis virtus summæ perseverantiæ in Martyre. Et sicut in Matre Do-

<sup>1</sup> Act. vii, 55. — <sup>2</sup> Ibid. 59.

(1) Cod. *tubam*. — (2) Id. *sibi*, et sic deinceps.

mini virginitas non potuit violari, sic in Martyris mente non potuit charitas dissipari.

IV. Per charitatem Dei miles sævientibus Judæis non recessit; per charitatem pro persequentibus intercessit; per charitatem Stephanus arguebat errantes, ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis (1) virtute Stephanus vicit Saulum crudeliter insidiantem, et quem habuit in terra persecutorem, in cælo meruit habere consortem. Ipsa sancta charitas indefessa desiderat moriendo (2) acquirere, quos non potuit monendo convertere: per orationem Stephani surrexit Saulus bonus, qui prius erat iniquus; cecidit sævisissimus persecutor, et surrexit severissimus prædicator. Cadens Saulus, lumen corporis perdidit, surgens Paulus lumen cordis recepit. Ecce nunc Saulus cum Stephano in cælo lætatur, cum Stephano gloriatur. Nunc Stephanus de consortio Pauli summe gloriatur, quoniam summa charitas in utroque lætatur. Charitas quippe Stephani superavit sævitiam Judæorum, sed charitas Pauli cooperuit multitudinem peccatorum. O dies sancti, dies lætitiæ et jucunditatis, in quibus et per totum mundum melliflui facti sunt cæli, in quibus etiam Stephanum cælorum civem factum esse conspiciamus. Voluit enim Dominus Martyri suo cælos patentes aperire, ut sequaces ejus securi essent de remuneratione. Voluit etiam stans videri, ut et omnes posteri credant in martyrio juvari a Domino. O grande mysterium, fratres! Stephanus orat, et Paulus Judæos incitat; Stephanus parcit, et Saulus parcere nequit; Stephanus genuflectit (5), et Saulus vestimenta omnium custodiens furit, ut omnium particeps esset scelerum. Sed aspice modicum, et videbis lupum agnum factum, de inimico amicum, de persecutore prædicatorem. O quantum Stephanum martyrem laudare debemus! o quantis magnificare præconiis!

(1) Deest hæc vox deleta in cod., sicut et vox *insidiantem*. — (2) Sic et vox *moriendo*. — (3) Cod. *genuflectitur*.



Nam si Stephanus non fuisset, forsitan Ecclesia Paulum non habuisset. Quis ergo mentes hominum illuminasset ut Paulus? quis Doctor Gentium? quis vas electionis? quis gubernasset status Ecclesiarum? quis sic portasset pondus et æstus omnium fidelium? quis tantæ sapientiæ? quis columna templi, ut Paulus, reperitur? Magnum ergo donum, magnum beneficium, magnum et admirabile ministerium, quod Stephanus impetravit orando. Et ecce nunc Paulus cum Stephano Christi charitate perfruitur, cum Stephano exultat et cum eo regnat. Ille dat exemplum veniæ convertentibus, Stephanus dat exemplum orandi pro persecuentibus.

V. Sanctissimi ergo Stephani, fratres charissimi, sollemnitas magna devotione celebranda est, quia multos Sanctorum præcellit honore et dignitate. Sex (1) enim mortuos in Africa resuscitavit: primo presbyterum quemdam, deinde puerum, postea sanctimoniale... clamans in feretro, cunctis videntibus et audientibus, velut altera Drusiana. Deinde juvenis quidam a curribus boum dilaceratus et mortuus; deinde infantulus portatus a matre vere mortuus ad reliquias sancti Martyris resuscitatur, qui etiam superest adhuc. Adest igitur, fratres dilectissimi, dies in qua lapidatus est ille Stephanus, Sanctus sanctorum, splendor justorum et gloria; adest Angelus ille primus, qui suis meritis cælum aperuit (2), ad cujus præceptum terra tremit (3)... Pluviam destinavit et tempestatem maris sedavit. Adest Angelus ille primus qui, ut audistis, sex mortuos resuscitavit, fratrem et sororem a concussionem membrorum (4) sanavit: hic etiam infirmos diversarum infirmitatum sanavit. Et quod majus est, Saulum, ut audistis, ad confessionem fidei revocavit.

(1) Non sex, sed quinque inferius indicantur; at videtur aliquid deesse ante *clamans in feretro*; forte *deinde alius*, etc. — (2) Cod. *aperit*. — (3) Hic quædam desunt tempore oblitterata. — (4) Deest *membrorum* in cod. Notum est hoc celeberrimum miraculum a sancto Augustino narratum.

VI. Adest ille amantissimus Levita (1) prius discipulus Apostolorum, sed magister et pater Martyrum in martyrio. Adest ille cui similis non invenitur, qui sic Spiritu Dei plenus sit. Adest ille solemnus miles, qui valenter clamabat: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » Eia ergo gaudeas in excelsis, o princeps Martyrum gloriose, quia sicut completi sunt dies Mariæ ut pareret, sic completi sunt dies Ecclesiæ, ut et te pareret, et faceret columnam sanctæ matris Ecclesiæ! Gaudeas in excelsis, o sancte Abel justitiæ, qui militiæ Martyrum meruisti obtinere principatum! gaudeas in excelsis, o sancte Stephane, qui vere Angelus non natura, sed gratia merito nuncuparis! gaudeas in excelsis, custos viduarum et susceptor animarum Christi, contemplando Angelos Archangelosque Christo noviter nato ministrantes! gaudeas in excelsis, sanctissime Stephane, intuendo Apostolos, Patriarchas et Prophetas super thronos sedentes! gaudeas in excelsis, sanctissime Stephane, salutando Virgines Martyres cum carne, mundo et dæmonio decertantes! gaudeas in excelsis, respiciendo animas sanctorum Confessorum lumbos præcingentes! Et quia beatus cum illis es, et in excelsis cum illis collocatus es, ideo te, sancte Christi Martyr, rogamus et obsecramus, ut preces ad illum fundas, qui heri se humiliavit, ut te hodie exaltaret, ut et nos revocet de lacu miseriæ et de luto fæcis et umbra mortis. Interpella pro nobis peccatoribus, sicut fecisti pro tuis persecutoribus. Nam si misericordiarum Pater nos sic dimiserit, deficientus in via<sup>1</sup>; Funde ergo preces, ut dignetur Deus noster nos ad se tecum revocare per gratiam, quia ecce jam frangit, jam inquietat nos frigus, stomachus jam inflatur, caput jam curvatur, languescit jam spiritus, fœtet jam anhelitus, facies jam dealbatur, statura jam incurva-

<sup>1</sup> Matth. xv, 32.

(1) Deest *Levita* in cod., et dein le oblitterata sunt verba quorum loco supplevimus *martyrum*.

tur, caligant jam oculi, nares effluunt et crines defluunt, tremunt jam tactus, deperit et actus, aures surdescunt, dentes putrescunt. Cito mala credimus, et tarde discredimus, tenaces, querulosi, dyscoli, avari, superbi, luxuria ornati, murmuratores, malorum inventores, elati et mundi zelatores valde; sumus veloces ad loquendum et tardi ad audiendum, laudantes præsentis et vituperantes absentes; sic vita nostra corrumpitur et terminatur. Clamamus ergo ad te, o sancte Stephane, fortissime miles Domini, deprecantes ut humiles nostræ vocis petitiones attendas, affectum conspicias, hostem comprimas, expellas tyrannidem, litigantes pacifices, tucaris Jerusalem, gubernes clericos, abbates dirigas, confirmes (1) eremitas et omnes qui tua devote solemnia celebrant. Dignare nobis (2) juvamen porrigere; accelera auxilium (3) impetrare pro nobis qui aliqualem laudem tibi persolvimus; nos ex omni perturbatione spirituum immundorum custodias, ut Deo laudabiliter serviamus.

VII. Sed si hoc impetrare volumus, debemus nos sanctum et gloriosum Martyrem imitari: imitemur charitatem ejus et virtutem, ut gloriæ ejus participes simus; imitemur eum qui plus doluit de lapidantium peccatis, quam de sui corporis vulneribus (4), plus de Judæorum impietate quam de sua morte; et recte plus, quia in eorum iniquitate omnes debebant plangere, sed in Martyris morte nullus dolere, quia mors devicta ad gloriam provehebat; in Judæorum iniquitate mors sequebatur æterna, sed in Martyris morte vita æterna. Diligamus ergo inimicos, ut ipse dilexit. Scimus enim quod sine dilectione nulla virtus nobis valebit; quia « Qui non diligit fratrem, manet in morte<sup>1</sup>. » Omnes namque (5) fratres sumus, omnes æqualiter nati

<sup>1</sup> 1 Joan. III, 14.

(1) Deest *confirmes* in cod. — (2) Desunt in cod. hæc verba *dignare nobis*. — (3) Cod. non habet *auxilium*; et deinde deest *nos*. — (4) Id. *sui corporis vulnera... impietatem... ejus mortem*, et deinceps *plangi*. — (5) Id. *denique*; et sic deinceps.

sumus, omnes una vita vivimus, omnes unanimiter generamur et morimur, omnes Christi sanguine redempti sumus. Diligamus ergo nos, nec verbo fratrem offendamus doloso. Dilectio namque est radix omnium virtutum, quia dilectio est charitas. Unde, pereunte radice, pereunt et rami, et nihil valuisset martyrium sine dilectione, nihilque omne quod agitur sine charitatis radice, quia omne quod fit sine dilectione, omnino perditur. Nihil Stephano vauisset martyrium, nihil Laurentio crates (1) ferrea, nihil Bartholomæo decoratio. Deus autem qui prius nos dilexit, et qui nos docuit inimicos diligere, ipsam dilectionem infundat cordibus nostris, ut eum veraciter agnoscamus, et agnoscentes, eum veraciter diligamus. Amen.

---

## SERMO LXXVI.

In festo sancti Joannis evangelistæ.

*Sermo, qui sequitur, prodit ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 39, unde in appendicem rejicitur. In manuscripto titulum habet falsum, nempe de sancto Joanne Baptista, cum agatur de sancto Joanne Evangelista. Locus ejus post præcedentem.*

### SYNOPSIS.

I. Non habitat Christus cum fraudulentis et superbis. II. Contra eosdem Dei vindicta, necnon et humilium ac simplicium exaltatio. III. Joannis humilitas commendatur, quæ beatæ mortis fuit ipsi causa. IV. Imitandus Joannes, cujus privilegia ipsis Petri privilegiis fuere majora. V. Virginitas amissa non recuperatur, licet recuperetur gratia. VI. Virginitas sit carnis et mentis, quam prædicat auctor, licet eam amiserit. VII. Variæ Dei vocationes.

(1) Cod. *gratis*.

I. DOMINUS et Redemptor noster, fratres charissimi, querimoniam facit, quoniam pauperrime natus noviter est, et in stabulo inclinatus, et inter bovem et asinum collocatus est. Quærit tamen hospitari nobiscum, nec est qui eum recipiat; clamat, et non est qui respondeat; ululat, et non est qui exaudiat; pulsat, et non est qui aperiat. Tandem clamore fatigatus impropere dicit: «Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum<sup>1</sup>.» Quid enim sunt vulpes et volucres cæli? Vulpes enim fraudulentia animalia sunt; ideo fraudulentiam significant. Volucres superbiæ et elationis significationem gerunt; superbus enim volat alis jactantiæ sublimando ad astra. Foveas vero vocamus pectora hominum, in quibus prævæ machinationes aliis præcipitium parant (1); nidi etiam volucrum similiter etiam in eorum animis sunt, quia pulli, id est, opera superbiæ et elationis ibi nutriuntur. Aliud tamen est superbia, et aliud elatio. Superbia est quando quis super omnes esse desiderat; elatio vero quando quis suis superioribus laborat se parificare. Superbus denique Pompeius, qui nolebat habere priorem; elatus vero Anstromades (2), qui cum esset servus, fraudulenter se dominis parificavit. Sunt igitur (3) in nobis duo grandia receptacula; sed Filius hominis non habet nec invenit mentem aliquam ubi reclinet caput suum. Discutiamus primo corda nostra, fratres, et videamus primo de fraudulentia vulpis. Quid enim est fraus, nisi quod aliud agitur et aliud simulatur? Fraudulentia corda omnino debent habere illi qui aliud promittunt et aliud faciunt. Tales sunt qui «Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum<sup>2</sup>.» Est et aliud genus fraudis: nam aliqui jurant, ut melius nocere possint. Itaque, fratres, perit fi-

<sup>1</sup> Luc. ix, 58. — <sup>2</sup> Psal. xxvii, 3.

(1) Deest *parant* in cod. — (2) Quis sit iste Anstromades, non mihi satis constat. — (3) Hæc verba desunt in cod.

des, perit reverentia, nec pater filio, nec filius patri hodie fidem servat. Sed nunc de superbia aliquid dicamus. Quid enim est superbia, nisi omnium vitiorum origo et fundamentum? Hæc est quæ Angelum de cælo præcipitavit hæc est, quæ facit hominem suæ fragilitatis oblivisci; hæc est quæ facit nos ultra nos extendere; hæc est quæ facit omnia ad laudem mundi fieri; hæc est quæ vult omnia beneficia se fecisse videri; hæc est quæ omnibus manum ponit et linguam, nemini parcens, neminem diligens, omnium vitam et conditionem dilacerans, ut sola (1) super omnes, velut lignum (2) super aquas, natare possit. Audent denique superbi surgere contra Deum et servos ejus, dilacerantes omnes Dei servos in cunctis. Tales superbi, bonos videntes, observant semper quid agant, sed si bona loquuntur de bonis, partiales eos appellant; si mala, de malis, murmuratores et bilingues dicuntur; si tacent, amici non esse existimantur. Hæc est enim vita superborum et hypocritarum; hæc est eorum sola conditio; hæc est eorum tota mentis affectio, ut præ omnibus et super omnes dominatores terræ dicantur. Et multi ex vobis tales sunt. Ideo Salvator conquerendo clamat inter nos habitare volens, et (5) dicens: «Vulpes foveas habent et volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput possit reclinare.» Nec mirum si Deus non habet ubi reclinet caput, quia nescit habitare, nisi in corde quieto et humili: superbus vero Deo resistit, ipsi ostium mentis claudit, dum humiles servos ejus parvipendit, et viles reputantur ab eo. Unde omnis habitus sanctæ conversationis a superbis conculcatur, et «Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus<sup>1</sup>,» ut ait Apostolus; sed bonos et humiles consolatur Deus, quibus dicit: «Non est servus major domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur<sup>2</sup>.» Non est ergo cu-

<sup>1</sup> 1 Cor. iv, 13. — <sup>2</sup> Joan. xv, 20.

(1) Cod. *solutus*. — (2) Id. *altum*. — (3) Hæc verba *volens et desunt* in cod.

randus mundi despectus, quia ipse primo ab hominibus odio habitus est<sup>1</sup>.

II. Non curemus ergo, fratres, superborum contemptum, quia ecce Dominus vindictam faciet longe majorem quam credere valeamus. Refert enim Lucas Deum dixisse Discipulis suis parabolam hanc : « Judex quidam erat in » quadam civitate qui Deum non timebat, nec homines ve- » rebatur. Vidua quaedam erat in civitate illa, et veniens ad » eum dicebat : Vindica me de adversario meo. Et volebat. » Post hæc autem ait Judex intra se : Etsi Deum non ti- » meo, nec homines vereor, tamen quia hæc vidua molesta » est mihi, vindicabo eam<sup>2</sup>. » Si enim hoc fecit judex ini- » quitatis, quid faciet Salvator? Ipse enim « Deponet poten- » tes de sede, et exaltabit humiles<sup>3</sup> » in æternum. Exaltavit enim David humilem, et deposuit Saül superbum; de- » posuit Judam, et exaltavit Joannem. Nam ille superbissimus, et iste humilitatis exemplum; ille proditor, et iste fidelis; ille homicida, et iste ab omni odio separatus; ille vas iniquitatis, et iste fornax charitatis; ille vas damnationis, et iste vas dilectionis; ille damnatus, et iste, ut arbitror, anima et corpore glorificatus. Omnia enim mala Judæe venerunt propter superbiam, et omnia bona Joanni evenerunt propter humilitatem. Omnes denique virgines, ut Joannem, humiles necesse est omnino esse.

III. Per hanc igitur Joannes meruit a Deo vocari, in Apostolum chariorem institutus (1); per hanc flore (2) virginitalis meruit præpollere, et Domini Matrem in matrem optime possidere. Per hanc in cæna meruit in Domini pectore reclinari (3), et incorruptum super omnes alios conservari. Omnes enim gladio gaudenter sancti Apostoli interfecti sunt; solus Joannes gladio illæsus permansit; solus sine sanguinis effusione migravit ad cælum

<sup>1</sup> Joan. xv, 18. — <sup>2</sup> Luc. xviii, 2-5. — <sup>3</sup> Id. i, 52.

(1) Cod. *institutum*. — (2) Id. *florem*. — (3) Id. *reclinare... conservare*.

suaviter. Et hoc fuit quod Dominus ei promiserat. Cum enim Dominus diceret Petro : « Sequere me<sup>1</sup>; » id est, imitare (1) me in cruce; non timeas, sed sponte crucem recipias in morte; ut arbitror, fuit grave Petro hoc audire, et pœnosum non modicum; ideo vertens se retro, vidit illum Discipulum quem diligebat Jesus, et ait : « Domine, » hic autem quid<sup>2</sup>? » Id est, quid faciet? quam mortem patietur? Et ait illi Jesus : « Sic cum volo manere, dum veniam<sup>3</sup>; » id est, integrum, inviolatum, immarcescibilem, et illæsum, et incontaminatum volo manere, donec ipsi (2) appaream cum aliis fratribus. Sed ecce approximate die transmigrationis Discipuli (5), apparuit ipsi Dominus dicens : Veni ad me, quia tempus est, ut epuleris cum fratribus tuis in mensa mea. Et subito surgens Joannes cœpit ire. Et ait Dominus : Dominica die post quinque dies ita venies ad me. Et receptus est Dominus in cœlum. Veniente autem die, convenit multitudo Discipulorum diversarum provinciarum et fidelium in Ecclesia in primo gallorum cantu, et usque ad horam tertiam prædicavit eis Joannes, confortando orphanos et pupillos, consolando viduas et maritatas, omnique statui doctrinam dedit suavem, et finito sermone, oravit pro populo. Postquam vero oravit, missam celebravit solemnem, et se, et Discipulos communicavit dicens : Pax Domini et mea sit vobiscum, et vestra mecum. Et fovea post hæc paratur, ponensque ibi vestimenta intravit osculando Discipulos cum Discipulorum mœrore et lamento : et ecce lux facta est tanta fere per unam horam super populum, ut nullus posset eam sustinere. Et signans se sanctissimus Evangelista transire cœpit tecum, Domine Jesu. Tu, Domine, mecum semper solus sis. Et hæc dicens, jubet se in sepulcro cooperiri. Et sic sanctissimus Josuë, in quo erat

<sup>1</sup> Joan. XXI, 19. — <sup>2</sup> Ibid. 21. — <sup>3</sup> Ibid. 22.

(1) Cod. *imitati*. — (2) Id. *sibi*, et sic deinceps. — (3) Hæc et sequentia ex apocryphis et fabulosis videntur desumpta.



Spiritus Dei, assumitur; sic sanctissimus Moyses ad montem rapitur; sic sanctissimus Salomon in cathedra residet beatorum; sic aquila illa grandis magnarum alarum pervenit ad medullam cedri, sicut in carne adhuc positus pervenerat, jam et ad carnem rediens alte quæ viderat intonans, tam fortiter, tam subtiliter, tam magnifice, ut si altius intonasset, totus mundus eum capere vel intelligere non potuisset. Et sic reddidit spiritum. Et protinus manna exiens de sepulcro apparuit, quod usque hodie gignit miro modo.

IV. Hunc ergo, fratres, lucernam mundi et spiraculum vitæ studeamus imitari, ut possimus cum eo æternaliter gloriari. Hic est ille, cujus caro in sexaginta septem annis nulla copulatione contaminata est; cujus mens inviolata permansit; cujus vita speculum et norma fidelium fuit. Hic est ille sanctissimus Evangelista, cui Mater Domini traditur tanquam digniori Apostolo, tanquam perfectiori Discipulo, tanquam chariori amasio. Denique, fratres, Petro temporalis donatur Ecclesia, sed Joanni Ecclesia major committitur. Petro dantur claves aperiendi et claudendi, sed Joanni Matrem impetrandi et obsecrandi. Petrus curam gerit agnorum, et Joannes sollicitudinem Matris desperatorum gerit. Quid ergo de Joanne dicemus? quis explicare poterit ejus sanctitatem? quis enarrare valebit ejus sublimitatem? quis istius sanctissimi piscatoris intellectus profunditatem? quis ejus diurnitatem pœnitentiæ prædicare valebit? Denique verberatur in Asia et tacet, blasphematur et obsecrat; in Patmos insula recluditur, et cuncta patienter portat, ut agnus; in oleum ponitur, et ecce mox liberatur, et ecce prædicat, et ecce obsecrat, et ecce quotidie clamat homo iste cœlestis: « Filioli mei, diligite alterutrum. » Hunc ergo patronum imitari non differamus, et sicut ipse fecit, ita et nos faciamus, ne a Domino improperemur dicente: « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; ego autem non habeo ubi caput reclinare possim. »

V. Sed dicet quis : Ecce Joannes virgo fuit et castus ; ecce virginitatem amisi ; numquid eam recuperare possum ? Minime omnino. Ipsa namque, si rapitur, nullatenus reparatur ; quamvis pœnitendo veniæ fructum recipiat , incorruptionem nullatenus tamen recipit pristinam. Hæc autem credimus, fratres, et nullatenus dubitamus. O quam bonum, o quam suave, o quam gratiosum est Deo genus virginitatis, quia in hoc et sollicitudinem (1) sæculi amittit, et in futuro æternum castitatis percipit præmium gratiosum et copiosum ! Conjugium concessum est, sed virginitas admonita est tantum, non jussa ; et ideo tantum admonita, quia nimis excelsa. Nec dubium est, quod qui in virginitate perseverat, Angelis efficiatur æqualis. Omne enim peccatum per pœnitentiam recipit veniam, sed sola virginitas amissa (2), ut diximus, nullatenus reparatur.

VI. Virgo tamen carne, sed non mente, numquid præmium cum virginibus possidebit ? Absit ; nihil enim prodest incorruptio carnis ubi non est integritas mentis, nihilque valet mundum esse corpore, ubi quis pollutus sit mente. O castitas, securitas mentis, sanitas corporis, oblectamentum (3) Dei, et Angelorum soror, quam dulcis et fertilis es ! Beatus qui te amat ; sed te amare tantum non proficit, nisi etiam a terrenis desideriis se subtraxerit, ne a Domino audiat : « Amen dico vobis : Nescio vos<sup>1</sup>. » Luxuriosa denique vita carnem cito debilitat, et debilitata cito ad senectutem deducitur : et licet non debeat corripere aliena vitia qui aliquando fuit eorum vitiorum cogitationibus repletus, licet etiam improbum sit arguere quidquam in alio, quod aliquando adhuc cognovit in semetipso, tamen protecti divino auxilio, licet virginitatem amiserimus, ad virginitatem tamen vos invitare non erubescimus. Et si Joannem in hoc sequi et imitari non possumus, si cum eo (4) florem vir-

<sup>1</sup> Matth. xxv, 12.

(1) Cod. *solitudinem*. — (2) Id. male *virginitate amissa*. — (3) Id. *objectum*. — (4) Id. *secum*.

ginitatis tenere nequimus, saltem ipsum humilem imitemur.

VII. Denique, fratres, in Christi collegio non omnes virgines sunt electi, sed aliqui virgines, aliqui uxorati; aliqui divites, aliqui pauperes; aliqui negotiatores, aliqui Legis doctores sunt ab ipso vocati. Nam Petrum et Philippum elegit uxoratos, ut uxoratis spem æternæ vitæ donaret; elegit Joannem et Jacobum virgines, ut virginibus spem æternæ vitæ donaret; elegit Bartholomæum divitem et nobilem, ut nobilibus exemplum daret; elegit Matthæum negotiatorem, ut negotiatoribus viam redeundi donaret; elegit Simonem et Thaddæum pauperes, ut Christus pauperes diligere se monstraret (1). Ecce infinita Christi charitas et bonitas: ecce magna pietatis et misericordiæ largitas; et tamen clamat: « Vulpes foveas habent, et volucres » cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi reclinet » caput suum. » Sed sicut reclinavit in Joanne (2), ita per gratiam in mente nostra Salvator reclinare dignetur. Amen.

(1) Cod. *demonstraret*. — (2) Sic cod.; forte *reclinavit in sinu ejus Joannes*.

## SERMO LXXVII.

## In Natali Innocentium I.

*Hunc sermonem, licet ex Cod. Cass. XII, fol. 41 erutum, sancto Augustino vindicare minime audeam. Sententiæ nihil nisi puerile præ se ferunt, et tanto Doctore prorsus indignum, ut legenti facillime patebit. Unde quamvis sancto Augustino in codice tribuatur, istum Doctori nostro abjudicare non dubitamus. Locus ejus in appendice post sermonem Maurinensem CCXXI, cum numero in Natali sanctorum Innocentium v.*

## SYNOPSIS.

- I. Innocentes Christi amici pro amico Christo jugulantur.
- II. Persecutionis crudelitas in feriendo, et lamentatio matrum.
- III. Epilogus.

I. ADMONITI sunt Magi in somnis ab Angelo, ne reversi Herodi nuntiarent de Christo, sed per aliam viam ad suam regionem pergerent. Tunc Herodes cum se videret a Magis esse delusum, facie immutatus, animo conturbatus, Scribas ad se et Seniores vocari jussit, a quibus exquirebat dicens: Ubi certum habetis regem futurum nasci? Illi autem dixerunt: « In Bethleem Judæ; sic enim scriptum est: Et » tu, inquit, Bethleem Juda, non minima eris inter princi- » pes Juda; ex te enim exiet qui rectorus est populum meum » Israël<sup>1</sup>. » Tunc Herodes armatum militem destinavit; cum

<sup>1</sup> Matth. II, 4-6, et Mich. v, 2.

terribili jussu interminatus dixit : « Ite in Bethleem Judæ » et in sinibus ejus, et quicquid ibi inveneritis a bimatu et » infra masculum occidite<sup>1</sup>. » Tunc videbat Dominus amicos sibi diligendos (1) innocentes; ad se vocantur (2), ut sit innocentium amicus. Sicut est innocens Dominus « Agnus » immaculatus qui tollit peccata mundi, » ita facti sunt ei innocentes amici : « Innocentes et recti adhæserunt mihi, » quia sustinui te, Domine<sup>2</sup>. » Sustinuit fugiens in Ægyptum, et fecit sibi amicas legiones innocentium, quibus dedit sine dolore martyrîum; quia etsi dolebant matres, crimen nescientes lætabantur infantes. Non curabat gladium persecutoris conscientia innocentis, quia gaudebat cum illis fuga innocens Salvatoris. Dominus quæritur, et amici jugulantur, ut jungeret eos sanguis innocens, quos separavit gladius impudicus.

II. O inverecunda dextera persecutoris ! Non habet quod feriat in membris infantis, et extendit brachia ferientis. Gladius locum non habebat, et carnificem non pudebat. Latior erat (3) machæra, quam viscera, ut gladiator haberet crimen, et non innocentia (4). Dum enim evellerentur a complexibus matrum avara manu carnificum, matres suas digitis constringentes, et miseris gemitibus deplorantes, clamat mater : « O mi fili, quid me retines, et te a me separat carnifex ? Tu stringes manus, et meus (5) torquetur affectus. Hoc præcepit rex, ut separeris a me, sed est alius Rex fortior et æternus, per quem conjungaris ad me. Fili, facio tibi vale, terra bibit sanguinem tuum, sed est qui suscipiat spiritum tuum. » Ubique luctus, ubique gemitus. Indictio fuit non cupiditatis, sed magni furoris, Clamat ergo hinc et inde diversa mater : « Carnifex, parvulum meum a me festinas gladio separare; dona moram si

<sup>1</sup> Matth. 12, 16. — <sup>2</sup> Psal. xxiv, 21.

(1) Cod. *sibi diligentes*. — (2) Cod. *ad se vocantem*, sine sensu. — (3) Id. *latius*. — (4) Aliquid desiderari videtur; forte *et non innocentia dolorem*, aut aliud hujusmodi. — (5) Cod. *male meos*.

habes pietatem. Tu tollis a me filium meum, et ego non debeo in illo modicum habere momentum, ut (1) refrigeret animum meum. Ego genui, ego peperer, et nutriti de meo ubere (2), sed te ministrum (3) crudelitatis inveni. Saltem non a me filius meus jejunos discedat; dabo illi viaticum lactis, ut habeat viscera pinguedinis, ubi sagines gladium crudelitatis. Parvus sanguis; accedant et nutrimenta lactis, ut tua (4) satiatur machæra, et filii mei impingatur anima lacte, et sanguine candidetur, sicut tunica medio clavata. Sanguis erat purpura, et hoc fecit stola candida pretiosa. Tecum vado, dulcissime fili, clamat mater, quousque ad locum perveniam; te dulcissimum, te nteri mei dolorem et gemitum spectatura (5) deduco. Ego infigo osculum, et carnifex sine misericordia infigit gladium. Ipse percutit pro Christo passurum, et ego suscipio sanguinem innocentis cum Christo regnantis. Tu jugulas sine causa, et ego non suscipio viscera mea. Si mihi non licuit nutrire, saltem merear sepelire? Si mihi non licuit lactem dare, liceat vel sepulcrum meo filio dignum (6) componere, quia viscera mea turbantur nimio dolore, dum inspicio meum filium carnificis manus sine misericordia jugulare. »

III. Inter matrum planctus et filiorum ululatus, in fuga erat Dominus Christus. Milites percutiebant, matres sepelebant, et Angeli spiritus eorum suscipiebant, et Christus rex dicebat: « Innocentes et recti adhæserunt mihi. » Si ergo volumus, fratres, Christo adhærere, cavemus (7) malignitatem, teneamus simplicitatem, ut mereamur a Domino pietatem.

(1) Cod. et. — (2) Id. de mea ubera. — (3) Id. victricum. — (4) Id. sua. — (5) Id. spectura. — (6) Id. digno. — (7) Id. male careamus.

## SERMO LXXVIII.

## In Natali Innocentium II.

*In appendicem sermo iste, sicut et præcedens, merito rejiciatur, quamvis legatur in Cod. XII, fol. 48. Duræ sententiæ, durior et stylus, qui nihil Augustinianum refert. Indocti cujusdam et grandiloqui monachi factus videtur. Adde quod amanuensis indocto auctore et ipse indoctior nulla fidelitate conscribenda conscripsit, sed sententias et verba ubique deformasse culpandus est; unde plura occurrunt quæ vix, imo et ne vix quidem possunt intelligi. Hinc et diu dubitaveramus utrum in lucem foret emittendus; sed placuit deinde illum proferre in publicum, tum ad servandam nostrorum codicum integritatem, tum ut lectori subicerentur nonnullæ hinc et inde scaurientes non contemnendæ sententiæ. Sit hujus sermonis locus in appendice post præcedentem cum numero in Natali Innocentium VI.*

## SYNOPSIS.

I. Testes Christi nascentis prædicti a Prophetis parvulorum vagitus. II. Persecutorum crudelitas. III. Innocentium inter brachia matrum barbara occisio. IV. Occisorum confessio. V. Eorundem triumphus. VI. Martyrum primitiæ Innocentes.

I. Quid est, fratres charissimi, quod circa propheticas aures clamant vulnerum voces? quid est quod sancti Spiritûs præscientia, scelus antequam fiat cauitur, et inno-

cens sanguis priusquam fundatur, auditur? Strepit interpellans, ululans occisorum innocens turba ingemiscit, contestans immatura messis nascentium, seges saucia inter lactentium vagitus et cunas Christi; clamant tot martyria quot sepulcra, et Jeremiæ vatis cœleste præconium, et nascentis (1) Dei fidele documentum. Qui Prophetarum non accipiunt testimonium, vel voces audiant (2) occisorum, sicut scriptum est: « Vox in Rama audita est ploratus et fletus; Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt <sup>1</sup>. » Nato enim Domino nostro Jesu Christo, postquam radiantis globi almum sidus cœlestem ortum auspice protulit lumine, et interpretes stellarum terruit (3) lucesplendoris micantis orbis candicans visus, rutilique ignis fulgorem ostendit; tunc Magis, quorum sacrilega peritiam est, et secretorum sagax, ac vetita male cauta solertia signorum omnium cursus et motus, ortus occasusque sollicitat, regalis stellæ sidereum (4) jubar, et inusualis circuli insuetum lumen ostendit nativitatem; qui mirati ac trepidi Herodis aures pavidi metûs terrore perturbant. Sed mortalis sodalitate (5) nature natum terris novum indicant regem regnorum, cœlestium principem, sicut David Spiritu sancto plenus pronuntiat dicens: « Pete a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ <sup>2</sup>. »

II. Agnitis itaque, charissimi fratres, cœlestis nativitatis regalibus signis, æstuat tyrannicus animus, propinat veneni ebrium nefas, et crudelis sceleris sanie pasta mens indigestum virus eructat. Patitur exitii sui pervigiles focos (6), et in pœnam suam indigena carnifex persistens, edacis flammæ vernaculo consumitur igne. Sed dum incertarum rerum incertior consolator exerrat, profanos haustus sitiens, scelus gestiens, mortiferis morsibus innocentium

<sup>1</sup> Matth. 11, 18. — <sup>2</sup> Psal. 11, 8.

(1) Cod. male *irascens*. — (2) Id. *audiunt*. — (3) Id. *tremuit* — (4) Id. *siderum*. — (5) Cod. *mortali soliditate*. — (6) Id. *locos*.



membra dilaniat, et cruentæ legis feralibus jussis totam nascentium depopulatur infantiam. Mittit namque immanissimus tyrannorum per Bethleem populos non edicta, sed tumulos, et publicum luctum funebri annotans pagina, innocentium scilicet supplicium, legem jubet esse sacrilegium. Cunctorum infantium annos sectatur, et tempus, ac Magorum dimensum admonitum (1). Inter membra lactantium errando, per strages funerum nunc quærit homicidium explere (2) mentis cæcum furorem. O insanæ blasphemix insanabilem luem! Totam vult humani generis sobolem perdere, quasi vero inter homines possit Deum occidere.

III. Sic sancti Evangelii perennes loquuntur apices : « Tunc Herodes cum vidisset quoniam illusus esset a Magis, indignatus est nimis, et misit, et interfecit omnes pueros qui fuerunt in Bethleem a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis<sup>1</sup>. » Sternuntur itaque innumera infantium millia, in quibus lex rea nascendo fecerat pœnam; supputantur parvulorum breves anni, et recens nativitas carnificis curiositate perquiritur. Non evasit mortem, quem ætas prodidit innocentem. Stat liberis raptis mater orbata, et, his revulsis, fluentium mammaram lætum imbrem clausa vix continet dextera. Stat unius causa ad diversa supplicia. Hæc percutientem, ut expectet paululum, rogat, donec infans ad vulnus idoneus fiat, ne de parvo corpore se infamet homicida. Hæc ut in pectus suum feriat, ne suus innocens feriat, exorat. Nulla a lacrymis se mater excusat; solas inducias postulat, ut persecutori nutriat, quos occidat. Stat cruentus exerto mucrone percussor, et assidua cæde lassata jam dextera, ingrassati teli obtunsam aciem vibrans, tenerum transforat pectus, sed in brevi corpore locum vix invenit vulnus.

IV. Sonant inter carnificum manus pro clamoribus tre-

<sup>1</sup> Matth. 11, 16.

(1) Forte *dimissum admonitum*. — (2) Cod. *efferre*.

muli vagitus, pro ululatibus pium murmur infantium. Nemo loquitur mortem; quin (1) frigida in faucibus lingua laudem mussitat, non dolorem, sicut beatus propheta David testatus est dicens: « Ex ore infantium et lactentium perfecti laudem propter inimicos tuos<sup>1</sup>. » Sic, fratres charissimi, in laude Domini nostri Jesu Christi primus dedicatus est sermo; sic clausi oris resoluti repagulo, rudes linguae immolavere primitias, cum tacita victima loquax discit esse per vulnera, sicut Salomon sapientissimus loquitur: « Dominus aperuit ora mutorum, et linguas infantium fecit disertas<sup>2</sup>. » Confitetur ecce mutorum nova vox Dominum, et balbutiens (2) lingua verba semivoca in laudem Christi, quasi olim docta, loqui se provocat; rumpuntur nova suspiria, et infantium labiorum confessa (5) fragmenta in verbase glutinant. Non expectatur loqui, qui Deum cogitur confiteri. Sic ad Moysen Dominus dicit: « Ego aperiam os tuum, et instruam te quid loquaris<sup>3</sup>. » Agnoscit vero consacrilegus tyrannus facinus suum ante prædictum. Inteligit in aures Dei, quicumque sunt Sanctorum gemitus, resonasse suspiria, cum recepta plenitudo, vaticino ore, sacri sensûs modulando divina verba, famulatur (4).

V. Quæ sunt jam, fratres charissimi, cœlestis mysterii occulta sacramenta? Rachel clamat lacrymis, vociferatur lamentis, et consolatio nulla fit mortis, nulla humanitas. Istæ res fidei exemplo sunt nobis. Suos contestatur occidi, et confitetur iterum non amitti. Flet mortalitas, tacet secura credulitas (5). Sæculum quidem perdidit, sed occisos pro Christo suscepit. Promovet tunc cœlestium regionum spiritalem militiam barbarus tyrannus (6), et divinis castris tyronum innocentiae, terram caractere (7) cruoris

<sup>1</sup> Math. xxi, 16. — <sup>2</sup> Sap. x, 21. — <sup>3</sup> Exod. iv, 12.

(1) Cod. male *quid*. — (2) Id. ridicule *intuentis*. — (3) Sic cod. *cujus durissima verba*. — (4) Id. *famulantur*. — (5) Id. male *crudelitas*. — (6) Id. *tyrannorum*. — (7) Sic cod., excepto quod pejus habet *caractere*.

insignie martyrialibus stipendiis Christus adtitulat, quanto suos probet exercitus. Non est angustus venientibus locus; omnes suscipit cœlum. Præcedat Regem suum gloriosi agminis innocens miles, et ad metam (2) Christi votivis incedat officiis. Fundatur fidei (3) sulcis Christiani nominis sanguis. Fiat dives Sanctorum messis in tumultis, et exuberent Dei horrea de sepulcris.

VI. His ergo testibus nuntiatus est Christus; horum sanguine (5) nativitatis Dei spirituales conscriptæ sunt tabulæ. Horum primo confitentium pro Christo crurem terra suscepit; sic plantata martyria; hinc ex parvulorum novella divitis vineæ frondere sarmenta; hinc honesta mater Ecclesia, passionum differens palmas, cœlestem vivaces surculos promovit ad coronam.

(1) Cod. *meta* — (2) Id. *fide*. — (3) Id. *sanguinem*.

## SERMO LXXIX.

## In festo sanctorum Innocentium III.

*Hic sermo, qui jam editus habetur apud Combesisium, tom. 1, de Tempore, fol. 443, in pluribus concordat, et differt in pluribus, imo et magnum extat discrimen varios inter codices sive Cassinenses, sive Florentinos, quorum alii longiores sunt, alii autem breviores. Ubique fere habet nomen sancti Augustini, sed ubique se prodit versionis character; unde videntur varietates, quæ inter diversos codices intercedunt, procedere ex varietate translationis. Idem textus fuit, sed non idem interpretator. Propter autem discrimina quæ occurrunt, stampis submittendus visus est hic sermo, qui habetur: 1° Bibl. Amiat., Cod. II, fol. 15; 2° Bibl. Laurent., Plut. XIV, Cod. IV, fol. 52 b; 3° ibid., Plut. eodem, Cod. I, fol. 54; 4° Cod. Cass. CVI, fol. 191 a tergo; 6° Cod. altero ex eadem Bibl., cujus numerus non ad me transmissus est, sed fol. 66 a tergo. Juxta Combesisium, non est Chrysostomi, quanquam alicubi nomen ejus habeat, sed est forte Chromatii. Quidquid sit, ponatur in appendicem post præcedentem cum numero in Natali Sanctorum Innocentium VII.*

## SYNOPSIS.

I. Innocentes pueri Christi laudes canunt, dum parentes eorum Christum persequuntur. II. Pueri isti docti sunt sine magistro, sed inspirante Spiritu sancto. III. Oritur ergo grande discrimen inter pueros et parentes eorum. IV. Fletus Rachelis sine consolatione. V. Innocentium laus.

I. David propheta sanctissimus loquitur dicens (1): «*Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos*<sup>1</sup>.» Dedicatur novus (2) ab infantibus sermo; sanctis laudibus Christi (5) in gloriam Domini primam (4) vocem aperiunt innocentes. Fiant disertus laude qui fuerant (5) imperiti sermone. Offerunt Domino (6) primitias linguae, novos oris immolant fructus, verborum principia tunc primitus (7) libant. Infantia enim, quae per aetatem loqui non poterat, glorias Dei (8) cum laudibus resonabat. Norunt laudare Christum, qui loqui non noverant (9). Fiant periti laude, qui fuerant imperiti sermone (10). Ostendunt laudibus Christum (11), suffragiis praedicant Dominum (12), quem parentes volebant ducere ad supplicium (13). O parentum miserabilis furor (14)! Insectantur Christum, quem filii suscipiunt; necare disponunt quem infantes agnoscunt. Parentes crudeles existunt, et pueri venerantur, nec a filiis potuerunt discere, quos ipsi erudire debuerunt. Disce, miserrime hostis, disce, inquam, a parvulis, quod a lege non discis. Cognosce (15) vel tardius

<sup>1</sup> Psal. viii, 3.

(1) Cod. i et cvi, *dilectissimi fratres, praecantator propheta David a Spiritu sancto inundatus, sic ait, quod etiam charitas vestra modo nobiscum audivit, simulque cantavit: Ex ore, etc.* — (2) Cod. i male *vobis*. — (3) Deest *Christi* in codd. i et cvi. — (4) Cod. i *hora prima vocem*; cod. cvi *ora prima voce*. — (5) Cod. cvi male *fuerunt*. — (6) Cod. i *Deo*. — (7) Sic codd. i et cvi; in caeteris haec verba desunt. — (8) Sic codd. i et cvi; caeteri *Deo*. — (9) Cod. cxvi *norunt*. Sic et edit. — (10) Haec desunt in cod. i et cvi; sed leguntur in caeteris, et in edit. — (11) Sic cod. iv; codd. i et cvi, *Deum*; cod. Cass. *Dominum*. — (12) Sic cod. iv; codd. i et cvi *Christum*. — (13) Sic codd. iv et cxvi; alii *ad supplicium ducere nitentur*. — (14) Haec et sequentia sic leguntur in codd. iv et cxvi. Codd. autem i et cvi sic habent: *O Herodes! miserabili furore insectaris Christum, quem infantes suscipiunt. Tu crudelis existis, et pueri venerantur. Nec ab infantibus discere potuisti, quos tu debueras erudire.* — (15) Sic codd. iv et cxvi; caeteri *agnosce*.

Christum, cui innocens ætas perhibet testimonium (1). Intellige laude infantum, quem præconiis non intelligis Prophetarum. Crede suffragio parvulorum, qui non credis documento virtutum. Persuadeant talium laudes, cui (2) persuadere non potuerunt Domini voces (3). Nec ulla te causa jam poterit excusare, quem propria soboles non potuit edocere.

II. Fiunt interea pueri sine magistro disertis, docti sine doctore, sine eruditore periti. Agnoscunt Christum, prædicant Dominum, non quem persuasio humana (4) docuerat, sed quem divinitas innocentibus inspirabat. Cessant enim humana, cum divina tractantur, quia humana ipsa prodesse non poterunt (5), nisi divinorum solatio subleventur. Necessè est enim terrena succumbere, cum cœlestia prædicantur, naturalia silere, cum virtutes loquuntur (6). Erigitur itaque infantum ætas in laudem, quæ (7) delictorum non noverat crimen (8). Dignus a dignis (9) laudatur, et innocens innocentium testimonio prædicatur (10). Hoc enim Christo Domino (11) debebatur, ut non a reis parentibus, sed a filiis innocentibus (12) laudaretur. Tacere enim innocens ætas Dei laudes (13) non poterat, quam

(1) Sic codd. iv et cxvi; cæteri *quem innocens ætas docet hominibus præferendam. In infantum laudibus intellige Dominum, quem præconiis non intelligis Prophetarum.* — (2) Sic iidem codd. cæteri *si*; et deinde *Dei pro Domini.* — (3) Hic deficiunt pluribus prætermissis codd. i et cv; codd. autem iv et cxvi pergunt ut sequitur. — (4) Deest *humana* in codd. i et cv. — (5) Sic codd. i et cv; cod. iv male *potuerunt.* — (6) Hæc phrasid deest in codd. i et cv. — (7) Cod. i male *quem.* — (8) Codd. i et cv addunt: *Noverat et alleluia cantare. Quid est enim alleluia cantare, nisi Deum laudare? Alleluia enim Hebræus sermo est, latine Laudate Dominum, sicuti modo in præsentis Psalmo cantavimus.* Quæ quidem nihil aliud esse videntur, quam scribentis glossa. — (9) Codd. i et cv *dignus Dominus a dignis infantibus.* — (10) Cod. i *comprobatur.* — (11) Deest *Domino* in codd. i et cv. — (12) Codd. i et cv *ab innocentibus filiis.* — (13) Cod. cxvi *laudem.*

Christi gloria provocabat (1). Silentia gloriæ, damna sunt linguæ. Est enim crimen tacere, quod sit fructiferum prædicare; nec loqui ætas ipsa potuit nolle, cui divinitas contulit posse. Periculose tacetur, quod salubriter prædicatur, quia beneficii ingratus est, qui dispensanda absconderit, aut prædicanda siluerit. Unde et isti infantes non potuerunt silere, quem meruerunt dicere. Potuerant enim rudimentis ipsis relinqui (2), si paterentur Dominum silentio præterire.

III. Nascitur interea discrimen inter parentes et filios, inter genitores et natos. Erant enim parentes et filii genus simile, sed dissimilis interitus. Separant causæ, quos natura conjungit; discernit ratio, quos cognatio sociavit. Ideo (3) conspicit uterque Christum, intuetur et cernit, et uterque non, quod cernit, agnoscit; unus est ambobus visus, sed dissimilis intellectus; par est utrisque oculus (4), dispar est sensus. Denique parentes vident, nec credunt; filii vero, quod vident, laudibus protestantur. Præstat parvulis innocentia, quod reatus parentibus denegavit. Conferunt simplicitas dignis, quod malitia negavit indignis. Damnantur laudibus filiorum, dum, persequendo Christum, cumulos aggerant peccatorum. A Deo negatur parentibus noscere, quod datur infantibus prædicare. Lætantur pueri, gaudent infantes, quod laudis Christi facti sunt narratores. Canunt suffragia, glorias indicant, lætitia efferuntur. Timent silere, ne lapides faciant in laudes Domini personare, ut in his, quod scriptum est, dicamus esse completum: « Sapientia aperuit os mutum, et disertas fecit lin-

(1) Codd. 1 et cvi: *Quæ peccata non noverat*. Cætera desunt usque ad hæc verba: *Lætantur pueri, gaudent infantes quod laudis Christi etc.*, pro quibus habent, *gaudent et gloriantur infantes quod laudis Christi facti sunt narratores*. Deinde iterum differunt et dicunt: *Ineffabilia tunc ora priusquam mundana solverentur in verba, laudabiles Deo inter carnificum manus voces fuderunt, ut in his quod scriptum est dicant completum: Sapientia, etc.* — (2) Codd. *relinquere*. — (3) *Iid. adeo*. — (4) *Deest oculus in codd.*

»guas infantum<sup>1</sup>.» Os mutum in laude Christi patescit (1), et os loquax sanctis (2) laudibus commutescit. Imperitus sermo in glorias Domini expolitur, et peritus nefandis facinoribus implicatur. Disertas laudes innocens ætas expromit, et nocendi causas miseranda senectus exquirat. Mutantur in contrarium parentes; ut Dominum, qui non poterant, loquerentur, et, qui poterant, ejus laude (3) privarentur. Facit enim infantes dicere, qui contulit posse. Silere non patitur, qui tribuit quod dicatur. Accipiunt enim a Christo et reddunt, consequuntur et referunt. Uno enim tempore et qui dederat, recipit, et qui acceperat, reddit. Uno, inquam, tempore sua Christo redduntur, dum ejus laudes illi ab infantibus referuntur. Diximus de laude infantum, quid de lactentibus proferemus (4), quorum laudem invenire non possumus, nisi eos ipsos qui laudaverunt, noverimus? Ex ore infantium (5)! Qui sunt isti (6)? ubi sunt? Quam laudem intulerint quæro, qui loqui non noverant. Neque enim ætas illa poterat nosse (7), quod natura non dederat (8), aut celebrari a talibus poterat, quod institutio denegat. Dicunt namque Domino laudes trucidati ab Herode lactentes. Loquuntur sanguine, quod lingua non possunt; passione canunt, quod sermone non norunt; occisi prædicant, quod vivi non poterant. Nec novum quid dicitur (9), ut innocens sanguis aut Deo referat laudes, aut suas indicet passiones, cum Abel sanguis clamet ad cælum, aut occisorum animæ

<sup>1</sup> Sap. x, 21.

(1) Sequentia iterum desunt in codd. 1 et cxv. — (2) Codd. *solis*. — (3) *Iid. laudes*. — (4) Hic sermonem continuant codd. 1 et cxv. du interrupti, et habent: *Proculimus de laude dicentes infantium; quid de laude lactentium proferemus?* codd. 1v et cxvi male *proferemus*. — (5) Sic codd. 1 et cxv. Hæc verba desunt in codd. 1v et cxvi. — (6) Sic item codd. Codd. autem 1v et cxvi non habent *isti*, et deinde habent *ibi sint*; denique *pueri pro puero*, et *norant* pro *noverant*. — (7) Cod. 1v male *posse*. — (8) Sic cod. 1v; codd. 1 et cxv *quod per naturam non didicerat*; phrasis reliqua desunt in iis codd. — (9) Cætera desunt in codd. 1 et cxv usque ad hæc verba *transmittit infantes*.



vociferentur ad Dominum. Contulit martyrimum laudem, quibus negaverat natura sermonem. Licuit sanguine clamare, quibus narrare non licebat voce; licuit sanguine loqui, quibus lingua non licuit. Miscent cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba.

IV. Sed enim occisis innocentibus istis, impleta sunt Prophetæ verba dicentis: « Vox in Rama audita est fletus » et plorationis; Rachel ploravit filios suos, et noluit consolari, quia non sunt<sup>1</sup>. » Rachelem primo Ecclesiæ esse personam nemo qui abnuat, nemo qui aliud contra veritatem defendat; sed duo in illa diversa conspicio, fletum et consolationis contemptum (1). Si enim flevit, cur consolari contempsit? aut si consolari contempsit, cur flevit? aut quomodo competit consolari noluisse, cui competit flevisse? quæ aut flere non debuit, quæ (2) consolari contempsit, aut consolari debuit, quæ non flere non (3) potuit, cum manifestum sit fletus consolatione tergi. Vel certe cur indignit flere, quæ non indignit consolationis sermone? Sed « Noluit, inquit Scriptura, consolari, quia non sunt, » id est, noluit consolari, quia sunt. Si idcirco (4) noluit consolari, quia sunt, quomodo voluit flere, quasi illos qui non sunt? Sed ut compendio jam diversitatum causa reddatur, conditio a matre desletur, sed spe gloriæ consolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repudium consolationi indicitur. Pugnant enim in matre affectus et fides; humanitas cum devotione concertat. Plangit affectus, sed fides exultat; deflet humanitas, sed devotio consolatur. Licuit enim matri humanitus flere, cui non licuit consolatione humanitus indigere. Ideo (5) Dominus Christus in Lazaro flevit, nec tamen ipse quoque cujusquam consolatione indiguit, quia

<sup>1</sup> Matth. II, 18.

(1) Cod. male *fletus... contemptus*. — (2) Cod. *quem*, et ante *cui*. — (3) Deest *non* in cod. — (4) Sic edit.; cod. *sub circo*. — (5) Cod. *advo*.

hominis fuit quod flevit, cum manifeste Deus sit qui Lazarum suscitavit.

V. Sed o beata lactentium gloria, quibus pro Christo contigit dedicare martyrium! Expugnant (1) tempore uno nativitatem et mortem, ingressum et exitum, principium et occasum, ut ipsis posset tempore uno, ut dixi, contingere, et nascendo ingredi mundum (2), et dedicare martyrio cœlum (5). Probat novos exercitus Christus (4), rudes milites signat, legiones lactentes victoria perpetrata coronat (5). Fiunt pro Christo victores, qui fuerant æquales; fiunt, inquam, infantes sine certamine fortes, sine pugna victores. Norunt vincere, qui pugnare non norunt; existunt victoriæ compotes, qui fuerant ætate imbecilles. Merentur martyrium pœna; gloriam sanguine comparant; æternam vitam temporali morte commutant, nec timuit ætas illa mortem, nec horruit. Timere enim non potuit, quæ timere non novit. Transmittit (6) infantes infans Christus ad cœlum. Offert nova xenia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori. Ostendit futuram fecundissimam (7) messem, dum in semine tantam exhibet ubertatem. Derisit se (8), derisit hostilis immanitas, quæ putavit turbare posse consilium Dei, gloriam Christi, salutem necessariam mundi, sed contulit infantibus multis martyrium (9), dum infantem (10) quærit occidere Christum. Præstat hostis dum nocet (11); beneficium tribuit, dum occidit. Invideret enim eorum gloriam, si amaret. Sed aliæ sunt terrestres pugnae, aliæ cœlestes victoriæ. In prælio Christi moriendo vivitur, cadendo surgitur, victoria post interitum comparatur.

(1) Cod. iv expungunt. — (2) Id. malum. — (3) Id. *martyria lato*. — (4) Id. *Christe*. — (5) Id. *coronet*. — (6) Hic rursus resumunt sermonem eodd. i et cvi. — (7) Codd. i et cvi *futuram fecundissimam ostendit*. — (8) Decet hæc phrasîs in iisdem eodd. usque ad verba *sed contulit*. — (9) Codd. i et cvi. *sed lactentibus contulit cito martyrium*. — (10) Id. *dum Herodes infantem*. — (11) Cætera desunt in iisdem eodd. qui habent concludendo: *Ergo, fratres charissimi, oremus, ut digni simus Christum sequi, quatenus cum eo mereamur regnare*. Cod. i solus addit: *Qui cum patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

---

SERMO LXXX.

De Communi Apostolorum.

*Exit hic sermo ex Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 50. Sit cum cæteris in appendice post sermonem Maurinensem CCXXII, cum numero de sanctis Apostolis II.*

SYNOPSIS.

I. Apostolorum grande encomium. II. Ignobiles fuerunt et peccatores, unde nobis fiducia datur occasio. III. Tales missi sunt, ut appareat virtus Dei.

I. APOSTOLI namque, fratres charissimi, sapientes pastores Ecclesiæ militantis, potentes duces pastoresque Ecclesiæ triumphantis, æterni Judicis assessores, illuminatoresque dominici gregis hodie pro nobis in cælis intercessores facti sunt; gaudeamus; tales namque decebat humani generis doctores constitui, qui et dulces essent, potentes, et sapientes; dulces, ut infideles et rebelles dulciter reciperent; fortes, ut fortiter protegerent; sapientes, ut sapienter perducerent per viam quæ nos ducit ad patriam. Talibus namque dedit Deus potestatem super naturam, ut eam curarent; super dæmonia, ut ea subverterent; super elementa, ut ea mutarent; super animas, ut eas absoluerent; super mortem, ut eam contemnerent; super Angelos, ut corpus Domini consecrarent. Quapropter, fratres dilectissimi, sanctorum Apostolorum solemnia celebrantes,

sanctitatem, et gratiarum plenitudinem, et vitam, et conversationem Christi in eis tanquam in speculo relucentes agnoscimus; et sicut sol in suo splendore, et sicut rosa in suo odore, et sicut ignis in suo calore, sic Christi vita in sanctis Apostolis relucebat. Isti etenim sunt, quos elegit ante mundi constitutionem<sup>1</sup> ex abjectissimis et ex inexper-tissimis, ut ex eis nobilitarentur et multiplicarentur clarissima eloquia, præclarissima ingenia, et copiosissima signa et miracula. Attendite igitur, fratres, attendamus et nos. Quid Apostolis potentius, quid eis mirabilius, quid eis gloriosius? Numquid eis mare et terra non (1) obediunt? numquid non per eos mortui resurgunt, leprosi curantur, cæci illuminantur? numquid in cælo et in terra signa et prodigia non operantur, in tantum, ut «In omnem terram» audiatur sonus eorum, et in fines orbis verba eorum<sup>2</sup> et virtutes extendantur? Isti namque (2) sunt cardines orbis terræ, columnæ mundi, principes cælorum, Angelorum præceptores, lux mundi, reparatores fidei, ædificatores divinæ legis, amatores virtutum, spiraculum Trinitatis, sal terræ, dii fortes, supernorum cultores, servi Dei veraces, mansueti, graves, prudentes, irreprehensibiles, piissimi, immaculati, intacti, in tantum ut qui eos videbant, admirarentur dicentes: Vere isti sunt homines Dei, quorum conversatio et vita talis est. Vere isti sunt homines, quorum sanctitas et magnificentia per orbem terrarum et gyrum cælorum resplendet et ampliatur.

III. Quis nunc jam desperet aut de humilitate generis, aut de malignitate criminis, cum audiamus peccatores et ignobiles ad cælestis gratiæ fontem sic ascendisse; ut etiam piscatores regibus præponeret, et persecutorem Ecclesiæ Paulum Apostolis cœquaret, qui ut cogitat sanctos Dei servos necare, sanctorum fidelium jugum suscepit, et Ma-

<sup>1</sup> Ephes. 1, 4. — <sup>2</sup> Psal. xviii, 5.

(1) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (2) Cod. *denique*.

gister efficitur Gentium, forma Martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque cunctarum virtutum. Et quid miramur? Numquid super astra cælorum non volavit, quando tribus diebus et noctibus non manducavit nec bibit<sup>1</sup>? numquid Deum tunc facie ad faciem non vidit<sup>2</sup>, sicuti est<sup>3</sup>? Rapitur piscator fidelium, ut bene agnosceret secreta cælestia, ut Ecclesiarum futurus doctor inter Angelos disceret, quod inter homines super omnes prædicare deberet. Petrum denique, Andream et alios, per quos operatus est salutem in medio terræ<sup>4</sup>, non de magnifico foro Justiniani, sed de simplicitate piscatoria legimus assumpsisse. Hoc audientes sapientia mundi inflati mirantur, sed non convertuntur; mirantur quomodo non reges, non Romanorum senatores, non philosophos, non divites, non sagaces, non malitia plenos, sed pauperes et indoctos piscatores, incruditos liberalibus disciplinis; non peritos grammatica, non armatos dialectica, non inflatos rhetorica, sed piscatores cum tunica simplici, sine pane, sine virga, sine pecunia, sine calceamentis<sup>5</sup>, tantum cum retibus fidei misit, ut ex omni genere infinitos pisces colligerent<sup>6</sup>.

III. Sed dicet quis: Quare indoctos sic elegit Salvator? Numquid non et pro omnibus carnem assumpsit? Cujus rei causa est; nam ideo tales elegit, talibus potestatem tribuit, sic idiotæ et illitterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium vel virtute humana, vel eloquentia, non doctrina Dei fundata (1) putaretur. Sic pauperes et indocti mittuntur, in tantum ut Apostolis nemo pauperior appareat. Mittuntur; terram simul ac mare, Græciam simul ac Barbariam, omnemque prorsus, quanta est sub sole, re-

<sup>1</sup> Act. 18, 9. — <sup>2</sup> 1 Cor. XIII, 12. — <sup>3</sup> 1 Joan. III, 2. — <sup>4</sup> Psal. LXXIII, 12. — <sup>5</sup> Matth. 8, 10. — <sup>6</sup> Id. XIII, 47.

(1) Cod. *ne fides credentium non virtute humana, sed eloquentia et doctrina Dei quod facerent, putaretur.* Aliter sic Legi posset: *ne fides credentium, non virtute divina, sed eloquentia et doctrina humana fundata putaretur.*

gionem quasi volantes circuierunt; non simplici labore, vel in vanum itinera percurrentes, sed peccatorum spinas pariter evellentes, verbum veritatis ubique seminantes, errores effugantes, veritatem reducentes, ipsos homines quasi ex dæmonibus Angelos fecerunt. O quam mirabiles fluvios sapientiæ et scientiæ Dei illi nobis genuerunt, et sanitatis et virtutis fructum copiosum obtulerunt! Nam sicut, adveniente luce diei, ægritudines alleviantur, homines a somno excitantur, aves garrunt, bestię ad latibula fugiunt; sic sanctorum Apostolorum luce adveniente, mundus ædificatur in credendis, sæcundatur in operibus bonis, alleviatur a peccatis, excitatur a negligentis, animatur ad contemplationem, eripitur a pœna tenebrarum, et sic per eos perducitur ad regna cœlorum.

---

## SERMO LXXXI.

### De Communi Martyrum.

*Educitur hic sermo ex Bibl. Ædil., Cod. x, fol. 50 b; unde ponitur in appendicem post sermonem Maurinensem cccxxvii cum numero de sanctis Martyribus v.*

### SYNOPSIS.

I. Martyrum fortitudo. II. Hæc vel in pace imitanda.

I. SANCTORUM Martyrum, fratres charissimi, solemnina celebramus, qui non solum pretiosum sanguinem suum effuderunt, sed etiam mentis dolorem in necessitate proximi

portaverunt. O quam gloriosum sanctumque (1) supplicium! Nam illos examinat, ut nos erudiat; illos conterit, ut nos acquirat; illorum etiam trucidatus, nostros vult esse profectus, quia Martyrum merita nostra vult esse suffragia. Quid pretiosius namque, fratres, quam mors sanctorum Martyrum, propter quam dimittuntur delicta, destruuntur impii, confunduntur tyranni, devii infideles convertuntur, et eorum merita æmulantur cum nostris? O mors sanctorum Martyrum, delictorum finis, perituris dux salutis, patientiæ magistra (2) et æternæ vitæ domus! O Martyres, fiducia fidei meæ, quibus laudibus vos prædicem, quibus vocibus vos exornem ignoro. O Martyres, leonibus fortiores, aquilis velociores, voce libera menteque incorrupta, non armis sæculorum armati, sed fidei! Audivimus vos stetisse pro nomine Jesu tortos, sed tortoribus fortiores, et pulsantibus, et frangentibus, membraque laniantibus, ac ungulas evellentibus (3). Immobiles vos audivimus permansisse, quamvis diu plaga repetita in vobis fuerit. Licet ignis verba et verbera vobis fuerint, licet compago viscerum rupta fuerit (4), licet flammaram incendium passi fueritis pro Christi nomine, glorioso tamen triumpho ad regna cœlorum decantamus hodierna die collocatos. Isti denique sunt, fratres charissimi, triumphatores veraces, quos aliquando vidisse in Africa optime recordamur, catenis religatos, vestibus spoliatos; non tamen culpa, sed fide præclara pedes religatos habebant, qui non a fabro, sed a sole resolvendi (5), et tunc in pace cum eo. O pedes in sæculo religati, sed celeriter et cito liberati, ad Christum glorioso itinere percursuri! Isti sunt viri sancti fortissimi, terrorem domantes, spiritum roborantes, virtutibus coruscantes, terrena despicientes, cœlestia appetentes. Isti sunt qui occidi possunt, flecti nequaquam; nec sustinere

(1) Cod. *sanctorum*. — (2) Id. *magister*. — (3) Id. *pulsantes... frangentibus... laniantes... evellentes*. — (4) Id. *licet compago undique retorta fuerint*. — (5) Id. *resolvi*.

falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi unquam a veritate conticescunt. Stultus enim frequenter, sicut luna, mutatur; sed sapientissimi Martyres non metu franguntur, non potestate mutantur, non extolluntur in prosperis, nec in adversis demerguntur. Hæc est enim vita sapientum, ut fortes sint in cunctis. Non enim augentur, dum honorantur; non mutantur, nisi in melius; non ut parvuli fluctuant vento honoris, sed semper eodem animo stant in Christo in charitate fundati, et fide radicati. O vera beataque fraternitas, quæ fratrem veneraris (1) devotum! o vera sanctaque fraternitas, quæ corripis dissolutum, quæ præsentī dulciter servis, quæ absentem non rodīs, quæ sano applaudis, quæ infirmum non deseris, quæ placatum non provocas ad furorem, quæ iratum tyrannum in nullo metuis! o vera sanctorum Martyrum fraternitas, quæ nullis unquam casibus scinderis, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed etiam nec mors ipsa divellere audeat! Hæc est enim vera et indisrupta fraternitas, quæ geminata amicorum affectione ac virtute semper crescit. Ejus semel ictum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpit contrarietas voluntatum.

II. Sed dicet quis: Hanc sanctorum Martyrum firmitatem tenere non possum; eos sequi non valeo; martyrium modo non invenio, quia in tempore pacis sum constitutus. O tu, homo, qui loqueris, attende quod «Omni tempore» diligit qui amicus est<sup>1</sup>. » Omni tempore martyrium est. Nam mori a persequente in aperto martyrium est; et forte quod hoc martyrium nobis abest; sed ferre contumelias, odientem diligere, orare pro persequentibus, verba susurronum patienter portare, o quam grande martyrium est! Nam qui gladio occiditur, cito forsitan moritur; sed qui hoc in tota vita portat, quamdiu, quam longe, quam pæ-

<sup>1</sup> Prov. xvii, 17.

(1) Cod. *veneraris*.



SERMO LXXXII, DE COMMUNI CONFESSORUM, ETC. 431  
nose martyrium portat! Eia igitur, fratres, adjuvante Do-  
mino Deo nostro, si patientiam in tribulationibus non ha-  
buerimus, martyrii palmam non tenebimus. Sine ferro et  
sanguine martyres esse possumus, si patientiam in animo  
custodiamus. Quamvis enim occasio persecutionis desit,  
habet enim semper sancta mater Ecclesia martyrium; quia  
etsi carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gla-  
dio desideria in mente trucidamus; et sic Martyribus so-  
ciati (1) semper cum Domino erimus. Amen.

---

## SERMO LXXXII.

De Communi Confessorum, seu de Pœnitentia.

*Abeat hic sermo eductus ex Bibl. Æd' l., cod. x., fol. 51,  
in appendicem cum cæteris ejusdem originis. Locus ejus post  
præcedentem.*

### SYNOPSIS.

I. Pœnitentiæ fructus et dignitas. II. Exhortatio ad facien-  
dam pœnitentiam. III. Idem exemplis confirmatur.

I. FRATRES charissimi, scire vultis, ut audio, quanta sit  
virtus pœnitentiæ. Attendite, et dicam, auxiliante Domino,  
quod potero. Fructus namque pœnitentiæ aufert quod  
minatur damnatio, et totum confert quod promittit salus.  
O fructus pœnitentiæ, mala æterna aufers, et bona æterna

(1) Cod. *socians*.

confers. Si enim fructum fecerimus (1) in ea, fructum capiemus; ex ea fructus quos facimus, ex ea præmium est. Si facimus fructus dignos in mundo, capiemus ex eis æternos fructus in præmio. Quid enim est pœnitentia, nisi dolor præteritorum? quid est fructus pœnitentiæ dignus, nisi delictorum satisfactio? Attendite ergo pœnitentiæ fructum et dignitatem; attendite pœnitentiam, primo cordis dolorem; attendite fructum per carnis macerationem et per oris confessionem; attendite dignitatem, cœlestenique mansionem. Tria autem sunt in pœnitentia, scilicet dolor præteriti, custodia futuri, et satisfactio delicti. Si ergo, o homo, securus vis esse, ne in futuro damneris, habeto dolorem præteriti, et cave de futuro; cave futura, corrige præterita et age pœnitentiam. Sacramentum pœnitentiæ namque (2), fratres, quid aliud est, quam exterior exhibitio operis? Sed res sacramenti est vera cordis contritio. Si ergo sacramentum suscipis, opera pœnitentiæ facias, et habeto rem sacramenti in (3) contritione vera. Tanta est enim pœnitentia tua, quanta est devotio tua, quanta est contritio tua; contritio pro malo quod fecisti, devotio pro recuperando bonum quod amisisti. Nolite ergo tantum, fratres mei, dicere: Ego jejunavi, tantum vigilavi, tanta opera misericordiæ feci. Tantum in his omnibus fecisti, quantum in his omnibus profecisti. Nolite, fratres mei, nolite folia arborum numerare, sed fructus; scilicet nolite pensare paleam, sed grana. Opus sine contritione est sicut flos sine fructu. Contritio sine fructu, o quam modicum est! Non ergo pensare debemus bona quæ fecimus, quia incerti sumus utrum perseverare possimus. Agamus pœnitentiam ut non solum confessores, sed etiam Martyres Christo efficiamur. Matrem sanctitatis abstinentiam frequenter capiamus, ut in cœlis cum Domino gloriemur. Mater sanctitatis est abstinentia, sed mater ægritudinis est voluptas. Abstinere debemus ab aliquibus, ne comedamus, non quia

(1) Cod. *feceris*. — (2) Id. *denique*. — (3) Id. addit *tanta*, quæ vox videtur abundare.

mala, sed quia non necessaria sunt. Per abstinentiam carnis vitia extinguuntur, et caro non occiditur; nam si chorda in cithara nimis extenditur, facile rumpitur. Sed quid prodest nobis corpus attenuare jejuniis et abstinentiis, si animus intumescit superbia? quid virtutis habemus vinum non bibere, si ira et odio quotidie inebriamur? Molestum tamen est carere assuetis voluptatibus, valde abstinere cibo, sitire et esurire. Sed attendite, fratres, miraculum, videte spectaculum, audite dulce præconium. Quid enim majus miraculum, quam tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles videre in carcere mundi triumphantes? Sine vinculis tenentur; solo Dei amore confisi in omni patientia perseverant. Numquid non (1) sicut ipsi, Deo favente, facere poterimus, fratres? numquid Deus deficit nobis? Radicis amaritudinem dulcedo pomi compensat; maris pericula spes lucri delectat; medicinam, dolorem spes sanitatis mitigat. Numquid qui nucleum desiderat, nucem non frangit? Pœnitentiam ergo agat qui vult adhærere æterno bono. Præconia Christi narrare non possunt, qui ad palmam indulgentiæ non meruerunt pervenire. O pœnitentia, tu languores sanas, tu leprosos curas, mertuos suscitās, sanitatem auges, gratiam conservas, gressum tribuis claudis, aridis copiam, cæcis visum, vitia fugas, virtutes exornas, et mentes tuorum corroboras!

II. Eia ergo, o peccator, non sufficit confessorem esse tantum ore vel nomine, sed opere et veritate. Non enim desperes, non diffidas. Ecce enim peccavit David, et solo verbo contritionis indulgentiam meruit. Numquid et Petrus non felicior factus est, postquam Christum negavit? numquid non fortior? numquid non constantior? Quia flendo doluit, longe majorem gratiam reperit post peccatum, quam amiserat (2). Nam nihil peccare solius Dei est, sed mala semper agere omnino nostrum est. Quis in sæculo peccavit enormius Paulo? quis in religione gravius Petro?

(1) Deest *non* in cod., et sic deinceps. — (2) Cod. *amiserit*.

Et tamen meruerunt assequi non solum ministerium p̄r p̄nitentiam, sed sanctitatem (1). Recordare etiam misericordiae, quam filio prodigo pater evangelicus legitur impendisse. Non enim dissidere debemus, nec aliquem iudicare viventem. Nam multa sunt de iudicio quæ homines ignorant; et fortasse quæ laudamus Deus reprehendit, et quæ nos reprehendimus, ipse in fine laudabit. Quid ergo, fratres, in sæculo isto cum carne, quid in sæculo isto maligno? Fugiamus, obsecro, de medio Babylonis, ut salvare possimus animas nostras; transmigemus ad loca deserta; fugiamus urbes; intremus solitudinem, ut possinus de præteritis agere p̄nitentiam, et in præsentī obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non (2) vos retardet conscientia, quia ubi abundaverunt peccata, superabundare consuevit et gratia<sup>1</sup>; nec p̄nitentiæ austeritas vos deterreat, quia « Non condignæ sunt passionēs » hujus temporis ad futuram gloriam<sup>2</sup>, » et ad præteritam culpam quæ remittitur.

III. Sed si verbis non creditis, operibus credite<sup>3</sup>, exemplis acquiescite plurimorum. Currunt undique peccatores ad p̄nitentiam; nihil credentibus impossibile, nihil amantibus difficile, nihil asperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur, quibus et gratia fit in auxilium, et obediendi devotio lenit imperium. Sic, fratres mei charissimi, sanctissimi Confessores fecerunt; sic et in sæculo fortiores Abraham comparuerunt; nam Abraham sua dimisit, et sancti viri sua pauperibus donaverunt; Abraham filium Deo obtulit, et sancti viri se ipsos Deo obtulerunt; Abraham ignem parat, filium ligat, gladium evaginat, sed Angelum audit prohibentem ne perficiat; sed sancti viri ad ignem positi tribulationum, tentationum, calamitatum, Christum prædicant, Christum magnificent, Christum glorificant, dicentes: « Quis nos separabit a charitate Christi? »

<sup>1</sup> 1 Tim. 1, 14. — <sup>2</sup> Rom. viii, 18. — <sup>3</sup> Joan. x, 38.

(1) *God, per p̄nitentiam sanctitatis.* — (2) *Id. nam.*

» ignis vel gladius<sup>1</sup> ? » Et sic efficiuntur holocaustum Deo , accensi igne charitatis , et exterius fere combusti flamma martyrii et tribulationis. Quod enim martyrium gravius est , quam inter epulas esurire , et inter divitias paupertatem tenere , inter falsos patientiam habere , inter maledicentes benedicere ? Hæc omnia donat mundus amicis Dei. Propterea pauperibus pariter et patientibus regnum cælorum simul cum Martyribus promittitur , quia paupertate et patientia regnum cælorum emitur , sed in passione pro Christo absque dilatione percipitur ; et tunc mundo moriuntur , et capiunt quod promittitur. « O pretiosa mors sanctorum<sup>2</sup> ! » o pretiosa plane tanquam finis laborum , tanquam victoriæ consummatio , tanquam vitæ janua , et perfectæ securitatis ingressus ! O fratres , numquid et isti mori timebant , dum in carne vivebant ? numquid mortem corporis timebant , quibus æterna vita jam promittebatur ? Quis labores mortis timere debet , cum se in perpetua requie noverit collocandum ? Eia ergo , fratres , discamus amodo benefacere , quiescamus agere perverse<sup>3</sup> , distinguamus qualiter oculi vertentur obscurissimi in capite , qualiter venæ corrumpentur in corpore , qualiter cor in morte scindetur dolore. Bene ergo vivamus , ut mori non timeamus , sed læte moriendo mereamur cum Sanctis omnibus collocari. Amen.

<sup>1</sup> Rom. viii, 35. — <sup>2</sup> Psal. cxv, 15. — <sup>3</sup> Isai. i, 16.



APPENDIX  
SERMONUM  
SANCTI AURELII  
AUGUSTINI  
HIPPONENSIS EPISCOPI  
CLASSIS IV.

---

SERMONES  
DE DIVERSIS.

---

SERMO LXXXIII.

Exhortatorius ad bene faciendum.

*Hic sermo, ubi sanctus Augustinus pluries citatur, ob hanc solam causam dicitur sancti Augustini exhortatio. Eruitur ex Bibl. Florentina, Plut. LXXXIX inf., Cod. XXIV, fol. 190. Pone illum in appendicem post sermonem CCCXV appendicis Maurinensis.*

QUIA, ut ait Salomon, « Melius est enim ut hic ad tem-

» pnis humiliter vitis resistamus, quam cum dæmonibus  
 » perpetuo puniamur (1), » charissime frater, nota quod tota  
 Christi vita fuit in paupertate, castitate, et obedientia, et hæc  
 sunt tria verba Religiosorum, in quibus ipsi vivere debent  
 et mori. Item dicit beatus Hieronymus, quoniam qui vult  
 vivere secundum Evangelium, tota ejus vita sit martyrium.  
 Licet enim talis potus sit amarus, tamen morbum curat,  
 et salutem confert æternam; unde Jacobus apostolus in  
 Epistola sua dicit: « Quicumque voluerit esse amicus sæ-  
 » culi hujus, inimicus Dei factus est<sup>1</sup>; » et alibi dicit: « Qui-  
 » cumque enim totam legem servaverit, offendit autem in  
 » uno, factus est omnium reus<sup>2</sup>. » Item Augustinus: « Si  
 non esset tentator, non esset tentatio; et si non esset ten-  
 tatio, non esset prælium seu pugna; si non esset pugna,  
 non esset victoria; si non esset victoria, non esset palma  
 et gloria. » Unde dicit Dominus: Pugna, juvabo; vince,  
 coronabo. « Non enim coronabitur, nisi qui legitime cer-  
 » taverit. » Item dicit Augustinus: « Qui creavit te sine  
 te, non salvabit te sine te. O bone Jesu, hic ure me, hic  
 me percutite, hic me examina, hic me flagella, saltem  
 ut in futuro mihi parcas. » Amen.

<sup>1</sup> Jacb. iv, 4. — <sup>2</sup> Id. ii, 10.

(1) Textum hunc apud Salomoneum diligenter quæsitum non inveni.



SERMO LXXXIV.

De Mortuis et Consolatione remanentium.

*Erutus hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 59 b, abeat cum cæteris in appendicem post sermonem præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Moriuntur omnes. II. Mortis doli. III. Deus homines tollendo, quod suum est, recipit. IV. Vanæ flentium excusationes. V. In charorum morte potius gaudendum. VI. Conclusio per exempla et exhortationem.

I. FRATRES, quis est homo qui non videat mortem? Accedant omnes fortissimi; videantur omnes feroces; loquantur omnes principes et barones (1), qui terras et civitates componere voluerunt. Sonetur tuba, congregentur omnes in unum; veniat sanctus Pater Adam cum sapientibus suis, veniat Plato, Aristoteles, et ille clarus moralis Apostoli Pauli socius, qui tantum ascendere voluerunt, que quomodo Deus esset principium mobile movens investigare voluerunt. Dicite nobis sapientes: vidistis mortem, timuistis eam, concussi estis, plorastis, et forte remedia cuncta parastis, ut mortem non videretis; et tamen ipsi (2) resistere non potuistis. Quare? quia « Nullus est homo qui

(1) De verbo *barones*, vide serm. ad fratres in erem. XLVIII, et LXXVIII.  
 (2) Cod. *sibi*.

»vivat et non videat mortem<sup>1</sup>.» Dicite ergo, o vos principes et barones, ubi sit potentia vestra? ubi potentia Heber gigantis, qui terribilia in terra et in mari fecit? ubi potentia Nerohe (1), qui magnalia fieri jussit? ubi potentia et victoria Assur, qui Ninive civitatem grandem ædificavit? ubi potentia et victoria Nachor junioris, qui Trojam destruere tentavit? ubi potentia et sapientia Toreni, qui jura et leges in Græcia condidit? ubi potentia et sapientia Gathonielis, qui græcas litteras primitus adinvenit? ubi astutia Borphæi, qui primo naves construxit et navigare primo cœpit? ubi speculator Eleas, qui picturas et sculpturas primo fabricavit? ubi potentia Segor, qui quingentos viros bellatores uno vomere occidit? ubi sunt qui conventus disponebant et festa? Omnes dicere possunt: Fratres, nullus hoc negare poterit, quod mortem non viderit, quod non cuncta dimiserit, quod non timuerit valde.

II. O mors (2) sævissima! o mors fidelissima! o mors necessaria! Rapis filios, nec compateris parentibus; rapis patres, nec parcis orphanis; rapis matres, nec pupillis parcis. O mors quam magna est potentia tua! quam fortis, quam mirabilis damnatio tua! Ubique magna, ubique terribilis, ubique summe timenda, ubique expectanda, quoniam non tardabis. Nam, o mors, quosdam rapis in antiquitate et senio, quibus dicis: Non veniam tempore hyemis, quia tempus sanitatis est; humores æquales sunt; cholera modo non crescit; secure igitur vivas. Ecce quomodo in antiquitate senes rapis. Quosdam rapis in atrocitate et gladio, quibus dicis: Tempore veris tempus novitatis est; cuncta renovantur, egredere foras, vade venatum. Et egresso, ecce inimici jam veniunt vel seræ, ut venando eum devorent. Quosdam rapis in infirmitate vel lecto, quibus

<sup>1</sup> Psal. LXXXVIII, 49.

(1) Sic cod; forte legendum *Nemrod*. Nomen hoc et sequentium plura mendosa prorsus videntur; quæ restituat qui voluerit. — (2) Deest *mors* in cod.

dicis : Non veniam , quia tempus æstivum est et jucunditatis ; omnino non veniam. Ecce, qua hora non putant, egreditur mors. Quosdam rapis in calamitate et suspirio, quibus dicis : Estote securi , o pauperes ; ecce fertilitas , inopiam non portabilis ; quos mox cum aggredieris, nunquam saturaris, et nunquam dicis : Sufficit<sup>1</sup>.

III. Quis est ergo homo , qui non videat mortem ? Et ideo stupeo vos sanctæ catholicæ fidei participes, spe resurrectionis dotatos fideles, quomodo tantum de filiorum vel amicorum morte potestis dolere. Nunquam spes cum dolore concordat. Si ergo resurgendi, ut putatis, spem habetis, cur mortem amicorum ploratis ? Numquid non (1) qui dederat abstulit ? numquid non qui creaverat rapuit ? numquid non qui vivere jusserat , ad tempus mori præcepit ? Ipse denique commodaverat , ut cum eis habitaremus, quanto tempore voluisset, et, cum vellet, rursus sine dubitatione auferret. Nihil abstulit tuum, qui dignatus est hodie recipere suum ; injuriam nemini facit ; de eo conqueri nemo audeat. Nam licitum est recipere, in quacumque parte homo suum inveniat ; quanto magis ille, qui ex nihilo cuncta creavit ? Nolite ergo flere, nolite tristari, nolite turbari, quoniam suum rapuit, non alienum. Nolite flere super dormientes, sed super nos ipsos fleamus, dicentes : Peccavimus, Domine, sed miserere. Et iterum cum sancto viro Job vociferari mementote : « Dominus dedit, Dominus abstulit ; sit nomen Domini benedictum in sæcula<sup>2</sup>. »

IV. Sed dicetis : Numquid Dominus non flevit ? numquid Lazarum mortuum non ploravit ? numquid et tu matrem defunctam apud Ostia Tyberina longo tempore non flevisi ? « Medice, ergo primo cura te ipsum<sup>3</sup>. » O fratres mei, Dominum flevisse negare non audeo ; sed quid flevit ? Numquid Lazari mortem ? numquid Lazarum dormientem ? absit. Sed quid flebat ? quid dolebat, nisi Lazarum resur-

<sup>1</sup> Prov. xxx, 15, 16. — <sup>2</sup> Job. 1, 21. — <sup>3</sup> Luc. 1v, 23.

(1) Deest *non* in cod., et sic deinceps.

gentem, ad miseriam revocandum (1)? Flebat igitur Dominus, quia cogebatur propter alios salvandos Lazarum sæculo revocare. Hanc vitam intrare Lazarum flevit Dominus, quam nos miseri dolemus ab amicis nostris ablatam. Flevit et episcopus vester non mortem matris, sed dolorem quem multis annis propter me passa est.

V. Eia igitur, fratres, non fleamus, sed gaudeamus, quia de (2) aliena provincia mundi transivit ad Dominum, et de hostili miseria transivit ad cælum. Non luctus debet incutere quemquam fidelem, cum de peregrinatione meruit volare ad patriam? Quare hoc? quare meruit volare ad patriam? quia luxuriose non vixit; quia licet aliquando peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit et adoravit; ideo inanis et vacuus non creditur recessisse, quia christianitatis mercatus est lucrum. Sed quis est qui christianitatis lucrum possit mercari? Solus ille qui bene vixerit. Et quis est qui bene vixerit? Solus ille qui Dei voluntatem adimplevit vel adimplere potuit? Solus ille qui dicere potest: « Renuit consolari anima mea, memor fui Dei<sup>1</sup>; » quorum numerus brevis est. Quomodo hoc scimus? quia hoc fieri videmus. Ecce nihil in Deo delectamur, sed in (3)..., in equorum cursu, in accipitrum volatu, in mulierum venustis aspectibus, in vestimentorum varietatibus, in campis, in pratis florentibus. Et quid plura? Ecce puer in pomo, vetula in pecunia, rex in regno, miles in ense, rusticus in temporis temperie sperat. Ecce quomodo pauci sunt, qui dicere possint: « Renuit consolari anima mea, memor fui Dei. »

VI. Et ideo, fratres, nolite inique agere, nolite mortuos flere; sed vestra et eorum peccata discite deplorare; discite perditum tempus recuperare; discite eleemosynas dare; discite confessionem devote suscipere et sacramenta.

<sup>1</sup> Psal. LXXVI, 4.

(1) Cod. *revocantem*. — (2) Deest *de* in cod. — (3) Desunt quædam deleta in cod.

Ecce, ut videtis, magna quodammodo nos visitat et inaudita calamitate (1). Multi enim apud Hipponem heri comederunt, et riserunt, et festum fecerunt; sed ut videtis, hodie ad tumulum deportantur. Et ideo festinamus, non cras, sed hodie, confiteri et deplorare non mortuos, sed peccata, ut diximus. Discite etiam mane et sero dicere: A subitanea et improvisa morte libera nos, Deus Israël; et sic Dominus dignabitur nos exaudire, ut (2) pro nunc non moriamur. Scitote tamen, quod statutum est cunctis viventibus semel mori<sup>1</sup>; et ideo si supervixerimus, scitote quod minatur nobis Dominus. Ipse enim pius est, et nunc fame et mortalitate nos punit, ut nos ipsos agnoscentes revertamur ad eum. Nobis etiam minatur, quando propinquos nostros de medio nostrum tollit. Ideo, fratres, etiam revertamur ad eum, ut fuga nostra non fiat in hyeme<sup>2</sup>, aut in tempore frigoris nec pœnalitatis; sed in calore charitatis inveniamur accensi, quando merebimur vocari a Domino de ergastulo mortis hujus. Adjuvet nos et liberet nos ipse Deus, sicut liberavit tres pueros de camino ignis ardentis. Amen.

<sup>1</sup> Hebr. ix, 27. — <sup>2</sup> Matth. xxiv, 30.

(1) Dæst vox calamitate in cod. — (2) Cod. et.

## SERMO LXXXV.

## De Morte.

*Eruitur hic sermo ex eadem Bibl. Ædil., cod. x., fol. b. Sit in appendice post præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Mala hujus vitæ ad optandam mortem nos impellunt. II. Bona mors quam beata. III. Morbi dolores Dei venientis monitum.

I. FRATRES charissimi, o si vitæ istius naufragio atque compendiosæ mortis comparando commercio cogitaremus, quam fastidiose, o quam inenarrabiliter, o quam tædiose tæderet vivere ! Sed o quam festinanter mori in Domino concupisceret unusquisque ! o quam bene mortuis qui in Domino moriuntur ! Nam ut collationem quamdam breviter faciamus, conferamus, si placet, de vita præsentis, quæ initium dolorum est, et quasi per amicum litigium, quid potius appetendum sit male vivere, an bene mori discutiamus. Nam bene vivere dicere audeo quod nemo potest : « Omnis enim homo mendax est<sup>1</sup>. » Ideo Apostolus videns aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis, exclamabat : « Cupio dissolvi et esse cum Christo<sup>2</sup>. » Denique quis vivere potest sine molestiis ? Nam esurire, sitire, falsari et omnia mala pati commune nobis est, et

<sup>1</sup> Rom. 111, 4. — <sup>2</sup> Philip. 1, 23.

omnium nostrum est. Et vere omne malum amicus noster est. Quare? Nisi quia nunquam nos relinquit; semper tecum est; nunquam hominem deseruisse malum perlegimus. Amica domestica cuncta mala nobis sunt, et quæ intra nobis sunt, cupire, amare, odisse, fornicari, occidi, rapere vel furari, nonne hæc omnia amica nostra sunt? Omnino negare non possumus. Quis ergo a passionibus mundus erit? quis a labe peccati innocens? quis sine peccato vivere potest? Ergo omnis homo mendax, omnis homo fallax. Denique audacter prænuntio, quia vitæ principium hominis, initium doloris est, calamitatis et miseræ. Hæc enim quæ dicimus, etiam philosophi nostri Carthaginenses non ignoraverunt, quando in ortu puerorum lugebant; sed moriendo gaudebant, et epulabantur quotidie splendide, credentes et scientes quod homo ad laborem nascitur, et ad requiem moritur. O mors desiderabilis; o mors amica amicorum Dei, omnium laborum præsentium finis, o mors, laboris mei requies, et quietis meæ principium, quis poterit tuas utilitates enarrare? Nam male mori Christianorum non est, sed bene mori, cum Christo vivere est. O futuræ beatitudinis mors et felicitatis principium! Valeas, fidelissima amicarum, quoniam si possem te libenter rapere, libenter te gustarem. Omnes enim cogitationes meæ, omnes labores mei te expectant, et instigant me ad amorem tuum, ut tempestiva venias.

II. Cur ergo mori times, o serve Dei? An ignoras quod dictum est: « Beati mortui qui in Domino moriuntur<sup>1</sup>? » Qui sunt isti qui in Domino moriuntur, nisi illi qui hospitem receperunt, nudum induerunt, famelicum saturaverunt, infirmos visitaverunt, mortuos sepelierunt, qui justitiam servaverunt, qui falsum testimonium non fecerunt, qui sanguinem non effuderunt, qui usuram vel rapinam non commiserunt? Isti sunt illi beati qui in Domino moriuntur, ad quorum recessum panduntur cæli, lætantur

<sup>1</sup> Apoc. xiv, 13.

Angeli, et omnes Sancti obviam occurrunt intrantibus (1) sanctam civitatem. O quam beatus eris, o homo, si hospes Dei fueris et cœlorum civis, et si in civitate illa cœlesti moram perfeceris! Tunc enim in die tui exitûs Deus gratias referre non pigrescet, dicens Dominus (2) servo, Creator creaturæ: Gratias tibi ago, quia hospes fui et collegisti me; et ideo veni; benedicte Patris mei, recipe regnum Dei; pro temporalibus recipe æterna, pro corruptibilibus cœlestia, pro transitoriis felicissima suscipe sempiterna. Sed ad tantam felicitatem adipiscendam non solum sufficit bene agere, eleemosynas dare, nudos vestire; sed etiam declinare oportet a malo.

III. Ecce enim nos Salvator invitat ad amorem cœlestis patriæ, nos introducere cupit, et cupiens nos orantes et mundos aggredi, nos primo visitare dignatur. Febres veniunt, dolor capitis sentitur, venter dolet, stomachus inllatur; hæc enim sunt dona Dei. Hoc est bonum quod tibi promittit; hic est præco, qui clamat ut pœniteas, ut confitearis, ut viaticum digne suscipias. Et ideo dum infirmamini, fratres, statim paretis vos ad mortem, inducatis tam cito presbyteros, pelite confessionem; eucharistiam et unctionem petere festinate. Quibus receptis, veniat Doctor doctorum, qui pro salute nostra mori dignatus est, et secure pertranseat, quoniam inveniet in te mansionem paratam, et Beati Angelis associati indefessa voce cantare non desistent: « Gloria in Altissimis Deo et in » terra pax hominibus bonæ voluntatis<sup>1</sup>; » quod nobis concedat ipse qui est benedictus in sæcula sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Luc. II, 14.

(1) Cod. *intrantes* — (2) Id. *Dominus*.



SERMO LXXXVI.

De Vita activa et contemplativa.

Ad Presbyteros.

*Exit, ut præcedentes, hic sermo ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 53; unde sit in appendice post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Duæ uxores Jacob, Lia et Rachel, vitam activam et contemplativam significant. II. Beatior tamen vita contemplativa, quæ bene aliquando activæ miscetur.

I. LEGIMUS, fratres charissimi, quod Jacob duas uxores habuit, Liam videlicet et Rachelem (1); una lippis oculis erat, altera clare videbat; una in filiis sæcunda erat; altera fere duos filios habere potuit; et septem annis servivit pro Lia, et septem aliis annis pro Rachele. Jacob iste, dilectissimi, Deum Patrem significat, qui sibi quotidie per adoptionem filios generat. Duæ uxores, duæ vitæ sunt, quibus homines et servi Dei insistunt, activa videlicet vita et contemplativa. Lia activam, Rachel contemplativam significat; Lia enim Labor interpretatur, quia activa vita in labore mundi, Deo tamen serviendo desudat. Deo servit, dum pauperes recipit, dum pascit, dum vestit, dum visitat, dum consolatur, dum sepelire festinat; sudat etiam et

(1) Vide Augustin. de Consensu Evang., lib. 1, num. 9, et contra Faustum, lib. xxii, num. 52, et seqq.

Deo servit, dum filiis, uxori, sibi et famulis legitime acquirit unde vivant (1), et unde etiam pauperes Christi pascantur. Lippa tamen dicitur Lia, quia quamdiu sumus in sæculo, clare Deum videre non possumus; et tamen fœcunda est, quia plures activi, sed pauci contemplativi reperiuntur in sæculo. Rachel autem dicitur Videns, quia contemplativi et simplices, innocentes sunt velut oves, et a tumultu sæculi sunt separati, ut in solitudine contemplationi vacantes videant clarius illum qui ait: «Ego principium qui et loquor vobis<sup>1</sup>.» Unde non lippa, sed formosa et clare videns dicitur, quia duos filios habet, quia duo sunt genera contemplativorum. Aliqui vero conversantur in communi, ut sancti Apostoli et prædicatores; aliqui segregati a gentibus, sicut sunt fratres mei. Unde duorum unus vocatur Joseph, alter filiorum vocatur Benjamin. Joseph enim Augmentum dicitur multitudinis; sed Benjamin, Filius dexteræ, solum Deo viventem et solitarium dexteræ tantum Dei hærentem (2), non omnes significat. Septem anni, vitam, quæ septem diebus volvitur significant, in qua homo acquirit vitam activam vel contemplativam.

II. Sed beator est atque perfectior contemplativa, quam activa, dicente Domino: «Si vis perfectus esse, vende omnia<sup>2</sup>. Hanc partem elegit Maria quæ non auferetur ab ea<sup>3</sup>.» Activa vero quotidie auferitur; sed contemplativa semper perseverat; activa semper in præsentem est, sed contemplativa incipit in præsentem et perficitur in futura, quia ibi videbimus Deum facie ad faciem<sup>4</sup>, sicuti est<sup>5</sup>, quem hîc per speculum<sup>6</sup> consideramus. Hic etiam, fratres, aliqui activi sumus, quia opere misericordiæ impediti sumus, intendentes quomodo pauperes, ut nullus esuriat, pascamus, quomodo potum tribuamus, ut nullus sitiât; quomodo nudum induamus, ut nullus frigescat; quomodo mortuum

<sup>1</sup> Joan. viii, 25. — <sup>2</sup> Matth. xix, 21. — <sup>3</sup> Luc. x, 42. — <sup>4</sup> 1 Cor. xiii, 12. — <sup>5</sup> 1 Joan. iii, 2. — <sup>6</sup> 1 Cor. xiii, 12.

(1) Cod. *vivat*. — (2) Id. *habentem*.

sepeliamus, ut eorum cadavera in platea non jaceant; quomodo incarceratum visitemus, ut nemo sit qui conquerratur; et si omnes tales opere adjuvare non possumus, saltem bona voluntate activi esse debemus, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

## SERMO LXXXVII.

Ad Sacerdotes.

*Eruitur hic sermo ex eadem Bibl. Ædil., cod. x, fol. 25.  
Sit in appendice post præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Quæ virtutes Sacerdotibus conveniant. II. Nemo de Sacerdotibus male loquatur, sed illos honoret. III. Quanta cura examinandi ab Episcopis consecrandi. IV. Adhortatio ad Clericos.

I. SACERDOTES dilectissimi, tria sunt genera hominum quæ odit Deus, scilicet remanentem, retro redeuntem, aberrantem. Ideo vos qui præestis, ad vos pertinet excitare remanentes in malis, errantes revocare ad viam, et tardos pigrosque excitare, ne amplius dormiant. Qui non proficit, remanet in via; qui pejor efficitur, retro revertitur; sed qui fidem deserit, omnino in morte dormit. Ad vos ergo, Sacerdotes Dei, pertinet excitare remanentes, errantes revocare, sed et dormientes semper increpare. Considerate ergo, antequam hæc omnia faciatis (1), quibus virtutibus

(1) Cod. *faciant.*

fulgeatis; considerate quid sit populo præesse; considerate quale sit divinis sacramentis insistere. Tales namque (1) convenit sinceritas sacramenti, qualia sunt sacramenta Christi, ex quibus exhibent officia servitutis; ne circa Deum offendant ipsi quod tractant, aut circa populum incipiant impedire quod prædicant. Inordinata namque multitudine Sacerdotum hodie datur contemni nostræ redemptionis venerabile sacramentum. Nam qui debent esse vicarii Apostolorum et socii Petri, facti sunt hodie socii Judæ. O grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant. Lætetur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris est de sublimioribus corruisse. Nec solum pro nostris debitis reddemus rationem, sed pro omnibus quorum abutimur donis. Considerate igitur Sacerdotum esse officium, de Lege interrogatos respondere. Nam qui Sacerdos est, de Lege Domini numquid debet interrogare? Absit. Sed si ignorat, se ipsum arguit non esse Sacerdotem Domini. Sacerdotum ergo est scire Legem, et interrogatos de Lege, respondere (2). Sacerdotum est caste vivere, pie, sobrie, non despectam vetulam in domo tenere, nec in aliquo obsequio. Magis namque cito delinquitur, ubi sine suspitione securum potest esse delictum; maxime quia delictum nullam deformitatem despicit. Sacerdotum est vinum componentium (3) societates fugere; turpe est enim Dominicum corpus tangere et convivia frequentare. Sacerdotum est animarum curam pro Domino suscipere, ut errantes doceant, mœstos consolentur, pauperes sustentent, ut pœnitentes ad salutis remedia protrahant, pupillos gubernent, et secum plures ad Deum festinent perducere.

II. Multos tamen cognovi, qui plus Sacerdotum vitam, quam suam discutiunt. Tales in foveam dilabuntur erroris, quia more hypocritarum trabem suam non considerantes,

(1) Cod. *denique*, et sic deinceps. — (2) Id. *respondeat*. — (3) Id. *seculenum conjurantium*.

festucam tenuem in aliorum oculis considerant. Sacerdotum est ergo se ipsos summe custodire, ne se ipsos et populum scandalizent, ut qui pro Domino animarum curam susceperunt, studeant ut errantes doceant, consolentur mæstos, visitent infirmos in omni charitate et dilectione. Sed qui in sæculo sunt, caveant ne Sacerdotum vitam dilacerent, etiamsi Sacerdotes mali inveniuntur; sed si forte fecerint, eos cum omni reverentia et charitate reprehendere festinent. Sedulo sacerdotii aspice dignitatem; nam per eos agitur in terra, quod negotiis cœlestibus continetur. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non alia aliqua creatura, non Virtus, non Seraphim, non Gabriel, non Raphaël, sed ipse Spiritus sanctus hoc munus instituit, hoc Filius confecit, hoc Pater plenarie manifestavit, atque adhuc in carne hominibus permanentibus ministerio fungis sancta Trinitas præstitit Angelorum. O Sacerdotes, per vos Christum induimus et docemur! Numquid ergo non (1) a nobis magis quam reges et iudices, vel parentes honorandi sunt? Et ideo sapientissimum esse oportet, et perspicacem in omnibus Sacerdotem, et mille, ut dicitur, ex omni parte oculos habentem; qui non solum sibi, sed et populo vivat, ut origo sit et fundamentum cunctarum virtutum.

III. Attendere et diligenter prospicere debent Episcopi nostri, ne indignos ordinent Sacerdotes; nam eisdem subiacent pœnis, quibus illi qui sunt ordinati, etiamsi dicant se illorum vitia ignorasse. Dico eis audacter cum Apostolo ad Timotheum: «Manus cito nemini imposueris, ne par-ticeps sis eorum peccatis<sup>1</sup>.» Imo ex hac excusatione gravius peccare videntur, quoniam promoverunt quem ignoraverunt.

IV. Attendamus ergo, o Clerici, qui columnæ templi videmur, ne pro populorum nostræ auctoritati (2) subdi-

<sup>1</sup> 1 Tim. v, 22.

(1) Deest *non* in cod. — (2) Cod. male *nostro Clericorum*.

torum iniquitate damnemur, si eos ignorantes non erudimus, aut peccantes non arguimus. Summa enim diligentia, summa charitate, summo desiderio et fervore nos qui pastores sumus, consolemur afflictos, pascamus egenos, induamus nudos, redimamus captivos, suscipiamus peregrinos, desperatis veniam promittamus, bonos custodiamus, et quidquid ad nostrum officium pertinet, constanter exerceamus, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

---

### SERMO LXXXVIII.

Ad Virgines Monasterii sui.

*Sit post præcedentem in appendice hic sermo erutus ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 51 b.*

### SYNOPSIS.

I. Quæ virtutes Virginem Christianam deceat. II. Virgines Angelis quasi superiores. III. Adhortatio ad servandam hanc divinam virtutem.

I. DECET Virgines Christianas non solum corporis sed mentis virginitatem servare. Quid enim prodest integra caro, mente corrupta? Melius est humile conjugium, quam superba virginitas. Quid est integritas mentis vel virginitas, nisi integram fidem, solidam spem, et sinceram charitatem servare? Decet igitur Virgines Christianas agnoscere quibus præceptis convenient insistere, a quantis vitiis

debeant abstinere, si volunt et in sæculo positæ cum Deo esse, et (1) cum eodem post vitæ præsentis resolutionem in claritate cœlesti regnare. Decet igitur primo Virgines Christianas publicos aspectus vitare, platearumque frequentiam summe odisse, in domo stricte orare reclusas (2), et postmodum operi benefico insistere. Decet Virgines Christianas nec ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis, sed incultis (5) crinibus, ad terram vultu deposito incedere, ne in se viles inducant amores. Decet Virgines Christianas penitus abstinere in conversando ab omni sermone vel rixa, et cum silentio et disciplina totam suam (4) vitam ornare. Non decet Virgines Christianas se de (5) pulchritudine jactare, nec de divitiis, nec de generis nobilitate; sed in Dei humilitate et paupertate spiritûs Christo acceptæ debent, quandiu vixerint, permanere.

II. O quanta virginitatis gratia! o quanta sanctorum et sanctarum Virginum constantia! [Supergreditur enim virginitas omnem conditionem humanæ naturæ, per quam Angelis Virgines majores æstimantur.] Salva sanctorum Angelorum reverentia, major est victoria Virginum quam Angelorum. Angeli sine carne vivunt, sed Virgines in carne triumphant; Angeli Deum vident, sed Virgines Deum vident, ipsum semper sequuntur; Angeli nec (6) comburi, nec lædi in aliquo possunt, sed Virgines ad ignem conductæ non læduntur in aliquo; super Angelos Deus sedet, et super Virgines Deus recumbit; fortes sunt Angeli, sed fortiores sunt Virgines; pulchri sunt Angeli, sed pulchriores sunt Virgines; virtutes Angeli et mirabilia operantur, sed majora per Virgines ostenduntur; admirabiles sunt Angeli, sed mirabiliores in sexu fragili sunt Virgines. O sancta et immaculata virginitas, quæ a Christo eligi me-

(1) Cod. *ut*. — (2) Id. *reclusæ*. — (3) Deest *incultis* in cod. — (4) Cod. *earum*. — (5) Deest *de* in cod., et sic deinceps. — (6) Deest *nec* in cod.

ruisti, ut esses (1) corporale Dei templum, in quo corporaliter habitavit plenitudo divinitatis! O virginitas quæ mundi salutem genuisti, quæ cunctorum Dominum peperisti, quæ universorum Deum et hominem parturisti.

III. Amate hanc virginitatem, Virgines Deo sacratæ, ut sponsæ Dei mereamini effici. Claudite vasa vestra, ne perdatis odorem unguentorum vestrorum; claudite oculos, ne videant vanitatem; claudite singula corporis membra, servate ea, cui illæsa servare promisistis. Fugite non solum alienorum consortium, sed et cum parentibus nolite multum conversari. Quid enim loqui sæculares possunt, nisi quæ sæculi sunt? Cavete igitur ab eis. Audacter denique loquor, cum omnia possit Deus; sed suscitare Virgines post ruinam, omnino mihi credere forte est. Custodite ergo vigilantes (2) mentem virginitatis vestræ, parate lampades vestras, accendite eas, emite oleum humilitatis, ardetis in charitate, estote Virgines mente, quia Virgo carne, non mente, numquid præmium habet? Amate fortiterque astringite virginitatem, ecclesiastici germinis decus et ornamentum gratiæ, portionem gregum Christi, Angelorum sororem, libidinum victoriam, et possessionem cunctorum bonorum, quod nobis concedat ille qui est benedictus in sæcula. Amen.

(1) Cod. omnes. — (2) Id. et vigilate.



SERMO LXXXIX.

De Consecratione Ecclesiarum.

*Idem dicendum de hoc sermone ac de præcedentibus, utpote qui eruatur ex Bibl. Ædil., cod. x, fol. 51 b. Locus ejus post præcedentem.*

SYNOPSIS.

I. Ecclesiæ Christi templo Salomonis sanctiores. II. Ecclesiam Jacob figuravit. III. Quid agendum in ejus Consecrationis solemnitate. IV. Ecclesiæ laus, ad quam nobis est confugiendum.

I. AUDISTIS, fratres charissimi, quod Salomon ædificavit domum Domini in Jerusalem annis septem, et dedicaverunt et sanctificaverunt eam in octavo anno Rex, et filii Jerusalem, et (1) Sacerdotes; et fecit Salomon festivitatem celebrem, et cum eo multitudo magna, et oravit Rex ad Dominum dicens: « Exaudias, Domine, orationem servi » tui, et populi tui in loco isto, et si peccaverit tibi homo, » quia non est qui non peccet et egeat pœnitentia, et oraverit in loco isto, parce ei, Domine<sup>1</sup>. » Et ait Dominus ad Salomonem: « Exaudivi orationem<sup>2</sup>, » et fiet, si invocaverint me in loco isto. Omnia enim, fratres, quæ facta sunt in antiqua lege, figura novæ fuerunt; ideo templum Do-

<sup>1</sup> 3 Reg. viii, 30-46. — <sup>2</sup> Id. ix, 3.

(1) Deest et in cod.

mini ab antiquis factum est, ut et nostræ dedicationis templum sit. Si enim domus Domini vocata est, ubi bestiaë immolabantur, multo magis Ecclesia nostra, ubi carnis et sanguinis Domini celebrantur sacramenta. Et si in illa se exauditurum Dominus repromisit, quanto magis et nos in ipsa exaudiet? Et si magna festivitas celebrata est tunc, et nos quantum gaudium facere ibidem debemus? Quam tamen dedicationem in octavo anno celebrasse dicitur, quia in die nostræ resurrectionis, quæ octava dicitur, post ipsius hujus vitæ tempus, quod per septem annos designatur, summa festivitas supernæ civitatis celebratur. Et ideo in Consecratione nostrarum Ecclesiarum, in unum convenire debemus, casti, sobrii, misericordes, humiles, benigni, et orantes, non loquentes sicut mulieres nostræ faciunt, sed flentes, ut sentiamus (1) auxilium.

II. Hanc festivitatem Deus in sua præsentia dignatus est visitare. Hanc etiam Jacob figuravit, qui (2) dum fugeret a facie fratris sui Esau, relicto patre, et iret ad Laban petiturus uxorem, in itinere tulit de lapidibus et supposuit capiti suo; et dum dormiret vidit scalam usque ad cælum directam, et surgens tulit lapidem, et direxit altare per modum tituli, et effundens oleum dixit: « Vere locus iste » sanctus est<sup>1</sup>. » Jacob Christus est, qui relinquens Patrem, carnem assumendo, fugiens a facie fratrum suorum Judæorum, dum pergeret ad Laban in mundo, dormivit in cruce, et tulit lapidem et supposuit capiti suo, dum humanitatem subjugavit Divinitati. Divinitas caput est Christi, quia caput Christi Deus; scala ad cælum est ascensio graduum virtutum; Angeli ascendentes et descendentes sunt prædicatores, qui annuntiant regnum Dei. Ascendit inter cæteros Joannes, quando dixit: « Verbum caro factum » est<sup>2</sup>. » Descendit Paulus, dum dixit: « Prædicamus Chris-

<sup>1</sup> Gen. xxviii, 16, 17. — <sup>2</sup> Joan. i, 14.

(1) Cod. *sentiant*, nec habet *ut*. — (2) Hæc verba *figuravit*, qui desunt in cod.

» tum et hunc crucifixum <sup>1</sup>. » Numquid et ipse non (1) ascendit, cum arcana Dei vidit et audivit.

III. Eia ergo, fratres charissimi, in hac sacra Ecclesiarum solemnitate, cum (2) licet, confitendum. Prius tamen culpam nostram debemus (3) recognoscere, nos postea sacerdoti ostendere, et ultimo medicinam manducare. Sicut namque (4) diversæ herbæ diversis infirmitatibus conveniunt, sic diversæ medicinæ morbis peccatorum, ut alius maceretur jejuniis, alius oratione, alius carcere, alius itinere, alius lacrymis, alius elemosynis, alius in tumultu mundi contra mundum, alius extra mundi strepitum fugiens. Et si in virtutibus abundantes sumus (5), in sanctam Ecclesiam intrantes et indubitanter petentes, dabitur nobis quod petimus.

IV. O sancta Ecclesia veneranda! o dilectissima mater fidelium astringenda! o sponsa Christi diligenda! In te perfectio omnis acquiritur, in te peccator Angelus efficitur, in te omnis petitio exauditur. Tu in altari Christi nata es, tu ab initio mundi in Adam figurata es. Misit enim Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus, et fecit mulierem. Dormitio Adæ, mortem Christi significat, quo in cruce pendente, sanguis et aqua de latere ejus fluxerunt <sup>2</sup>; quæ duo sacramenta sunt ortûs Ecclesiæ. Noë etiam arcam fabricavit, ut in ea salvarentur omnes. Josuë etiam templum Domino construxit (6), et in capite templi altare lapideum fieri jussit, columnas per medium posuit, fenestras fabricavit, et in liminaribus ostiorum duodecim panes posuit. Altare Christus est; columnæ sunt Apostoli et doctores; parietes, duo populi; fenestræ vulnera Christi, et duodecim panes, duodecim articuli fidei sunt, quos in

<sup>1</sup> 1 Cor. II, 2. — <sup>2</sup> Joan. XIX, 34.

(1) Deest *non* in cod. — (2) Cod. *qui*. — (3) Id. non habet *debemus*, et postea habet *se pro nos*. — (4) Id. *denique*. — (5) Deest *sumus* in cod. — (6) Hæc Scripturæ sunt opposita, et nomen *Josuë* huc male irrepsisse videtur.

sancta Ecclesia masticare et manducare debemus. Ad hanc igitur Ecclesiam, fratres charissimi, fugiamus, hanc prosequamur (1), quia in hac salvamur, in hac audimur, in hac cum Deo loquimur et sanctis Angelis pares efficiamur. Quærite igitur in Ecclesia faciem ejus semper<sup>1</sup>; sed si semper quæritur, quando invenitur? An semper dixit, in tota vita qua hic vivitur? Ex quo hoc debere nos facere cognoscimus: vel etiam quando inventus est, quærendus est. Jam Deum invenit fides, sed adhuc quærit eum spes. Charitas autem invenit eum per fidem, sed adhuc quærit eum per spem. Ubi tunc sic invenitur, ut ultra non quærat<sup>2</sup>? Forte et cum facie ad faciem<sup>2</sup> viderimus eum, sicuti est<sup>3</sup>, adhuc etiam perquirendus erit, et sine fine amandus. Quæramus ergo inveniendum, quæramus inventum, ut inveniendus quærat<sup>2</sup> occultus, et inventus quærat<sup>2</sup> manifestus (2). Quæramus ergo et inveniemus; et si non cito, ut cupimus, nolite tamen, fratres mei, diffidere, quia quod difficilius et longius quæritur, dulcius invenitur, fortius astringitur, et charius possidetur. « Quærite ergo Deum » dum inveniri potest<sup>4</sup>; » sed modo non potest videri, sicuti est, et nobis prope est; invocemus eum, quia « Ipse est » Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo<sup>5</sup>, » qui est benedictus in sæcula. Amen.

<sup>1</sup> Psal. cix, 4. — <sup>2</sup> I Cor. xiii, 12. — <sup>3</sup> I Joan. iii, 2. — <sup>4</sup> Isai. lv, 6. — <sup>5</sup> Psal. xci, 16.

(1) Cod. *persequamur*. — (2) Id. *immensus*.

APPENDIX  
SERMONUM  
SANCTI AURELII  
AUGUSTINI  
HIPPONENSIS EPISCOPI

---

TRACTATUS.

---

LIBER

De Numero.

PROLOGUS.

*Hic Prologus, qui legitur in Cod. Cass. clx, fol. 1, cum nomine sancti Augustini, huic minime tribui potest, cum agatur de Rogationibus, quæ non nisi post annum 462 fuerunt primo a sancto Mamerto institutæ, id est, triginta et amplius annis post sancti Doctoris obitum. Subjungimus duo fragmenta quæ pariter leguntur in cod., et in quorum ultimo quædam sunt Augustiniana. Locus ejus in appendice.*

DE numero igitur, dilectissimi, Deo adjuvante, pauca dicturi sumus secundum modulum ingenioli nostri, sed

tamen ex auctoritate majorum collecta. Primum nobis interrogandum est unde primum hæc ars, quæ numerus vel computum dicitur, initiaverit; deinde postea scire debemus ex qua radice sapientiæ numerus processerit. Scimus enim quod omnis sapientiæ sive divina, sive humana, philosophia nuncupatur, et illa philosophia in tres partes dividitur, et pars philosophiæ, quæ dicitur physica, in quatuor partes divisa videtur. Sic etiam et ethica, secunda pars philosophiæ, quatuor divisiones habet. Tertia autem logica duas divisiones. Ex qua ergo divisione hæc ars numeri procedat, demonstrare necesse est. Et postea etiam scire convenit quis primus invenerit numerum apud Hebræos, et Chaldæos, et Ægyptios, et apud Græcos et Latinos. Ac deinde investigari oportet quomodo numerus in linguis principalibus nuncupetur, hoc est apud Hebræos, et Chaldæos, et Persas, et Ægyptios, et Macedonas, et Græcos, et Latinos. Et illud nomen, quod dicitur numerus, utrum simplex sit (1), an compositum, utrum primitivum sit an derivativum (2), et quomodo definiatur scire nos convenit. Dehinc etiam interrogare debemus quomodo numeri numerentur apud Græcos ab uno usque ad mille et myriadas, et quæ notæ significant illos numeros apud Græcos. Necnon etiam scire nos oportet, quæ notæ significant istos numeros ab uno usque ad mille et myriadas apud Latinos. Deinde etiam opportune interrogandum est, quot sint divisiones temporis, et quomodo illæ divisiones majores crescant de minoribus. De atomis etiam tractandum est, de momentis, de minutis, de punctis, de horis, de quadrantibus, de diebus, de hebdomada, de mensibus, de ordine mensium, de inventione eorum, et in quo numero fuerint menses apud antiquos Romanos, et quo tempore menses nuncupati sint et inventi, et in quo numero dierum menses sint in sole et luna, hoc est, anno communi, et embolismi et in anno

(1) Cod. *si simplex est*, et sic deinceps. — (2) Id. addit *sit*, et deinde habet *definitur*.

solis, et quomodo inter se dissentiant, et conveniant, et qui primi menses solares invenerint, et quomodo menses nominentur apud Hæbreos, et Ægyptios, et Macedonas, et Græcos, et Latinos. Et postea investigandum est de quatuor temporibus anni. Deinde etiam tractandum est de annis, et quot sint genera annorum. Item de numero annorum ab origine mundi usque ad Incarnationem Christi. De indictionibus Romanorum, de cyclo decemnovennali, de cyclo epactarum in kalendis aprilis, de epactis quæ currunt in kalendis januarii, de epactis in kalendis duodecim mensium, de feria in omni die, de feria in termino paschali, de bissexto, de luna in qua hora vel in quo puncto sua ætas commutetur, de luna quot horis luceat in unaquaque nocte, de initio Quadragesimæ, de terminis paschalibus, de Pascha, de terminis Rogationum, de Rogationibus, de prima luna primi mensis, de concurrentibus.

*Sanctus Augustinus loquitur de annis.*

A V idus februarii usque ad V idus maii tempus verni est; dies sunt XCI. A V idus maii usque ad V idus augusti tempus æstatis est; dies sunt XC. A V idus augusti usque ad V idus novembris, tempus autumnii est; dies sunt XCII. A V idus novembris, usque in idus februarii tempus hyemis est; sunt dies XCII.

*Augustinus.*

De annis quadraginta sex ædificationis templi. VI, VIII, XII et XVIII, hæc insimul fiunt XLV. Adde ergo I, et fiunt XLVI. Hos sexies si ducas, fiunt CCLXXVI. Dicitur autem conceptio humana sic procedere, et perfici, ut primo sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, novem diebus convertatur in sanguinem, et deinde duodecim diebus solidetur; reliquis decem et octo formetur usque ad perfecta

lineamenta omnium membrorum; ex hinc jam reliquo tempore, usque ad tempora partûs, magnitudine augeatur. Ad quadraginta quinque dies, addito uno, qui significat summam, quia VI, et (1) VIII, et XII, et XVIII in unum coaptati fiunt XLV, addito ergo, ut dictum est, uno, qui cum fuerint multiplicati, per ipsum senarium numerum, qui hujus ordinationis caput tenet, fiunt CCLXXVI, id est, novem menses et sex dies, qui computantur ab octavo kalendis aprilis, quo die conceptus est Dominus Creator, qui eodem die etiam passus est, usque ad VIII kalendas januarii, quo die natus est. Non ergo absurde XL et VI annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus ejus significabat, ut quot anni fuerant in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione.

(1) Cod. *ad.*



## LIBER

## De Compassione B. Mariæ virginis.

*Talem titulum præfigendum duximus huic libro, qui pro titulo habet in cod. : Verba sancti Augustini episcopi valde utilia ad consequendam cordis contritionem. Sed de nullo agitur, nisi de mysterio sanctæ Virginis morienti Filio compatientis. Nihil in hoc opusculo, aliunde pio, occurrit, quod beati Doctoris mentem et stylum redoleat. Unde sit in appendice post præcedentem.*

## SYNOPSIS.

I. Auctor a beata Virgine petit quamdam lacrymis ejus participationem. II. Visa a se et tolerata narrat Virgo respondens. III. Mariæ verba ad Christum morientem. IV. Verba Christi ad Mariam, quibus datur illi Joannes filius. V. Mariæ et Joannis dolor, cum expiraret Christus. VI. Verba Mariæ ad Christum mortuum, visque desiderii ejus. VII. Quæ fecit dixitque Maria, cum Christus a cruce deponeretur. VIII. Compassio hominum et Angelorum erga Mariam dolentem. IX. Christi sepultura. X. Reducitur Maria Jerusalem; ubi ad Filii memoriam flere pergit et lamentari.

I. « Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis imbrem » lacrymarum<sup>1</sup>, » ut possim flere per diem noctemque, donec servo suo Dominus meus Jesus Christus appareat, visu consolans animam meam peccatricem? Vos, filiæ Jerusa-

<sup>1</sup> Jerem. ix, 1.

lem, speciosæ dilectæ Dei, una mecum lacrymas fundite, donec nobis noster sponsus in sua speciositate benignus occurrat. Recolite, recolite, sedula mente pensate, quam sit amarum ab ipso separari, cui fideliter inhæstis, cui vos in omni sanctitate vovistis; vovistis, reddite ergo ea: vos ipsas Christo vovistis, vos reddite Christo. Currite, filiæ, currite, virgines sacræ, currite, matres Christo castitatem voventes; omnes ad Virginem currite, quæ genuit ipsum; ipsa enim portavit Regem gloriæ corde, illum etiam petenti datura: ipsa genuit eum pariterque lactavit, et in die circumcidit octava, et quadragesimo die etiam præsentavit in templo, duas turtures vel columbas pro eo offerens in holocaustum; fugiens ab Herode in Ægyptum eum portavit: nutriens et lactans eundem, curam illius habens, sequebatur eum quocumque pergebat. Credo firmiter fuisse inter illas fœminas, quæ Christum sequebantur ministrantes eidem. Nullus admirari debet, si sequebatur illum, cum ipse dulcor ejus et desiderium totus esset. Hanc arbitror fuisse inter illas gementes fœminas filias Jerusalem, ad quas Jesus non clarns imperio, sed opprobrio plenus, spinis illusus, plagis afflictus, in angariam mortis bajulans sibi crucem, conversus ait: « Filiæ Jerusalem, » nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super » filios vestros<sup>1</sup>. » Putas-ne, Domina mundi, Domina mea dilecta, Mater ejusdem Christi, est verum quod dico? Bene obsecro, ut dicas servulo tuo de ejus cœli veritate et gaudio Paradisi. Obliviscere tamen doloris quantitatem; nunc non ambigo passam fuisse. O utinam dolor ille sic quotidie meis visceribus inhæreret, sicut inhæsit tunc tuis! Utinam die quo assumpta fuisti in cœlum, ut in æternum cum tuo gauderes dilecto, mihi tuas lacrymas indicasses, quod per illas agnoscerem (1), quantum tibi amaritudinis fuerit (2), cum Jesum dilectum tibi, heu me! heu me! et

<sup>1</sup> Luc. xxiii, 28.

(1) Cod. *agnosceres*. — (2) Id. *fuerat*.

parum dilectum mihi, in ligno confixum, et capite inclinato, suum sanctissimum spiritum exhalare videres. Te, te peto, ne te moveant verba, cum saxa deberent scindi ad illa. Quivis, inquam, regnans in cœlo, vel peregrinans in terra deorsum, audiens vel pertractans, quomodo factus est opprobrium ipse Dominus Angelorum... (1). Quare non plango ego miser? En (2) abjectio plebis Filius Dei Patris; quis posset lacrymas continere? Verumtamen tu gaude gaudio magno, ab ipso nunc glorificata in cœlis, quæ in mente clavis amarissimæ mortis fuisti confixa; mihi tamen, obsecro, lacrymas illas infunde, quas ipsa habuisti in ejus (3) horribili passione; et ut affluam largius, de passione filii tui Domini nostri ad invicem conferamus. Te, quæ summæ Trinitatis es virgo, divinitatis mihi flagito secreta (4) enarrare.

II. Ad quem beata Virgo respondit: « Illud quod quæris compungitivum est magni doloris, sed quia glorificata sum, nec flere possum, tu cum lacrymis scribe, quæ ego præsens cum magnis doloribus vidi. » Cui, inquam, flere peropto, et nil aliud mihi libet. Sed ego miser cor lapideum habeo; ideoque flere non possum. Regina cœli, Mater crucifixi, da quod jubes, et quod cupio ipsa præbe. Audi servum tuum; dicat mea domina materque mea dicat (5), si in Jerusalem eras quando captus fuit Filius tuus, cum vincus ad Annam tractus et ductus est. Cui beata Maria respondit: « In Jerusalem eram quando hæc meis auribus insonuerunt; ad eum flendo perveni gressu, ut potui, qualicumque; cumque intuita illum fuisset percuti pugnis, alapis cædi, conspui facie, spinis coronari, et fieri opprobrium hominum ipsum Dominum Angelorum, sunt omnia viscera mea commota, et spiritus meus ad nihilum redactus est: et mihi vox non erat nec sensus. Sorores (6) pari-

(1) Hic quædam desunt. — (2) Cod. *et*, sine puncto; et deinde deest *quis*. — (3) Id. *sua*. — (4) Id. *flagito*, nec habet *secreta*; divinando correximus, quod judicet lector. — (5) Id. addit *que*. — (6) Id. addit *nec ante sorores*.

ter mecum erant et aliæ sæminæ multæ quasi Unigenitum plangentes eundem, inter quas erat Maria Magdalene, quæ super omnes, me excepta, dolebat. Cum Christus Deus, præcone clamante, imperante Pilato, bajulans sibi crucem ad supplicium traheretur, factus est concursus populorum euntium post eundem, et quidam projiciebant lutum super caput ejus et immunditias blasphemantes. Sequebar ego ipsum mæstissima mater cum mulieribus quæ secutæ fuerant eum a Galilæa ministrantes eidem, a quibus tenebar, quousque perventum est ad locum ubi crucifixerunt eum, et velut mortua sustinebar. Ante et ipse videntem (1) me fuit in cruce levatus, et in ligno durissimis clavis affixus manibus et pedibus. Ego videns eum vidensque me ipse, plusquam de se ipso dolebat de me; ipse vero tanquam agnus coram tondente vocem non dabat neque aperiebat os suum<sup>1</sup>; aspiciebam ego infelix et misera Deum verum filiumque meum pendentem in cruce, ac morte turpissima morientem, et in mente mea tanta tristitia versabatur pariter et dolor (2), quanta explicari sermone non posset; nec mirum est, quia discurrebat ejus sanguis ex quatuor partibus, rigantibus undis, ligno manibus pedibusque confixis. De vultu illius omnis effluserat pulchritudo: et qui prius erat præ filiis hominum speciosus<sup>2</sup>, videbatur omnium maxime (3) indecorus. Videbam quod in eo illud propheticum implebatur: «Vidimus eum et non » erat ei aspectus, nec species, nec decor<sup>3</sup>, » quia vultum illius sædaverant verbera (4) iniquorum. Iste erat dolor maximus, quia videbam me ab eo, quem genueram, desereri (5), nec supererat alius, quia unicus mihi erat. Et ideo non poterat in me capere dolor meus; vox mea fere perierat; omnis fundebam in gemitus suspiriaque doloris. Volebam loqui. sed dolor verba rumpebat, quia verbum

<sup>1</sup> Isaï. LIII, 7. — <sup>2</sup> Psal. XLIV, 3. — <sup>3</sup> Isaï. LIII, 2.

(1) Cod. *videns*. — (2) Id. *dolore*. — (3) Deest *maxime*, in cod. — (4) Cod. *male sædaverat verberibus*. — (5) Id. *deserere*.

immente conceptum, dum ad formationem penderet oris, ad se imperfectum dolor cordis non minus vocabat. Vox triste sonabat foras, vulnus denuntians mentis; verba dabat amor, quæ rauca sonabant; nam lingua vocis magistra perdiderat usum loquendi.

III. Videbam morientem, quem diligit anima mea, et tota deficiebam præ doloris angustia et mœrore. Aspiciebat et ipse, ut est, benignissimo vultu me Matrem suam plorantem, et verbis paucis voluit me consolari. Non potens flebam dicendo, et dicebam plorando: «Fili mi! Fili mi!» Væ mihi! væ mihi! «Quis mihi dabit ut ego moriar pro te<sup>1</sup>?» O misera, quid faciam? moritur Filius; cur secum, non moritur mœstissima ejus Mater? Fili mi, Fili mi charissime, amœr unice, Fili mi dulcissime, noli me relinquere. Post te trahere me ad te ipsum, ut moriar et ego tecum. Male solus morieris, ego tecum morte ista tua genitrix perimar. O mors, miseræ (1) tu parcere mihi noli; tu sola præ cunctis mortalibus mihi places; exere ergo vires, Matrem trucida, mori volentem Matrem cum Filio suo simul perime, quam relinquis. Tu mihi, dulcor unice, singulare gaudium, vita animæ meæ et omne solatium, fac ut ego moriar nunc tecum meo Filio, quæ te ad mortem genui sine viri auxilio. O Fili, quæso, miseram recognosce et exaudi me desolatam Matrem; exaudi me, obsecro, et in tuo patibulo suscipe me, ut qui una carne vivunt et uno diligunt se amore, simul pereant una morte. O Judæi miseri, o Judæi impii et crudeles, nolite parcere mihi. Ex quo crucifigitis unicum meum natum, et me Matrem crucifigite, aut alia quacumque sæva morte punite, dummodo cum meo moriar Filio. En male moritur ille solus; orbas orbem radio, me, Judæa, Filio, gaudio, dulcore. Vita mea moritur, et salus perimitur, ac de terra tollitur mea spes cum mœrore. Ergo post Filium Mater in dolore cur vivit? Tollite

<sup>1</sup> 2 Reg. xviii, 33.

(1) Cod. *miseræ*.

cum suo pignore, suspendite ejus Matrem. Non parcis proli; et mihi, peto, non parcas. Tu mihi soli, mors horribilis, sæva esto, quia tunc summe gauderem, si possem simul cum meo mori dulci Filio (1). Sed mors optata recedit; vae mihi infelici! Tibi, Jesu, præcipitata (2) venit; multo mihi melius mori, quam vitam ducere mortis; sed fugis a misera, et me infelicem (3) relinquis, cui nunc multum ipsa mors esset optata. O Fili chare, benigne nate, miseræ Matris suscipe preces; desine Matri nunc esse durus, qui semper cunctis fuisti benignus. Suscipe Matrem tecum in crucem, ut vivat semper tecum post mortem. Dulcius mihi nil esset vere, quam te in cruce amplexando tenere; et amarius nil certe est mihi, quam post tuam mortem vivere tristis. O tu mihi pater, tu mihi mater, tu mihi sponsus, tu mihi filius, tu mihi omnia eras. Nunc orbor patre, matrem jam perdo, viduor sponso, desolor prole. Vae mihi! vae mihi! vae mihi! Quo vadam, Fili mi charissime, vel ubi me vertam, pater dilectissime? Quis mihi solatium præbebit, piissime? quis mihi subsidium præstabit, benignissime? Consilium de cætero a quo petam, sanctissime? Sunt omnia possibilis tibi, Fili mi; sed si non vis ut moriar tecum, mihi aliquod consilium derelinque. »

IV. Cui Dominus anxius jam in cruce oculis et vultu annuens de Joanne ait ad illam: « Mulier, ecce filius tuus<sup>1</sup>. » Erat præsens et ipse Joannes vultu tristis, lacrymis superfusus. Ac si diceret: « O mater sanctissima, ad flendum suavis, et mollis ad dolendum, tu scis quia ad hoc veni, de te carnem assumens, ut genus humanum ad salutem per crucis patibulum revocarem: scis enim quod oportet me pro generis humani salute mori (4); die namque tertia resurgam, tibi et meis discipulis pariter apparens. Alias Scripturæ quomodo implebuntur? Ergo desine flere, dolores

<sup>1</sup> Joan. XIX, 26.

(1) Cod. *dulce miseræ*. — (2) Id. *præcipita*. — (3) Id. *male felicem*. — (4) Deest *mori* in cod.

depone ; quia ad Patrem vado et ascendo paternæ majestatis gloriam percepturus : imo congratulare mihi potius , Mater , quia inveni ovem erroneam , quam tam longo tempore perdidisti , et unus moritur , ut totus mundus resurgat a morte . Unius ob meritum periire omnes ( 1 ) ; ob meritum modo cuncti salvantur ( 2 ) unius . Quod Deo Patri placet , quomodo tibi displicet , charissima Mater ? Non vis ut bibam calicem quem dedit mihi Pater<sup>1</sup> ? Noli flere , mulier , nec plangere noli , Mater charissima . Non te desero , nec etiam derelinquo ; tecum sum et ero omni tempore sæculi . Si secundum carnem , subjaceo imperio mortis , secundum Deum sum , fui et ero semper immortalis et impassibilis perseverans . Unde processisti et venisti , tu ipsa melius nosti . Quare igitur tristaris , si illuc ascendo , unde descendi assumens , piissima , de te carnem ? Tempus est ut ad eum , qui me misit , revertar<sup>2</sup> , et ego quo vado venire modo non potes , post me autem es et tu , Mater , ventura . Joannes interim , qui nepos est tuus , tibi reputabitur filius ; curam tui habebit , et tibi solatium fidelissimum erit . » Ipse inde Joannem intuitus ait : « Ecce mater tua<sup>3</sup> ; » ei servias et curam illius habe ; commendo tibi eandem ; suscipe Matrem tuam , imo magis suscipe meam . »

V. Hæc pauca dicens , illi duo dilecti semper lacrymas fundere non cessabant ; tacebant ambo . Isti duo martyres nec loqui poterant præ dolore ; isti duo virgines audiebant Christum voce rauca loquentem , et ipsum paulatim morientem videbant , nec ei verbum poterant respondere , quia videbant illum in patibulo morientem . Erant quasi mortui , et spiritus eorum voces exhalare nequibant . Defecerant enim et amiserant loquendi virtutem . Audiebant et tacebant , quia loqui non poterant præ angustia et dolore . Solus illis dolor luctusque remansit . Amabant flere , nec amare cessabant ; amare flebant , quia ambo amare volebant .

<sup>1</sup> Joan. xviii, 11. — <sup>2</sup> Id. xvi, 5. — <sup>3</sup> Id. xix, 27.

(1) Cod. *perire minores*. — (2) Id. *salvamur*.

Nam gladius Christi animam utriusque transfixit. Quando Dominum (1) servus sæve perimebat, uterque magis flebat; sed acrior (2) fervor fiebat in Matre, quæ acrius Filii sentiebat dolores. Christi morientis erant vulnera Matris (3). Dilaniata Mater pignoris morte erat. Viscera Matris (4), erant percussa cuspede teli, quando (5) membra Filii percutiebant (6) servi iniqui. Tum pectora (7) ipsa erant, quæ dolor magnus tenebat. In mente ejus creverat (8) mensura doloris, nec extra refundi poterat. Ipsa hora cum inter sævientes dolores nati acriter Matris anima jactabatur (9), in carne Christi solvebatur (10) debitum mortis, quod gravius erat. Interim Christus commendata Matre Joanni, dixit: «Sitio<sup>1</sup>.» Qui crucifixerunt eum, acetum cum felle mixtum dederunt eidem; qui cum gustasset, noluit bibere et ait: «Consummatum est<sup>2</sup>. Et exclamavit Jesus voce magna dicens: Heli, Heli, lammasabactani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et sic dicens expiravit<sup>3</sup>.» Tunc intremuit terra, sol lumina clausit, mœrebant poli, mœrebant sidera cuncta, et suum jubar amisit luna dolendo, recessitque omnis ab alto æthere fulgor. Scinduntur duri lapides, scinduntur fastigia templi, surrexerunt multi, aperta tumba sepulcri (11), facientes Christum cum voce publica Deum. Cogitare libet quantus dolor tunc infuit Matri, cum sic dolebant quæ insensibilia erant. Non lingua loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore anima tenebatur Mariæ. Juxta Christi crucem stabat emortua Mater, quæ illum concepit obumbrata Spiritu sancto. Vox non erat illi, dolor abstulerat voces; imo

<sup>1</sup> Joan. XIX, 28. — <sup>2</sup> Ibid. 30. — <sup>3</sup> Matth. XXVII, 46.

(1) Hæc verba *quando Dominum* desunt in cod.—(2) Voces *sed acrior*, et deinde verbum *Filii* desunt in cod. — (3) Deest in cod. vox *Matris*. — (4) Deest iterum *Matris* in cod., qui habet *membra*. — (5) Id. *quomodo*. — (6) Hæc verba *Filii percutiebant* desunt in cod. — (7) Cod. *tempora*, et deinde *quam*. — (8) Id. *creverant... poterant*. — (9) Id. *aninam lactabant*. — (10) Id. *solvebat*. — (11) Id. *apertæ tombæ sepulchris*.



strata jacens pallebat, anima vivens : vivebat moriens, vivensque moriebatur, nec poterat mori, quæ vivens mortua erat. In anima dolor sæve sæviebat illius : optabat magis (1) mori quam vivere post Christi mortem (2), quæ male vivens mortua tamen erat. Ibi astabat dolens, confecta sævo dolore, expectans Christi corpus deponi de cruce.

VI. Hæc plorabat dicens : « Heu me ! heu me ! reddite nunc miseræ corpus vel exsangue (5) : complestis vota ; extinctum deponite Matri, vel si libet Matrem (4) me morte jungite illi, ut simul peream, doloribus finitis ejusdem. Deponite, quæso, deponite mihi cadaver, ut habeam mecum ejus exanime corpus. Mihi solamen erit vel saltem habere defunctum. » Juxta crucem stabat Maria considerans vultu benigno Christum pendentem stipite sævo, pedibusque nitens, in altum manus levabat, amplectens crucem, ruens in oscula ejus, Christi qua parte sanguinis unda rigabat, ut Christum amplecti valeret, quod minime poterat. Sursum manus tendere conabatur, quia amor superat multa, quæ raro vel nunquam sibi (5) fieri possunt : sed sibi (6) cedi multa impatiens amor credit : volebat amplecti Christum in alto pendentem, sed manus (7) frustra se in se complexæ ligabant (8). Se levans a terra sursum erigebat ad Christum, et male collidebatur ad terram ; eum tangere non valebat, et ibi prostrata jacebat, depressa immensitate doloris, et a terra impetu ejusdem amoris surgebat Christum intensis manibus cupiens atrectare (9). Erat enim magno cruciata dolore, et terram interim petere cogebatur, quia tunc illi male erat vivere vita tali magis (10), quam necari ab impiis gladio sævæ mortis. Inde tanquam mortis pallor ejus perfuderat (11) vultum cum genis et ore ; rubeas Christi undas, guttas sanguinis cadentes tangebatur animo dolorosa.

(1) Deest *magis* in cod. — (2) Deest *mortem* in cod. — (3) Sic in textu ; super lineam autem *exanime*. — (4) Cod. *Matri*. — (5) Id. *sibi* pro *a se*. — (6) Id. *ibi*. — (7) Id. male addit *non*. — (8) Id. *negabant*. — (9) Id. *attractare*. — (10) Deest *magis* in cod. — (11) Id. *perfunderat*.

VII. Interim quidam vir nobilis, Joseph nomine, qui licet occulte, tamen discipulus ejus erat, confidenter ingreditur ad Pilatum, Domini Jesu corpus postulans sibi dari. Quo concesso, convocavit ad se quemdam virum sapientem nomine Nicodemum, qui et ipse occulte similiter discipulus Christi erat, et venerunt ad locum ubi Dominus Jesus fuerat crucifixus, ministeria secum ferentes quibus clavis evulsis deponere possent corpus. Quos dum Mater ejus vidit corpus deponere cupientes, quasi de morte consurgens spiritus ejus revixit, et illud quod poterat adjutorium ministrabat; quorum dum unus clavos trahebat de manibus, alter ne caderet corpus exanime sustinebat, stabat Maria brachia levans in altum et corpus Christi manusque pendentes (1) trahebat ad se supra pectus ejus, quæ dum tangere valuit in amplexibus ruens, de suo dilecto non poterat satiari. Sed cum de cruce in terra depositum fuit corpus, supra ipsum præ doloris incontinentia (2) ruens, quasi mortua stare cœpit; extincti Filii faciem undique lacrymis rigans, amarissima suspiria exhalabat, et quoties caput tangebatur ejusdem dulcissimi (3), flendo, manibus percutiebat se dicens: « O charissime Fili mi, quid fecisti? Quare te Judæi crudelissimi, crucis patibulo occiderunt? In gremio te mortuum teneo. O quam sum tristissima tua Mater! Quid ultra ista misera faciet? Væ mihi! Fili mi, ubi est tantum gaudium, quantum in tua humana natiuitate tam dulci? Væ mihi! Fili mi, quam durum versum est illud gaudium in mœrorem! Fili mi, nil amplius restat, nisi ut interficiam meipsam (4). » Interim quoque frontem, oculos, genas et os frequenter ejusdem osculabatur. Lacrymarum tantam ubertatem fluebat (5), ut carnem cum spiritu fere in lacrymas resolvi putares. Lacrymis undique crura Filii rigabat, corpusque, quod ponendum (6) erat

(1) Cod. *pendentia*. — (2) Id est præ dolore qui se non poterat continere. — (3) Cod. *dulcissime*. — (4) Hæc impie posita sunt in os Matris Dei sanctissimæ. — (5) Id est *fluere faciebat*, pro *fundebat*. — (6) Cod. *male positurum*; forte legendum *posituri erant*.

sub lapide, manabat (1) undis per totum. Illius facta et opera revocabat ad mentem; quis vel qualis fuerat, quem sine libidine ipsa virgo concepit et peperit ab omni dolore immunis. Totum erat ei ipse, cum (2) ipse vivebat, tanquam Dominus suus, et Deus, et unicus Filius tam dilectus; et nunc illi sic erat, sicut poterat, et esse debebat; unde et dicebat eidem: « Dic, Fili dulcissime, dic, mi amor unice, vita meae animae, singulare gaudium, unicum solatium et omne desiderium, quare me afflictam sic dolere permittis? Cur tam longe factus desolatam relinquis, et potius non facis sociam tuæ mortis? Heu! heu! Deus meus, quis consolabitur amplius vitam meam? Respice in me, et mei, Domine, miserere. »

VIII. Dicat, si potest, quicumque dicere cupit, quam Christi Matrem tenebat mensura doloris. Virginis dolorem posse narrari non credo. Tantus erat mœror, quia omnis recessit dulcedo! Pia dulcisque Mater pie justeque dolebat, sperans tamen ipsum tertia resurgere die. Quædam cum illa plorabant sanctæ mulieres, quarum parvus erat numerus, parvusque virorum qui lugerent Christum simul cum Virgine Matre. Erant et Angeli simul cum illa lugentes, tamen si poterant dolere. Dolebant quidem (3) pro justo amore Christi Dei, quem diligebant pariter, quod genus redimebatur humanum. Flebant, ut arbitror, amarissime mente turbati, quod Matrem videbant tanto dolore turbari. O quis Angelorum vel Archangelorum illic non fleret! Vir contra naturam, Deus immortalis et homo, jacebat mortuus a Judæis: videbant ut Christi corpus sic male ab impiis tractabatur, et sic etiam laceratum jacere, et Mariam cruentatam sanguine et cruore. Illam piam dico videbant, illamque sanctam, totam bonam, suam beatissimam Matrem tantis singultibus cruciari, tam amaris repleti doloribus et sic amarissime flere, quod nullo modo poterat suas dulces lacrymas refrenare. Fiebat luctus et mœror ab An-

(1) Cod. manebat. — (2) Id. quem. — (3) Id. quidam dolebant.

gelis præsentibus ibi, quali dolebat luctu spiritus almus. Credo, propter quod loquor, quod dolebant, si dolere valebant. Sicut enim Deum per assumptum hominem possibile fuit mori, sic possibile fuit beatos Angelos dolere in sui Domini morte. Joseph ab Arimathæa, vir sanctus, qui de cruce cum Nicodemo corpus Christi deposuerat, sicut Evangelium perhibet de eisdem, posuit illud in sindone nova conditum aromatibus pretiosis, posuitque demum in monumento novo, quod sibi fecerat, alacriter et devote. Tunc ad illius exequias Angelorum chorus, millia millium decantabant, ac omnes pariter convenerunt ad sui Domini sepulturam. Ipsi cantabant laudes, sed Maria dabat gemitus, et cordis suspiria exhalabat. Illi laudes extollebant ad cælum, Maria amare flebat juxta sepulcrum, et volebat cum illo, mœsta Mater, pariter sepeliri.

IX. Hæc innixa super dilecti sui corpus, suaviter amplectens eundem cum omni amoris dulcedine, osculando astantibus talia resonabat: « Miseremini mei, miseremini » mei, saltem vos amici mei<sup>1</sup>. » Illum adhuc paululum relinquitte Matri suæ, ut faciem ejus valeam contemplari et aliquantulum consolari. O charissimi mei, nolite obsecro tam cito tradere sepulturæ. Date illum miseræ Matri suæ, ut ipsum mecum habeam vel defunctum, aut si illum deponitis, in sepulcro me miseram sepelite cum eo, quia male post ipsum superest mihi vita. » Tunc illi Christum in sepulcrum (1) ponebant, et ipsa eum trahebat ad se; volebat enim eum secum aliquantulum retinere, et illi volebant eum tradere sepulturæ; ac sic erat pialis et miseranda contentio inter eos. Omnes tamen sic amarissime flebant, ut quisque eorum non posset ad plenum verba formare. Videbant quidem Matrem omni solatio destitutam, et super illam planctum dabant potius ex compassionis affectu, quam super unicum suum Dominum specialem.

<sup>1</sup> Job. XIX, 21.

(1) Cod. in sepulcro.

Major illis erat dolor de Matris dolore, quam fuerat prius de Domini passione. Flebant igitur cuncti anxio dolore gementes; et sic Dominum vitæ, mortis sepulturæ dederunt. Sepulto Domino, Mater sepulcrum amplectitur omni corde, et qua poterat voce benedicebat Filium suum tam dilectum. Ad sepulcrum sedens, innixa illi, extendebat desuper manus suas, illud osculans, Dominum amaro nimium plorans singultu.

IX. Accessit Joannes, cui eam Jesus commendaverat, et lugens et ipse multum, nec se poterat continere, eandem lugentem a terra levavit; nam cruentata gemitibus, fatigata doloribus, ploratibus afflicta ac anxia, in pedibus se non poterat continere. Tamen, sicut poterat, a sanctis mulieribus adjuta, cunctis plorantibus simul, Jerusalem ingreditur dolorosa. Quam sceminae multæ videntes, motæ pietate super dolores illius, ad luctum convertebantur amarum; et illarum quædam ambulantes post illam etiam lamentabantur plorantes: plorabant multæ quæ adhærebant (1) Mariæ; nam dolor ejus multos faciebat dolentes, quicumque videbant eam plorantem. Tam pie plorabat, ut vix posset (2) lacrymas continere, et tamen amare dolebat, quod ex suo pio ploratu multos etiam invitos trahebat ad luctum. Fiebat luctus, quacumque Maria transibat; plorabat ipsa, plorabant ambulantes etiam cum eadem, plorabant multi ei obviam venientes; et sic plorans a plorantibus ducitur, quousque perventum est ad domum Joannis, cui eam Filius commendaverat. Ibi resedit, ipsaque in domo remansit; quam Joannes retinens, supra Matrem propriam omni corde amavit. Sepulto Domino, monumentum signatum est a Judæis, et traditum est custodibus, ut illud cum diligentia custodirent. Interim Maria domi Joannis (3) dolorosa sedebat: sedebat an jacebat, dicemus? Utrumque secure possumus affirmare. Sedebat

(1) Cod. *adolebant*. — (2) Id. *vix poterat*, nec habet *ut*. — (3) Id est *in domo Joannis*.

namque pariter et jacebat (1), quia præ nimio dolore non poterat ambulare. Plorans ploravit per diem noctemque, nec erat qui consolari posset eandem ex omnibus charis ejus<sup>1</sup>, non suæ sorores, nec etiam ipse Joannes. Amaris lacrymis meditabatur dolores, quos Christus sustinuit in morte crudeli, et nimis amara passionis loca omnia mente currebat. Quæ et quanta fuerat passus, in animo cuncta volvebat, ac pios (2) gemitus et pia suspiria dabat. Hunc dulcem Dominum aceto et felle potatum, lancea jam mortuum tunc sæva fuisse perfossum, plorans clamabat, atque dicendo plorabat : « Jesus, Jesus meus, Deus creator omnium dulcis, qua sæva morte, factus homo, fuisti peremptus ! Quem terra, pontus, aër, nec cœli capere queunt, te capit arca nunc, Fili, suscepta sepulcri. O quam nequam vitem reddidit humana propago, quæ protulit uvas quarum sunt amarissimi fructus, dum morte necavit qui de nihilo cuncta creavit ! Nunc jacet Domini Filius in miseræ mortis sepulcro. Ad terram venit Deus, vita nostra, peremptus ; corpus sibi sumens humanæ fragilitatis, ad terram venit, nec est receptus a suis, sed servi ejus semper machinati sunt malum. In illum sæviit Herodes rex Judæorum, et cum illo quidem omnis Jerosolyma simul, parvulum, pendentem adhuc ad ubera Matris. Dehinc vir sanctus, verba dabat salutis ejusdem, ut rumperet nodos (5) cujuslibet infirmitatis, omnes ægrotos sanans ab omni languore, mortuos resuscitans. Fili mi, ah ! crudelissimam mortem (4) passus es in ruinam multorum ex (5) filiis Judæ, Scribarum atque Principum, Presbyterorum et Pharisæorum, sibi nunc ad ultimum commachinantium (6) malum et mortem. » Hæc (7) præsens dies demonstrat crucis aperte.

<sup>1</sup> Thren. 1, 2.

(1) Cod. male dicebat. — (2) Id. *impios* absurde. — (3) Id. *vota*. — (4) Id. *a crudelissima morte*. — (5) Deest *ex* in cod. — (6) Cod. *commachinantibus*. — (7) Id. *hinc*.

## LIBER

De Omnibus virtutibus, quem beatus Augustinus  
edidit ad Matrem suam.

*Hic tractatus, qui educitur ex Bibl. Sanctæ Crucis Florentiæ, Plut. xvii dextr., cod. ix, fol. 2, nullo modo potest beato Doctori attribui, cum inter alia citetur frequenter Historia Tripartita, quæ post versionem Epiphaniis scholastici concinnata fuit a Cassiodoro, qui usque ad medium sexti sæculi floruit, et ultra, utpote qui defunctus sit anno 565. Stylus aliunde nihil Augustinianum habet. Duo ultima capita, et extremum præsertim non eadem manu conscripta crediderim; obscurior enim dicendi modus, et intricatiores sunt sententiæ. Quicumque sit hujus tractatus scriptor, non sine voluptate legetur a doctis piisque viris. Sit in appendice post præcedentem.*

TUÆ petitioni, charissima Mater, ut rogasti, satisfacere studui (1). Novi enim ardorem tui animi erga Scripturas divinas; non tibi inesset studium legendi, si non (2) et implendi ea quæ legis. Memor igitur sum lacrymarum tuarum, et omnis studii tui quod in te sæpe prospexi, dum mecum (3) de animæ tuæ sermocinareris profectu. Et ideo mihi non piguit hoc, quod mihi tua suggerere studuit charitas, adimplere; quatenus et tu ex hac ipsa admonitione in Domini gratia datum accipias, et ego tuæ mercedis effici merear particeps. Scio enim non mediocriter esse

(1) Cod. *scribere*, et antea *tibi ut*. — (2) Id. ponit *si non ante inesset*. — (3) Id. *tecum*, pro *mecum*, nisi legas *sermocinarer*.

beatum, qui se solummodo, adjuvante Domino, salvat; sed novi multo beatiorem esse, qui secum alios ad regnum cœlorum trahere festinat. Quapropter hortor tuam eximiam dilectionem, ut hanc admonitionem subinde legas, et memoriæ commendes, atque opere compleas, ut aliis bonum exemplum monstrando, et te et alios salves, ut de tuo et aliorum profectu (1) felicem remunerationem a sponso tuo immortalis recipere merearis. Mente solerter pertracta, ne hoc agas, unde tuo cœlesti sponso displiceas, quia ipse tibi, si bene, ut cœpisti, perseveraveris, inauditam lætitiā et gaudium condonabit Deus cum cæteris sanctis, Paulo testante qui ait, quod « Oculus non vidit, » nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se<sup>1</sup>. » Festina igitur ad illud gaudium, ad illam lætitiā, in qua multi Sanctorum requiescunt. Considera, Deo dilecta Mater, quanta sit felicitas Dei vultum sine defectu cernere, sanctorum Angelorum choris interesse, cum Sanctorum multitudine sine fine gaudere; et ad hoc gressibus virtutum quotidie appropinquare stude, et ut ad ea, quæ commemoravi, recto tramite pergas, citiusque pervenire queas, hanc tuæ beatitudini admonitionem conscripsi, per quam non de una solummodo virtute, sed de multis te cupio admonere virtutibus. Quam ideo sermone singulari admonitionem voco, quia quamvis multæ sint virtutes, et innumerabilia ornamenta, ad unam tamen pertinet viam, ad unum iter, et ad unam felicitatem hominem inducunt. Cum igitur de plurimis virtutibus te admonere desiderem, videlicet: 1° de Charitate; 2° de Humilitate; 3° de Obedientia; 4° de Continentia gulæ; 5° de Continentia linguæ; 6° de Continentia vestium; 7° de Afflictione corporis; 8° de Compunctione; 9° de Beatitudine compunctionis; 10° de Oratione, et qualiter homo debeat orare; 11° de Pugna

<sup>1</sup> 1 Cor. 11, 9.

(1) Cod. *profectum*.



vitiorum adversus virtutes, et quomodo extirpanda sunt vitia, et deinde inserendæ virtutes secundum Boëtium; 12° de Studio legendi Scripturas; 13° de Admonitione tribulationum, et infirmitatum; 14° de Venia peccatorum speranda; 15° de Criminalibus et incestuosis peccatis; 16° de Mortalibus criminibus; 17° de Compunctione salvationis; 18° de Perfectione charitatis; 19° qualiter Pollution nocturna accidat (1).

---

## CAPUT I.

### *De Charitate.*

PRIMUM cum Paulo apostolo hortor, ut Charitatis virtutem ante omnia habere studeas, quia sicut panis omnibus cibis est melior, ita Charitas omnes antecedit virtutes; et sicut sine pane mensa efficitur inops, ita sine Charitate nulla proficit virtus. Sine Charitate nec lacrymæ, nec vigiliæ, nec nuditas, nec castitas, nec eleemosynæ, nec martyrium, hominem salvare possunt. Hanc Dominus et Salvator noster spiritaliter nobis commendat dicens: « Hoc » mando vobis, ut vos invicem diligatis<sup>1</sup>; » et iterum: « In hoc cognoscent omnes, quia mei estis Discipuli, si » dilectionem habueritis ad invicem<sup>2</sup>. » Hanc Joannes apostolus commendans, dicit: « Qui manet in Charitate in » Deo manet, et Deus in eo<sup>3</sup>. » Hanc prædicator egregius virtutibus præferens aliis dicit: « Si distribuero in cibos » pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus

<sup>1</sup> Joan. xv, 17. — <sup>2</sup> Id. xiii, 35. — <sup>3</sup> 1 Joan. iv, 16.

(1) Una eademque phrasis est cum sequentibus, quæ divisa fuisse videtur a notariis; cum autem hæc divisio capita reddat clariora, hanc servare statuimus.

» meum, ita ut ardeam, et Charitatem non habuero, nihil » mihi prodest<sup>1</sup>. » Deinde subjungit : « Charitas patiens est, » benigna est<sup>2</sup> ; » patiens adversa tolerando, benigna bona præstando, sicut beatus Antonius dixit abbati Pastori. Et si Charitas patiens est atque benigna, stude, fidelissima Mater, omnia patienter adversa tolerare, ipsaque tolerans cura diligere.

---

## CAPUT II.

### *De Humilitate.*

CERTISSIME vero tibi convenit credere, quod charitas sine Humilitate et obedientia in homine non regnat. Si vero habueris charitatem, nosceris humilis atque obediens. Humilitas namque summa virtus est; hæc de terrenis hominibus cælestes facit, et per hanc diabolus superatur, et ejus laquei vitantur. Vidit omnes laqueos inimici tenso in via, et ingemiscens dixit beatus Antonius : « Quis transibit istos laqueos. » Et audivit vocem dicentem sibi : « Humilitas. » Puto non pro se tantum vidit et audivit, sed pro nobis, qui peccatores et insipientes sumus, et longe a meritis ipsius distamus, ut nos hæc legentes et opere complentes, diaboli laqueos possimus evitare, qui semper hoc inquirit, quomodo nos decipiat. Attendamus igitur quam magna sit humilitatis virtus. Marci etiam monachi (1) vita insinuat, quem dicunt Patres antiqui in juventute valde fuisse mansuetum, humilem ac sapientem, et pro ejus virtutibus tantum dicunt illum fuisse Deo amabilem, ut, dum ad Dominicum accederet corpus, Angelus ei

<sup>1</sup> 1 Cor. XIII, 3. — <sup>2</sup> Ibid. 4.

(1) Sancti Marci nomen legitur in Martyrologio Romano 24 die octobris.

sacramenta præberet. Pensare debemus naturæ hoc miraculo quam magnum donum sit Humilitas, per quod donum tam amabilis tamque acceptabilis Deo adhuc homo mortalis efficitur. Abbas etiam Daniel miraculum narrat, per quod virtus Humilitatis declaratur. Erat autem in Babylonia filia cujusdam nobilis dæmonium habens; pater autem ejus diligebat quemdam monachum, qui dixit ei: « Nemo potest curare filiam tuam, nisi illi, quos scio solitarios, et si ad eos perrexeris, non acquiescent tibi; hoc enim faciunt propter Humilitatem; sed hoc facietis: quando venient venalia afferentes, quæ operantur, dicite vos emere velle quod vendunt, et cum venerint ad domum pretium accepturi, dicetis ut faciant orationem pro ea; credo enim quod sanabitur filia tua. » Exeuntes vero in plateam, invenerunt unum monachum sedentem, ut venderet sportellas suas, et tulerunt eum secum in domum, quasi pretium sportarum accepturum; et cum intrasset domum monachus ille, venit puella, quæ a dæmonio vexabatur, et alapam monacho dedit; ipse vero convertit ei et aliam maxillam secundum divinum præceptum. Dæmon autem dum propter ipsius Humilitatem et patientiam torqueretur, clamare cœpit dicens: « O violentia mandatorum Jesu Christi! ipsa expellit me hinc. » Et statim mundata est filia ejus. Cum autem venisset senex, indicavit eis quod factum fuerat, et ipsi glorificaverunt Deum dicentes: « Consuetudo est diabolicæ superbiæ ad Humilitatem Domini nostri Jesu Christi corraere. » Consideremus ergo et nos, o sanctissima Mater, hujus monachi Humilitatem, et in quantum possumus eam imitari conemur. Si igitur humilitas unius ab altero dæmonium expellit, sine dubio credere debemus, quod nostra Humilitas diabolum in cordibus nostris non sinat diutius demorari. Tunc vero veram Humilitatem habemus, si omnibus venerationem deferimus, et omnia adversa, quæ nobis alii faciunt, propter Deum humiliter toleremus. De hac virtute Dominus in Evangelio ait: « Omnis enim, qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat

» exaltabitur <sup>1</sup>. » Ex isto enim verbo discere debemus quod superbia contraria sit Humilitati. Ergo si vere humiles esse volumus, superbiam fugiamus, quia superbia dejicit, sed Humilitas sublevat. De hac etiam virtute princeps Apostolorum invitat nos, dicens : « Humiliamini sub potenti » manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis <sup>2</sup>. » Hac sententia manifestissime nobis insinuat, quod si hic dum vivimus, nos humiliare curemus, tempore tribulationis, id est, in die judicii nos Dei pietas exaltabit in cœlestè regnum. Jam superius diximus, quod charitas, et Humilitas, atque obedientia ad invicem separari non possunt.

---

### CAPUT III.

#### *De Obedientia.*

Et quia hactenus de charitate, et humilitate dictum est, solerter (1) attendas qualis astat Obedientiæ virtus. Propter inobedientiam enim primus homo ejectus est de Paradiso; quapropter si illuc vis ascendere, obediens esse stude. Ut autem quam magna sit hæc virtus agnoscas, miraculum tibi quoddam ad memoriam revocabo. Quidam sæcularis vitæ habens tres filios renuntiavit sæculo, et venit ad monasterium, filios suos relinquens in civitate. Et cum stetisset per tres annos in monasterio, cœpit cogitare, et filios ad memoriam frequenter reducere, et valde pejus contristabatur, et non tamen dixerat abbati suo se filios habere. Videns autem eum abbas tristem, dixit ei : « Quid habes? quare (2) tristis es? » Et narravit ei quod tres filios haberet in civitate, et quia vellet eos ad monasterium

<sup>1</sup> Luc. XIV, 11. — <sup>2</sup> 1 Petr. V, 6.

(1) Cod. *ut solerter*. — (2) Id, *quia*.

adducere. Præcepit autem abbas, ut ad monasterium adduceret eos. Qui cum perrexisset ad civitatem, invenit duos ex eis jam fuisse defunctos, et unum solummodo remansisse, quem assumens duxit ad monasterium, et requirens abbatem, non invenit illic eum. Interrogavit autem fratres, ubi esset abbas; illi vero dixerunt quod ad pistrinum (1) perrexisset. Ille autem tollens filium suum, quem adduxerat abiit ad pistrinum. Et videns eum abbas venientem salutavit eum, et tenens filium ejus, quem adduxerat, amplexatus est (2), et osculatus eum, dicens patri ejus: « Amas eum? » Et ille respondit: « Etiam. » Et iterum dixit ei: « Omnino diligis eum? » Et respondit: « Etiam. » Postea vero dixit ei Abbas: « Tolle ergo, si amas eum, et mitte eum in fornacem ardentem. » Tollens autem eum pater ejus, et volens illum mittere in fornace, statim facta est fornax velut ros, et ignis in ea extinctus est; ex qua Obedientia acquisivit gloriam, sicut Abraham patriarcha. Hoc ergo miraculum hortor, ut memoriæ tradas, ut semper virtutem Obedientiæ ante oculos habeas; nam sicut illo tempore illius monachi Obedientia extinxit ignem fornacis, sic et modo, si vere fueris obediens, ipsa virtus de corde tuo ignem vitiorum extinguet. Et si ignis vitiorum fuerit extinctus in te, nequaquam post mortem in ignem descendes æternum, sed ad cœlestem gloriam ascendes sine fine mansuram. Ergo ama Obedientiam, dilige Obedientiam, quia magna est virtus ejus. Ut autem illius magnitudinem adhuc lucidius intelligas, sequens miraculum frequenter lege. Dicebat quidam sanctus Pater se vidisse quatuor ordines in cœlo monachorum, quorum primus ordo erat infirmorum, et gratias agentium Deo. Secundus ordo erat hospitalitatem sectantium, instanter ministrantium eis (3). Tertius vero ordo in solitudine conversantium et non videntium homines. Quartus ordo erat illorum, qui

(1) Cod. male *pistrinum*, et sic deinceps. — (2) Cod. his habet *eum* hic et inferius. — (3) Supple *hospitibus*.

propter Obedientiam spiritualibus patribus se subjiciunt propter Deum. Videbatur autem ordo obedientium catenam (1) auream habere circa collum, et multo majorem gloriam, quam alii. Ego autem dixi ei, qui mihi hæc omnia ostendebat : « Quomodo iste ordo, qui parvus est, majorem gloriam, quam alii, habet in se ? » At ille respondit : « Quia illi, qui hospitalitatem sectantur, secundum propriam voluntatem idipsum faciunt ; similiter qui in eremo se relegant, suo arbitrio de sæculo recedentes. Hic autem ordo qui se ad Obedientiam dedit, omnes voluntates suas abjiciens, tendit ad Deum ad jussionem spiritualis patris ; propterea majorem gloriam habet. » Quapropter, o bona Mater, bona est Obedientia quæ propter Deum fit. Intende ergo, Mater, virtutes ejus, quia magnum est vestigium (2) ex parte Dei. Obedientia salus est omnium fidelium ; Obedientia est genitrix omnium virtutum ; Obedientia est regni cælorum inventrix ; Obedientia cælos aperiens, hominem de terra elevat ; Obedientia cohabitatrix est Angelorum ; Obedientia omnium Sanctorum cibus est. Ex hac enim abluti, et per hanc ad perfectionem sancti venerunt.

---

#### CAPUT IV.

##### *De Continentia gulæ, et visûs (3).*

SED jam tempus est, ut, post trium virtutum doctrinam, vigilanter attendas, quanta sit Continentiæ virtus, et quod Continentia non solum in cibo et potu, sed etiam in locutione, et somno, ac vestitu, et innumerabilibus sit causis. Admoneo igitur dilectionem tuam, ut non delicatos cibos quæras, nec ante horam congruam comedere velis, nec dicas in corde tuo : « Ecce alii sic faciunt. » Scito pro certo

(1) Cod. *tanquam*.—(2) Id. *aliquid est vestigium*.—(3) Desunt et visûs in cod.

quod unusquisque, qui in hac vita plus in Dei servitio laboraverit, majorem post mortem a Deo mercedem accipiet. Nec igitur tibi gravis videatur Continentiæ virtus; miraculum tibi enim inseram, quod (1) in Tripartita Historia (2) legitur. Dorotheus, genere Thebæus (3), talem vitam ducere curavit, ut quotidie lapides de mari colligeret, et annis singulis hospitium ædificaret, et ipsa hospitia dabat illis qui non habebant hospitia. Noctibus autem propter eorum cibum faciebat sportellas, cujus cibus erat panis sex unciarum, et oleum duorum minorum, et fasciculus herbarum, et unus scyphus ad bibendum aquam. Hic a juventute sua hæc faciens, non in senectute sua defecit. Hæc operando nunquam visus est in lecto soporatus, vel pedes pro requie tetendisse, aut dormire (4) per voluntatem, nisi quantum operando aut comedendo natura compressos oculos claudere potuisset. Ita sæpe, dum (5) comedendo dormiret, cibus ex ejus ore labebatur; aliquando gravi somno gravatus, cum in stercore cecidisset, obdormitabat; expergefactus autem, contristatus sub silentio dicebat: « Si Angelis dormire suaseris, et mihi ulterius suadebis. » Quod forte dicebat ad somnum aut dæmoneum, qui nitentur bonos ejus actus impedire. Huic laboranti quidam dixit: « Cur ita affligis corpus tuum? » At ipse respondit: « Quia corpus me occidit. » Hujus vero sanctissimi monachi Continentiam tibi scripsi, ne ipsa tibi virtus gravis videretur, ut cognosceres quantum a modernis quibusdam patribus distemus. Audivit enim beatitudo tua, quod Dorotheus omni anno ædificabat cellam, et omnino donabat. Audisti etiam quod in lecto non jacebat, et de pane, et de aqua et herbis vivebat. Non ideo hoc dico, ut tu tantum facias, sed ut et te humilies, simulque

(1) Deest *quod* in cod.— (2) Cum tripartita historia opus sit Cassiodori, qui defunctus est circa annum 563, hinc exurgit maximum falsitatis in hoc opere argumentum. — (3) Ejus Dorothei festum agitur 5 die junii. — (4) Cod. *dormiret*.— (5) Id. *dudum*; et deinde *laboretur*.

scias, quam magnam abstinenciam Patres nostri habuerunt, ut nequaquam cibos delicatos quæras. Præsertim cum in præfato libro de Moyse monacho scriptum sit, quod per unum annum tantummodo panem comederit, et multum opus fecerit. Sex vero annis per totam noctem stans oravit, neque genua inclinavit, neque oculos in somno clausit. Insuper etiam notanter circuibat cellulas monachorum, et lagenas singulorum aqua implebat, cum longe aut decem, aut viginti, aut triginta forte stadiis aqua manaret ab eis; qui licet ita domaret corpus, priorem tamen valetudinem non amisit. Hæc miracula assidue lege, sanctissima Mater, et per hæc cum Dei adiutorio in abstinencia (1) proficere stude. Non simus parati ad omnia concupiscenda; recolamus continentiam beati Zenonis abbatis.

Abbas Zenon ambulans aliquando in Palæstina, cum laborasset, resedit ut manducaret in cucumerario; suadebat autem ei animus suus dicendo: « Tolle tibi unum de cucumeribus et manduca. » Qui increpans cogitationem suam dicebat sibi ipsi: « Fures ad tormenta vadunt; proba ergo te ipsum in hoc, si potes sufferre tormenta. » Et consurgens stetit in ardore solis diebus quinque, et dicebat: « Si ardorem solis non possum sufferre, quomodo sufferre poterò ignem æternum? » Et dicebat ad animum suum: « Si non potes portare ardorem solis, sive tormenta, non rapias cucumerem ut manduces. » Verba igitur tanti viri considerare nos admonent (2), quantum ab ipsius conversatione longe distemus. Quapropter præponamus peccatores nos et infirmos esse in comparatione sanctorum virorum, ut nos ipsos ex illorum meritis despicientes, pia Dei misericordia, eorum consortium habere possimus. Quod autem non tantum in cibo, sed in visu sit Continentia necessaria, sequens miraculum aperte insinuat.

Pion autem cum de domo patris ad philosophiæ conversationem exiret, promisit Domino nullum propinquorum

(1) Cod. male addit *est*. — (2) Id. *admonet*.



de cætero fore visurum. Post quinquaginta vero annos dum ejus soror eum vivere, et habitare in eremo cognovisset, non cessavit donec eum inspiceret. Quam dum episcopus ejusdem loci jam graviter propter eum videret affligi, scripsit præsulibus eremi, ut Pionem dirigerent ad eum. At ille, quoniam contemnere nefas est, jussionibus seniorum obediens, assumens quemdam secum, venit ad patriarcham; cumque ante jannam domûs suæ accessisset, et suum nuntiasset adventum, veniente germana, dixit clausis oculis: « Ecce ego sum Pion, quanto vis aspectu satiare. » Tunc gratificata laudavit Dominum. At ille, facta oratione, ad eremum remeavit; ubi fodiens, aquam invenit amaram, et ea usus est usque ad ultimum vitæ suæ. Post cujus obitum nullus ibi habitare prævaluit. Ego autem reor, quod per suam orationem ad suos usus eam Deus fecerit dulcem; dum et jam alibi extante (1) orationis merito emanaret. Nam cum Moyses et ejus monachi puteum foderent, et nec venam aliquam reperirent, nec amplius jam fodere altitudo permetteret, media die supervenit Pion, et facta oratione descendit in foveam; cumque descenderet aqua apparuit. Illis eum rogantibus, ut ex aqua gustaret: « Ad hoc, inquit, directus sum; et propter quod veni (2), peractum est. » Propterea, o sanctissima Mater, hæc tibi igitur de Pione monacho scripsi, ut perfecte scires, quod Continentia etiam in visu sit necessaria. Audisti vero nunc quam cautus iste monachus fuerit, qui nec inobediens fuit præceptis seniorum, qui illum ad sororem suam ire jusserunt, nec ipsa visa est ab illo, ne contra suum votum facere videretur. Quapropter hortor sanctitatem tuam, ut illum studeas imitari. Non sit tibi cura videndi propinquos vel amicos, quos in sæculo reliquisti, ne per illorum curam tua oratio, tuæque lacrymæ minuantur, nec cum uxore Loth retro respiciendo in salis

(1) Cod. absque sensu non extante. — (2) Id. venit.

statuam convertaris. Recole ergo illum Evangelii versiculum, quod « Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro aptus (1) est regno Dei <sup>1</sup>. »

---

## CAPUT V.

### *De Continentia linguæ.*

**HORTOR** etiam ut in locutione sis continens, ut assidue cum Psalmista dicas : « Dixi : Custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam <sup>2</sup>. » Noli igitur aliis detrahere. Memento quid Maria fuerit percussa in eremo, quando detraxit Moysi servo Dei suoque fratri. In Lege lege historiam, quia pro hac culpa fuerit lepra (2) percussa et maculata; septemque diebus manserit extra castra, quæ postmodum per orationem Moysis fratris sui a lepra mundata est. Absit autem ut ex lingua, per quam benedicimus Deum, inde maledicamus, et detrahamus proximo <sup>3</sup>. Recolamus ergo quod scriptum est, quia « Omnis detractor eradicabitur <sup>4</sup>. » Unde eradicabitur omnis detractor? Sine dubio de cœtu Sanctorum. Ergo, ne et nos de Sanctorum consortio eradicemur, custodiamus a detractione linguam nostram, et non detrahamus proximo, quem iubemur diligere, sicut nosmetipsos. Et non tantum a detractione nos oportet cessare, sed etiam a verbis otiosis, quia Evangelium clamat : « De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent Deo rationem in die iudicii <sup>5</sup>. » Otiosus sermo est, qui nec ad illius, qui eum audit, nec ad illius qui dicit, pertinet profectum.

<sup>1</sup> Luc. IX, 62. — <sup>2</sup> Psal. XXXVIII, 2. — <sup>3</sup> Jacob. III, 9. — <sup>4</sup> Prov. XXIV, 21, 22. — <sup>5</sup> Matth. XII, 36.

(1) Cod. male *actus*. — (2) Id. a *lepora*, et sic deinceps.

Noli ergo proferre verba, quæ risum vel cachinnum movent, sed magis quæ ad compunctionem et lacrymas et ad animarum profectum pertinent. Tuus ergo sermo sit semper sale conditus (1).

Narrat namque Historia Tripartita, Monmenonem Salicnem Syriorum præsulem, atque Theodonem multorum monachorum præsides fuisse. Ambo namque fuerunt operatores inopinabilium rerum, et divina providentia prophetiaque completi. Dicitur Theodonem eruditum Ægyptiorum, Græcorum, Latinorum studiis, et triginta annos habuisse taciturnitatem. Porro a nullo hominum visus fuit irascens, aut jurans, aut mentiens, aut vanum aliquid vel asperum (2), vel infirmum protulisse sermonem. Horum temporibus fuit etiam Elias monachus in eremo, agens annum ætatis suæ centesimum decimum. Antea tamen pene septuaginta annis solus vixit in solitudine; usque ad hanc ætatem jejunando, multumque silendo, et viriliter conversando pervenit. Hæc miracula hortor ut frequenter legas, ut scias quam cautam te in loquendo esse oporteat. Audisti enim nunc, et, ut puto, memoriæ commendasti, quod doctissimus Theodones monachus per triginta annos tenuit taciturnitatem. Hortor igitur, ut quia nobis assidue tacere non licet, vel libet, complacere ut semper a malo detractionis sileas. Ut ergo tibi virtus taciturnitatis placeat, audi adhuc quid Zacharias de ipsa interrogatus, responderit. Dixit abbas Pastor, quod interrogavit abbas fratrem Zachariam dicens: « Quid vides? » Et ille dixit: « Nihil melius quam tacere, pater. » Et ipse respondit: « Verum est, fili; tacere semper oportet. » Hora autem mortis ejus sedens abbas Isidorus respexit in cælum, et dixit: « Lætare, fili Zacharia, quia apertæ tibi sunt januæ regni cælorum. » Vides ergo, o sanctissima Mater, quod Zachariæ pro taciturnitate, maxima virtute,

(1) Cod. male *conditum*. — (2) Id. male *visum fuit irascentem aut jurantem, aut mentientem, aut vanum aliquid, vel asperum*.

apertæ sunt januæ cæli. Ut igitur (1) et tibi aperiantur, delectet te tacere, delectet te silere. Legi enim de quodam servo Dei, quod, ut taciturnitatem disceret, per plures annos in suo ore portavit lapidem. Admoneo igitur atque hortor, ut linguam tuam custodias, et nulli detrahas, atque nemini maledicas, nulla verba risum moventia proferas. Cogita quam brevis sit ista vita, et quam misera in comparatione vitæ æternæ. Hæc cogitando, et linguam tuam refrenando, et imitando scilicet eorum actum, quorum superius mentio facta est, sine dubio ad eorum consortium, et ad eorum gloriam perveniemus. Quomodo autem in animo tuo multam (2) taciturnitatem habere debeas, et quia multa bona opera propter vitium linguæ pereunt, ideo adhuc unam sententiam de taciturnitate subjungam. Venit in itinere conversationis suæ abbas Evagrius (3) ad quemdam senem, et dixit ei: « Dic mihi sermonem, quo salvus fiam. » Ille autem dixit ei: « Si vis salvus fieri, quando ad aliquem vadis, non prius loqueris, quam ille te inquirat. » Evagrius in hoc sermone compunctus, pœnitentiam egit in conspectu senis, et satisfecit ei dicens: « Crede mihi, multos codices legi, et talem cruditionem nunquam inveni, et multum proficiens exivi. » O beatissima Mater, ex his verbis lucide demonstratur quod multipliciter (4) beata est illa anima, quæ taciturnitatis perfecte habet virtutem. Dilige hanc virtutem, posside hoc bonum, conserva hanc margaritam. Amandum est ergo silentium, quia per hoc humilitas nutritur, lacrymæ generantur, ad extremum multa mala per ipsam declinantur.

(1) Cod. male hic ante tempus ponit *et te delectet*. — (2) Id. *multum*. —

(3) Id. *Evagrius*. — (4) Sic cod. in margine; in textu minus bene *tripliciter*.

## CAPUT VI.

*De Continentia vestium.*

SCIATQUE beatitudo tua, o sanctissima Mater, quod et in vestimentis sit Continentia valde necessaria. Sunt multi, qui putant quod appetitus pretiosarum vestium ipse (1) Dominus laudasset dicens : « Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus » vestiuntur in domibus regum sunt<sup>1</sup>. » Joannes ergo mollibus vestitum esse negatur, quia mollibus vestiuntur qui magis terreno regi serviunt, quam cœlesti. Joannes enim primus Novi Testamenti monachus fuit; pilis camelorum indutus fuisse legitur. Si ille qui in utero matris sanctificatus fuit, et Deo multum amabilis atque dilectus extitit, qui fuit verus propheta, etiam et plus quam propheta<sup>2</sup>, pilis camelorum fuit indutus, nos qui peccatores sumus et infirmi, quanto magis debemus vilibus vestibus esse contenti. Nemo namque pretiosa vestimenta, nisi ad inanem gloriam quærit. Peccatores enim sumus, et ideo pretiosa vestimenta quærere non debemus; sed magis ornamenta mentis quærere debemus, quam corporis. Ornamentum mentis est charitas, fides, modestia, humilitas, bonitas et benignitas. De his namque virtutibus ornatur sine fine mens humana cum Deo victura. Caro enim, quamvis pretiosis vestibus cooperiatur, quamvis operiatur auro, et argento ornatur, nihil aliud est quam caro, et lutum, et pulvis, et stercus. Quapropter non magnopere de vestibus procura. Corpus enim domare debemus; non balneum subinde inquirere, non ornata vestimenta, quia si corpus

<sup>1</sup> Matth. XI, 8. — <sup>2</sup> Luc. VII, 26.

(1) Cod. male *sui*.

nostrum delicate fovemus, hostem nostrum nutrimus. Nunquam enim majorem inimicum potest homo habere, quam corpus. Corpus vero trahit mentem ad peccatum, et ideo semper debet illud servus Dei subjugatum habere. Nam et bonos hęc per afflictionem judicat, et illic remunerat per miserationem; malos hęc remunerat per temporalem clementiam, et illic punit per æternam justitiam. In hac enim Deus vita parcit impiis, et tamen non parcit electis; in illa indulget piis, et non parcit iniquis.

---

## CAPUT VII.

### *De Afflictione corporis.*

DEBET namque corpus affligi per abstinentiam, per vigili-  
as et per diversos modos, ita tamen ut semper suum  
officium, suamque obedientiam possit perficere. Castigan-  
dum et affligendum semper est corpus, ut ad malam ope-  
rationem animam non trahat, et ad bonum peragendum  
semper sit idoneum. Nam qui ita corpus macerat, ut nec  
quidem bonum opus facere valeat, discretionis ignorat  
adhuc virtutem. Ut igitur corpus affligere scias et tempe-  
rare, unum de vita Patrum sermonem dicam. Dicitur de  
quodam patre, qui dum sæcularis esset, et conjugem habuis-  
set, postea conversus abiit in eremum, quod pœnitentiam  
faciens, tentabatur a Satana de ea. Ipse vero narravit hoc  
patribus, qui cum audissent et scirent, quod operarius for-  
tis esset, et majora facere posset, quam ea quæ ipsi sibi  
dicebant, imposuerunt ei majora, ut debilitaretur corpus  
ejus; et sic in abstinentia, et vigiliis, et orationibus tan-  
tum laboravit, ut surgere de terra nullatenus posset. Deo  
autem dispensante, quidam peregrinus ad cellam ejus ve-

nit, et pertransiuit admirans quod nemo egressus esset in occursum ejus; et iterum reversus ad cellam ejus pulsabat dicens inter se: « Forte qui in ea habitat infirmatur. » Quicum pulsasset intravit, et invenit eum nimis infirmum, et dixit ei: « Quid habes, pater? » Et ipse narravit ei dicens: « Ego secularis vitæ fui, et sollicitat me inimicus de uxore mea; et narraui hanc tentationem patribus, et ipsi imposuerunt mihi onera diversa, et cum implere vellem jussa eorum, defeci et tamen stimulus crevit. » Audiens autem hæc senex contristatus est, et dixit: « Patres et magistri bene tibi imposuerunt onera, quibus gravaris, sed si me parum audire volueris, cito inuenies requiem. Sume parum cibi (1) in tempore suo, et recolliges vires tuas, et facies aliquantulum opus Dei, et jacta in Domino cogitatum tuum, quia tuis laboribus hanc impugnationem non poteris superare. Corpus enim nostrum est velut vestimentum. Si cum discretione tractaveris, stabit; si vero sine discretione omnia egeris, non stabit. » Qui cum audisset eum, fecit sicut dixerat, et recessit stimulus ejus. Hanc autem sententiam ideo volui scribere in isto ordine, quia quæ superius admonui, id est, silentium, nuditas, abstinentia, corporisque castigatio cum discretione sunt agenda. Discretio enim vera, magna virtus est, quia per ipsam mala declinantur, et bona servantur. Bonum ergo opus sine discretione esse non potest; discretio enim est mater omnium virtutum. Quapropter tuam, o Mater, hortor dilectionem, ut omnia cum discretione facias, ut nec ad dexteram, nec ad sinistram corruas, sicut dicit Apostolus: « Nec prospera te elevent, nec adversa con- » turbent<sup>1</sup>. » De hac etiam discretionis virtute habetur in vita Patrum. Dixit abbas Antonius, quod sunt quidam conterentes corpora sua in abstinentia, et quia non habuerunt discretionem, longe facti sunt a Deo. Supervenit autem

<sup>1</sup> Hæc apud Apostolum non inveni.

(1) Cod. *cibum*.

quidam venationem faciens in sylva agrestium animalium, qui vidit Antonium abbatem gaudentem cum fratribus suis, et displicuit ei. Volens autem senex ostendere ei, quod oportet aliquando condescendere fratribus, dixit ei : « Pone sagittam in arcu tuo, et trahe; » et fecit sic. Et ipse dixit ei : « Iterum trahe; » et traxit. Et rursus dixit ei : « Trahe adhuc; » et dixit ei venator : « Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. » Dixit ei Antonius : « Ita est in operatione Dei; si plusquam vel ultra mensuram tendimus, fratres cito deficiunt. Expediit ergo vel ad momentum horæ eos laxare a rigore laborum suorum. » Hæc vero venator audiens compunctus est, et multum proficiens in sermone beati Antonii, et in eo proficiscens discessit; et fratres confortati reversi sunt ad loca sua. Maxime autem mihi cura fuit hæc tibi scribere, religiosissima Mater, ut absque periculo te caute custodias, videlicet ut curam corporis Dei servitio non imponas (1), et ut rursus Dei servitium explere queas, corpori necessaria ministrare non negligas. Admonere subinde tuam dilectionem non cesso, quanquam tuum bonum studium notum sit mihi, sed et nunc admoneo, ut in loco isto, post Continentiam corporis, discretionis virtutem memoriæ teneas, quantum potes.

---

## CAPUT VIII.

### *De Compunctione.*

Et quia Compunctio in omni loco, sive in omni opere est necessaria, tibi commendanda est ipsa virtus, quatenus et mortificationis studio jungatur Compunctio. Puto enim quod vera mortificatio ab aliquo possideri non possit,

(1) Id est non præponas; et sic forte scribendum.



nisi cum Compunctione. Idcirco tuam, o Mater, charitatem hortor, ut quidquid agas, sive silentium teneas, vel abstinentiam facias, vel nuditatem ames, vel vigiliis inquiras, omnia cum Dei amore facias (1), et cum lacrymis, et si lacrymæ non occurrunt, adsit tibi Compunctio salutaris; ita dumtaxat cum discretione, de qua supra dictum est, facias, ut per te non scandalizentur aliæ, sed potius ædificentur. Simus igitur in omni opere nostro compuncti, ut possimus dicere Domino cum Psalmista: «Holocausta medullata offeram tibi<sup>1</sup>.» Holocaustum vero totum incensum dicitur. Holocaustum autem offert Deo, qui totum se Deo tradit; quod ad monachorum spiritualiter pertinet ordinem. Per medullam holocausti Compunctio designatur. Holocaustum sine medulla est bonum sine Compunctione; holocaustum medullatum Deo offerimus, quando bonum opus cum Compunctione perficimus. Hanc igitur medullam ipse Psalmista alibi nominat pinguedinem: «Holocaustum tuum pingue fiat<sup>2</sup>.» Magna est ergo virtus Compunctionis, de qua in vita Patrum scriptum est. Frater quidam interrogavit quemdam senem dicens: «Pater, quid faciam, quia malæ cogitationes me comprimunt.» Dixit ei senex: «Flere semper debemus. Dico tibi, frater, quia contigit aliquando quemdam senem mori, et postmodum in se ipsum reverti; et interrogavimus eum dicentes: «Quid vidisti, abbas?» Et ipse narravit plorans omnia quæcumque vidit et audivit, dicens: «Audiui illic vocem sine cessatione dicentem: Væ mihi! væ mihi!» Sicque nos apertissime dicere debemus.» Apertissime vero in his verbis possumus cognoscere, quare flere conveniat, ne post hujus vitæ discessum in luctum veniamus æternum. Utile namque consilium est hoc ad tempus deplorare, quia hæc vita brevis, et labens, et (2) misera, et cito transitura. Illa namque vita nullum terminum habet, nunquam finietur;

<sup>1</sup> Psal. lxxv, 15. — <sup>2</sup> Id. xix, 4.

(1) Cod. *fac.* — (2) Id. *est.*

et sicut Sancti sine fine in cœlo gaudebunt, sic et peccatores sine fine cum diabolo in inferno cruciabuntur, et si lacrymas, ut statim volumus, invenire non possumus, orando non deficiamus; persistamus in precibus, quia facile potest Deus lacrymas dare. Multi enim lacrymas habere desiderant, sed non statim, ut volunt, illas inveniunt, de quo exemplum in vita Patrum scriptum est. Quidam frater interrogavit quemdam senem dicens: « Anima mea desiderat valde lacrymas habere, ut audio senes lacryman-tes, et mihi non veniunt, et ita tribulatur anima mea. Quid faciam? » Et respondit senex: « Filii Israël post quingentos annos intraverunt in terram repromissionis; ad quam si perveneris, nullum timebis bellum. Ita enim vult Deus affligi animas nostras, ut semper desiderent in illam terram ingredi. » Dicebat etiam de beato Arsenio, qui toto tempore vitæ suæ sedens ad opus manuum suarum, pannum habebat ante se propter lacrymas, quæ cadebant ex oculis ejus. Hoc vero nos audientes, o charissima Mater, quantum nos debemus præparare ad lamenta pensemus; quod si illi tam sancti, et justî, et Dei per omnia facientes voluntatem, sic mortificabant vitia in corporibus suis, quanto magis nos peccatores flere et lugere debemus, et cogitare diem mortis nostræ, et diem judicii; cogitare etiam qualis discussio ibi erit. Audiamus quid beatus Antonius cuidam fratri eum interroganti responderit. Ipse frater interrogavit eum dicens: « Dic mihi aliquod verbum. » Dixit ei senex: « Vade, et fac talem cogitationem qualem faciunt viri, qui retinentur in carcere. Ipsi enim (1) interrogant, ubi sit iudex, et quando venturus sit ad iudicium faciendum, et in ipsa interrogatione pœnas suas deplorant. Ita et monachus debet semper esse suspectus et animam suam objurgare dicendo: Væ mihi, quomodo stare debeo ante tribunal Christi, et quomodo debeo actuum meorum reddere rationem. Igitur si sic semper meditatus fueris, salvus

(1) Cod. male *eum*.

eris. » Et tu, o Mater, hæc audiens, de pœnis inferni cogita, et fac sicut iste servus Dei hortatur : « Vermis ibi non moritur, et ignis nunquam extinguitur <sup>1</sup>. » Luctus vero nunquam finietur, pœna nunquam terminabitur; et si hæc semper cogitaveris, salva eris. Recole semper illud quod abbas Elias dixit : « Ego timeo tres causas : prima est quando egredietur anima de corpore ; secunda est, quando occursurus sum Deo ; tertia est, quando sententia in iudicio adversum me proferetur. » Et tu, o Mater, hæc meditare, hæc cogita, et hæc apud temetipsam tracta sollicite, ut inferni laqueos possis vitare, et ad regna cœlorum merearis conscendere. Hic enim lugendum est, quia scriptum est : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur <sup>2</sup>. » Nequaquam hoc de omni luctu dicit, quia multi sunt, qui lugent mortem parentum suorum vel amicorum, et quia res, quas desiderant terrenas, adipisci non possunt (1) pro suo luctu non sunt beati. Solummodo illi lugentes sunt beati, qui sua vel aliorum peccata deflent; sicut Samuël et David flebant Saül, et Paulus deflebat eos, qui non egerunt pœnitentiam a fornicatione, et ab immunditia sua <sup>3</sup>. Defleamus igitur, in hac vita, nostra et nostrorum parentum peccata, quia lugentibus dictum est : « Luctus vester in gaudium convertetur <sup>4</sup>. » Seminemus nunc in luctu, ut metemus tunc in gaudio (2) cum illis, de quibus Psalmista dicit : « Euntes ibant et flebant mittentes semina sua; venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos <sup>5</sup>. » Vides ergo quam beatus in Scripturis prædicatur luctus. Audi adhuc quod in vita Patrum scriptum est. Miserunt aliquando senes de monte Nitriæ (5) ad abbatem Macarium majorem in Scetim, rogantes ut veniret ad eos. Alioquin sciret omnem multitudinem ad eum esse ituram, eo quod desiderarent videre eum, antequam

<sup>1</sup> Marc. ix, 43. — <sup>2</sup> Matth. v, 5. — <sup>3</sup> 2 Cor. xii, 21. — <sup>4</sup> Joan. xvi, 20. — <sup>5</sup> Psal. cxxv, 6.

(1) Cod. addit *quia*. — (2) Id. *in gaudium*. — (3) Id. male *vitriæ*.

migraret ad Dominum. Qui cum venisset ad montem, congregata est (1) omnis multitudo fratrum ad eum, et rogabant eum senes, ut faceret sermonem omnibus fratribus. Ille autem lacrymans ait: « Ploremus omnes, fratres, et producant oculi nostri lacrymas, antequam eamus illuc, ubi lacrymæ nostræ corpora nostra comburant. » Et fleverunt omnes proni in terram et in facies suas, dicentes: « Pater, ora pro nobis ad Deum. » Abbas etiam Sylvanus aliquando sedens cum fratribus suis, factus est in excessu mentis, et cecidit in faciem suam, et postmodum surgens plorabat, et interrogaverunt eum fratres dicentes: « Quid habes, pater? » Ille autem tacendo flebat. Illis autem eum compellentibus, dixit: « Ego autem ad iudicium raptus sum, et vidi multos de habitu nostro ad tormenta euntes, et multos sæculares ad regnum. » Et ideo ipse lugebat, et nolebat de cella sua exire; sed cum exire cogebatur, de cuculla operiebat faciem suam, dicens: « Quid necesse est videre lumen istud temporale, in quo nulla est utilitas? » Manifestum est igitur, ut credo, prudentiæ tuæ, quam magna virtus sit Compunctionis, per quam peccata delentur, et virtutes acquiruntur. Nolo autem ut ab hac virtute tua sit mens aliena, quæ in pectore perfectorum hominum habitat. Per hanc vitia superantur, et per hanc multi Deo placuerunt; per hanc diabolus vincitur, et Dominus ad misericordiam provocatur. Per veras enim lacrymas omnia, quæ præfata sunt, complentur. Veras namque lacrymas habet, qui post (2) hoc non committit quod defleat. Hoc est etiam docte plangere; docte namque plangit, qui plangendo malum, quod fecit, non perpetrat, quod iterum plangere debeat; quia irrisor est, et non pœnitens, qui adhuc perpetrat, quod plangere ipsum oporteat.

(1) Non habetur *est* in cod. — (2) Cod. *per*.

## CAPUT IX.

*De Beatitudine Compunctionis.*

QUAPROPTER post luctum annotanda (1) est Beatitudo Compunctionis, ut quod plangis desiderio emendandi, non (2) iterum te delectet (3) operari, diabolo suadente. Cani enim assimilatur omnis pœnitens, qui plangendo iterum committit, quod plangit. Canis reversus ad vomitum, est pœnitens reversus (4) ad peccatum<sup>1</sup>. Multi enim lacrymas indesinenter fundunt, et peccare non cessant. Et ideo, charissima Mater, tuam bonitatem hortor, ut quod plangis, iterum non committas, ne similis sis illi qui lavat laterem nondum coctum, quia dum magis illum lavat, magis lutum facit. Isaiās namque hortatur dicens: « Lava-  
» mini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestra-  
» rum de cordibus vestris<sup>2</sup>. » Lavatur enim, at (5) mundus non est, qui peccatum plangit, et iterat quod plangit. Lavatur, et mundus efficitur, quisquis plangit malum, quod facit, et iterum non committit plangendum. De anima enim, quæ plangit peccata sua, et eadem iterat, scriptum est per Prophetam: « Quam vilis facta es nimis, iterans  
» vias tuas<sup>3</sup>. » Non ideo hoc tibi scribo, quod (6) de te talia suspiciam (7), sed ut scias quam lenis et dulcis Compunctio debet esse.

<sup>1</sup> 2 Petr. II, 22. — <sup>2</sup> Isai. I, 16. — <sup>3</sup> Jerem. II, 36.

(1) Cod. *ammonendum*. — (2) Id. *nec*. — (3) Id. *delectes sine pro-*  
*nomine te*. — (4) In cod. deest *reversus*. — (5) Cod. *qui male*. — (6) Id.  
*ut*. — (7) Id. *suspiciere*, quod male scriptum est, nisi addas *suspiciere*  
*queam*.

## CAPUT X.

*De Oratione, et qualiter homo debeat orare.*

SED quia tibi manifesta (1) est virtus compunctionis, restat ut modus orandi tibi pandatur. Dominus enim ostendit nobis modum orandi. Cum rogaretur a Discipulis suis, ut eos doceret orare, dixit : « Cum stabitis ad orandum, nolite multum loqui, sed dicite : Pater noster, » et cætera. Oratio enim brevis debet esse, nisi (2) forte ex affectu divinæ gratiæ protendatur. De beato enim Arsenio in vita Patrum legitur hoc, quod nunc narro : dicebant senes de beato Arsenio, quia vespere lucescente Sabbati in Dominica relinquebat post se solem extensis manibus ad cælum orans, donec mane diei Dominicæ ascendens sol illustraret faciem ejus, et sic residebat. Videat igitur, o sanctissima Mater, charitas tua quam fortis iste fuerit in Orationis officio, qui (3) de vespere usque mane, extensis manibus orabat. Non ideo hoc tibi scripsi, ut ita tentes facere, sed ut affectum et studium, quod ille per totam noctem, vel etiam per totum tempus vitæ suæ habebat, tu in regularibus horis habere studeas; et sic stes in Oratione, ut mens tua voci concordet. Audiat igitur adhuc dilectio tua verbum de modo Orationis. Narravit abbas Dulas, qui fuit discipulus Bessarionis dicens : « Veni aliquando ad cellam abbatis mei, et inveni eum in Oratione, et manus ejus extensæ erant ad cælum. Permansit autem hæc faciens quatuor dies, et post hoc vocavit me dicens : « Sequere me. » Exiens autem secutus sum eum, et cum eo in eremum perrexi, et cum sitirem, dixi : « Abba, sitio. » Ille vero tollens peram, discessit a me quantum jactus lapidis, et facta Oratione, attulit eam plenam aqua, et illico ivi-

(1) Cod. *manifestum*. — (2) Id. *non*. — (3) Id. *quod*, et deinde *orat*.

mus in civitatem, et venimus ad abbatem Joannem; deinde sedendo, cœpimus loqui de visione, quam viderat in Oratione stando. Dicebat et de abbate Sisoy (1), quod nisi cito manus deponeret, quando stabat ad Orationem, ad superiora rapiebatur mens ejus. Si ergo contingebat aliquos fratres cum eo orare, festinabat cito deponere manus suas, ne raperetur mens ejus in Oratione. Dicebat etiam alius senex, quia assidua Oratio cito corrigit mentem. Dicebant quidam sanctorum Patrum, quia sicut impossibile est, ut quis videat in aqua turbida faciem suam, sic et anima, nisi purgata fuerit a peccatis, contemplari Deum non potest. Audisti, Mater, quod abbas Sisoy, nisi cito dimitteret manus suas, rapiebatur contemplatione Orationis. Quare rapiebatur? sine dubio quia mortificatus erat. Audiat ergo, rogo, dilectio tua, quale studium Paulus monachus habuit orandi, quod in ecclesiastica Historia scriptum habetur. Fuit iste Paulus de Lybia in Scetim non minus quingentos monachos habens, qui nihil operabatur, nisi tantum quod ad esum sibi sufficeret. Orabat autem solummodo, et veluti quoddam tributum habens sibi impositum, trecentas Orationes, id est « Pater noster, » unaquaque die Deo reddebat, et ne unam dimitteret forte, trecentos lapillos in sinu suo ponebat, et pro singula Oratione perfecta, lapidem de sinu suo extrahebat; expensis (2) vero lapidibus, Orationes sciebat esse completas. Multum igitur nos debemus humiliari, qui et longe ab illorum meritis, quorum superius mentio facta est, distamus, et sic prompti ad Orationem faciendam, ut illi (3), non sumus. Oratio enim juncta compunctioni magnæ virtutis est. Volo quoque ut solerter attendas, quod Jesus Christus ac Salvator noster, volens orare, ascendit in montem. Ideo Jesus oraturus in montem ascendit, ut tu orando in montem conscendas cœlestem. Nequaquam

(1) Sanctus Sisoy aut Sisoc in deserto Scetim mortuus est an. 429. —

(2) Cod. *expansis*. — (3) Id. male *utiles*.

enim omnis, qui orat, in montem ascendit. Ille vero qui mortem inimici sui quærit, aut res inimici, ut honorabilior in hoc mundo esse possit, nequaquam ascendit in montem cœlestem. At e contra qui in Oratione pro remedio suæ animæ, vel pro alienis peccatis Dominum deprecatur, iste absque dubio in montem, sicut Jesus, oraturus ascendit. Vide, ut hæc legas; attende, Deo dicata, ut ordinate de mortificatione venias ad compunctionem, et compunctionem habendo, nosse et habere possis modum orandi.

---

## CAPUT XI.

### *De Pugna vitiorum adversus virtutes, et quomodo extirpanda sunt vitia et inserendæ virtutes.*

ET quia lucide nonnullis instructa es virtutibus, restat ut mente diligenter attendas quot sint (1) luctamina vitiorum adversus virtutes. Magnum namque (2) est certamen vitiorum adversus virtutes. Tunc enim poteris omnia vitia pugnando superare, cum divino auxilio, si contra singula vitia virtutes opposueris. Solet enim pugna vitiorum adversus virtutes ad profectum hominis venire, quia per illud certamen mens exercitatur, et a rebellionem (3) peccatorum purgatur. Contra singula quoque vitia virtutes sunt adhibendæ; contra luxuriam munditia cordis est adhibenda, contra iracundiam patientia est opponenda, contra timorem est fiducia mittenda, contra torporem vero zelus apponendus est, contra tristitiam quoque malam adhibenda est lætitia spiritualis, et lætus amor; contra acediam vero fortitudo assumenda est, contra avaritiam est adhibenda

(1) Cod. *sit*, pro *sint*, nisi legas *quod sit luctamen*, aut *quæ sit lucta*. —

(2) Id. *quoque*. — (3) Id. *bellatione*.



largitas, contra superbiam humilitas est præponenda, contra odium vero charitatis virtus est assumenda. De hoc enim certamine Paulus dicit apostolus: «Caro concupiscit » adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. hæc » enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis » illa faciatis<sup>1</sup>. » Et tu, Deo dicata Mater, hæc legendo, et memoriæ commendando, stude contra hostis antiqui insidias viriliter dimicare. Si te somnolentia gravat, stude illam vincere vigilando, quia somnolentia per vigiliam destruitur. Si te delectat balneorum usus, veniat tibi ad memoriam beatus Jacobus, frater Domini, qui primus post Apostolos Hierosolymorum rexit ecclesiam, de quo Josephus narrat quod nunquam carnes comedit, nec balneo usus fuit, nunquam lineis vestibus fuit indutus, nec caput secundum consuetudinem suæ gentis oleo unxit. Si deliciae in delectatione tibi eveniunt, propone ante tuos oculos Joannem Baptistam, qui fuit in utero matris suæ sanctificatus, de quo Dominus dicit: « Inter natos mulierum non » surrexit major Joanne Baptista<sup>2</sup>. » Narrat de eo sanctus evangelista Matthæus, quod mel sylvestre et locustas edebat. Si enim illi, qui in te peccat, et qui tibi detrahit aut maledicit, vel in aliquo lædit, ignoscere non potes, sicut vis, veniant ad memoriam tuam quanta et qualia pro te passus fuerit Dominus Jesus Christus. Pro te factus est homo mortalis, corruptibilis et passibilis, qui immortalis et impassibilis semper erat Deus. Assumpsit enim pro te carnem ex Virgine, in qua pateretur et moreretur. Pro te quoque flagellatus est, alapis cæsus, sputis linitus, spinis coronatus, ad extremum etiam fuit crucifixus. Pro te hæc omnia sustinuit Christus, ut te a diaboli potestate eriperet; pendens enim pro te in cruce, quid dicebat? « Pater, ignosce » illis, quia nesciunt quid faciunt<sup>3</sup>. » Ille igitur qui (1) sine peccato occidebatur, pro suis inimicis exorabat, et tu si

<sup>1</sup> Galat. v, 17. — <sup>2</sup> Matth. xi, 11. — <sup>3</sup> Luc. xxiii, 34.

(1) Deest *qui* in cod.

aliquam molestiam pateris ab aliquo, si non potes ex toto corde dimittere, credo quod ista, quæ narro, si subtiliter cogitare volueris, ex tota mente facile dimittere poteris. Hæc enim meditando et mente discutiendo, poteris iram vincere, poteris omnes diligere, poteris omnia Dei præcepta incunctanter adimplere, qui dicit: «Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos<sup>1</sup>.» Si tibi advenerit voluptas vagandi, recole quod jam mortua es cum Christo. Numquid homini crucifixo venit voluptas vagandi? Non; quia nihil cogitat qui ad mortem tendit, nisi de morte sua. Et tu jam mortua es huic mundo. Vide ne tu illi, aut ille tibi resuscitet. Dic potius cum apostolo Paulo: «Mihî mundus crucifixus est, et ego mundo<sup>2</sup>.» Hæc vero cogitando vagationem mentis vincere poteris. Audi quid ipse Apostolus de pugna vitiorum adversus virtutes dicat vel doceat: «Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis<sup>3</sup>.» Tu autem si vis vivere cum Christo, mortifica per virtutes omnia vitia. Per charitatem mortifica avaritiam, per gaudium tristitiam, per pacem extingue discordiam, per patientiam mortifica superbiam, per bonitatem occide malitiam, per mansuetudinem extingue ferocitatem, per continentiam mortifica intemperantiam, per castitatem occide impudicitiam. Si istos actus carnis mortificaveris, sine dubio perenni lætitia cum Angelis in cælis frueris.

---

## CAPUT XII.

### *De Studio legendi Scripturas.*

NON est in his diu morandum, quia transmitto Charitatem tuam ad latissimum campum divinarum Scripturarum,

<sup>1</sup> Matth. v, 24. — <sup>2</sup> Galat. vi, 14. — <sup>3</sup> Rom. viii, 13.

ubi (1) quod hinc deesse tibi decernis, si solerter perquiras, invenies. Quapropter deprecor dilectionem tuam, ut studium semper in te crescat legendi. Nullus enim, ut puto, potest Dei perfecte nosse præcepta, nisi qui legendi continuum habet studium; quia quanto quisque in divinis Scripturis magis assiduus fuerit, tanto majorem ex eis intelligentiam capit; sicut terra, quanto magis excolitur, tanto amplius fructificat. Nam quamvis tardum quis (2) sensum habeat, aliquid tamen discere poterit ex Scripturarum mysteriis, si assiduitatem legendi habuerit. « Qui enim habet, dabitur » ei, et qui non, jam quod videtur habere, auferetur ab » eo<sup>1</sup>; » id est, qui habet studium legendi, dabitur etiam illi et intelligendi facilitas, et qui non habet studium legendi, etiam quod videtur habere, id est, quod naturaliter bonum intelligit, propter ignaviam ejus auferetur ab eo; et sicut ille qui tardus est ad intelligendum, pro sua bona intelligentia vel in tentatione recipiet gloriam; ita ille qui talentum sibi datum negligit, condemnabitur. Quapropter admoneo charitatem tuam, ut studium habeas legendi. Quæ enim nescimus, ex assidua Lectione discimus, quia omnis profectus ex Lectione procedit, quia dicitur: « Oratione continua a vitiis mundamur, Lectionibus instrui- mur; utrumque bonum est si liceat; si non liceat, melius est orare quam legere. Quicumque vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, et frequenter legere. Nam, cum oramus, cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. » Si hæc ita sint, o Deo dicata Mater, necesse est tibi orandi legendique studium habere. Lectio enim cognitionem Dei administrat, Lectio tenebras ignorantia fugat, Lectio homini scientiam confert; Lectione, Dei studium omniumque virtutum amor nutritur; per Lec- tionem cognoscere potes, qualis beatitudo, qualis gloria, qualis (3) sit claritas quæ promittitur Sanctis omnibus et

<sup>1</sup> Matth. XIII, 12.

(1) Cod. male *vel.* — (2) Deest *quis* in cod. — (3) Cod. *quæ.*

electis. In Lectione cognoscere potes qualis pœna, qualis luctus, quale supplicium imminet malis, injustis et impiis hominibus. Per Lectionem cognoscere vales, quid audituri sunt boni vel mali in die iudicii. Malis enim a Domino dicitur : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est » diabolo et Angelis ejus<sup>1</sup>; » bonis vero dicitur : « Venite, » benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi<sup>2</sup>. » Hæc enim omnia Lectione continua discimus. Lectio enim administrat, quomodo prospera, quomodo adversa tolerare debeas. Quapropter subjungendum est hîc aliquid, quod in exemplis sanctorum Patrum legi, qui infirmitates vel omnia adversa pro Christi amore patienter tolerare studuerunt. Hæc legas, hæc memoriæ commendes; illos totis viribus imitari stude.

---

### CAPUT XIII.

#### *De Admonitione Tribulationum et Infirmitatum.*

HORTOR igitur, ut si Infirmitas vel contrarietas tibi acciderit (1), quatenus perfici valeas, scire qualiter tribulationes omnesque Infirmitates tolerare debeas, te oportet. Lectioni esto dedita; ibi enim invenies : « Ego enim quos » amo corrigo et castigo<sup>3</sup>. » Si Dominus quos amat corrigit et castigat, ergo et tu, Mater, ama argui et castigari ab illo. Qualiscumque infirmitas tibi advenerit, gratanti animo suscipe illam. Volo tibi unam rem de Historia Tripartita narrare, quam subinde volo ut legas et memoriæ commendes. Fuit Benjamin senior, qui valde clarior habebatur, dono

<sup>1</sup> Matth. xxv, 41. — <sup>2</sup> Ibid. 34. — <sup>3</sup> Apoc. iij, 19.

(1) Hic quedam deesse videntur, qualia forent ista : *Patienter tolere;* *quibus ut perfici valeas*, etc.

Dei ita (1) ditatus, ut sine meditatione, sed solo tactu manûs, aut olei unctione, facta oratione, sanaret ægrotos. Hic fertur incidisse hydropicam infirmitatem, et tantum ejus corpus intumuisse, ut non posset per januam cellulæ suæ, in qua habitabat deferri, nisi tabulæ ante positæ sublatae fuissent. Hic ergo passionis suæ tempore, pene octo mensibus ante mortem, bene in sella latissima sedens curabat solemniter ægrotantes, non graviter ferens quod suæ ægritudini non prodesset, sed etiam circumdantes consolabatur, et deprecabatur, ut rogarent Deum pro anima ejus, et de corpore non curarent, quia, dum sanus esset, nihil sibi profuisse dicebat. Hunc Benjamin imitari stude, o sanctissima Mater; in omnibus Infirmitatibus tuis, semper gratias Deo stude referre. Audiat dilectio tua de beato Stephano monacho, qualiter in Infirmitatibus gratias Deo studuerit reddere. Stephanus autem, qui circa mare Oceanum habitabat, perfecta degens et integra continentia, circa sexaginta annos probatissimus monachus fuit. Fuit autem et Antonio magno notissimus, et amantissimus, et sapiens, locutione suavis et utilis. Tristantium consolabatur animos, et lacrymantes revocabat; si et necessaria Tribulatio perveniret sibi, malis erat gaudens in (2) propriis. Denique dum in infirmitatem incurabilem pervenisset, et medici putrida (3) verba dicerent, ille tamen manibus operabatur, palmarum plectens folia, et præsentibus persuadens, ut de rebus hujus mundi non dolerent, neque aliud cogitarent, nisi de bono fine. «Deus, inquit, qui fecit cuncta quæ utilia sunt, ipse sit cogitatio nostra. Ego autem novi; hujusmodi passiones pro peccatis eveniunt, et melius est hic pœnam solvere, quam post mortem æterna supplicia sustinere.» Stude ergo ita similiter, o Mater Deo dicata, dicere, quæcumque Infirmitas aut alia contrarietas tibi evenerit. Considerare quoque summopere debemus,

(1) Deest *ita* in cod. — (2) Cod. *talis erat in gladiis propriis*. — (3) Sic cod., eo forte sensu quod dicerent verba quæ putredinem mox futuram prænuntiabant.

si illi qui sancti et justī erant, Domino pro Infirmītatē et Tribulationē gratias referēbant, quanto magis nos qui peccatores sumus, Infirmītates et Tribulationes amare debeamus, præsertim cum Apostolus dicat, quod « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei<sup>1</sup> » Amandæ sunt Tribulationes; cum gratiarum actione a nobis tolerandæ sunt Infirmītates, quatenus hæredes regni cœlestis effici mereamur. Peccator enim qui in hoc mundo flagellari non meretur, in inferno æternaliter torquebitur. Optandum nobis est ergo, o sanctissima Mater, ut in hac vita dum vivimus, Tribulationes et Infirmītates pro Christi amore, et pro remissione peccatorum nostrorum libenti animo sustineamus. Scire namque debet dilectio tua, quibus modis Dominus hominem flagellat. Primo modo flagellat ad probationem, sicut flagellatus est Job et Tobias. Ad hoc enim flagellati sunt, ut probati essent et manifesti, ab aliis ob causam exempli imitandi, ut eorum cognoscentes patientiam, illos imitari studeamus. Secundo modo Deus hominem flagellat, ne se in superbiam extollat, vel in securitate ponat, quod ad Sanctos pertinet specialiter, sicut beatus apostolus Paulus, qui de se ipso dicebat: « Datus est mihi » stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet<sup>2</sup>; Qui postquam cognovit quod salubre illud fuisset sibi flagellum, dixit: « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut » inhabitet in me virtus Christi<sup>3</sup>. » Tertio modo Deus hominem flagellat propter peccata, sicut paralyticum, cui dixit: « Remittuntur tibi peccata tua<sup>4</sup>; » deinde subjungit: « Tolle » lectulum tuum, et vade in domum tuam<sup>5</sup>. » Per hoc enim quod ille primitus peccata dimisit, et deinde ab Infirmītatē curavit, aperte demonstratur, quod Infirmītas ei propter peccata evenit. Quarto modo Deus hominem flagellat, ut sua virtus vel Sanctorum suorum meritis demonstraretur; sicut de cæco nato, de quo ipse in Evangelio dicit: « Neque

<sup>1</sup> Act. xiv, 21. — <sup>2</sup> 2 Cor. xii, 7. — <sup>3</sup> Ibid. 9. — <sup>4</sup> Matth. ix, 2. — <sup>5</sup> Ibid. 6.

» hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur, » sed ut manifestentur opera Dei in illo<sup>1</sup>. » His verbis aperte demonstratur, quod ideo cæcus natus fuit, ut a Deo illuminaretur, ac per hoc virtus divinitatis ostenderetur. Quinto modo Deus hominem flagellat, ut hic incipiat tormenta sustinere, quæ post mortem sine fine sustinebit; quod solummodo ad malos pertinet, sicut Antiochus et Herodes inchoaverunt hic pati, quod postea in inferno passuri erant. De his scriptum est: « Duplici contritione contere eos<sup>2</sup>, » id est, in præsentem et in futuro. His quinque modis Deus hominem flagellat; idcirco incognitum est quomodo ex his unusquisque flagellatur, ut timeat et emendet quod fecit flendo, quatenus flagellum ei ad profectum eveniat. Admonenda est ergo beatitudo tua, ut hos quinque modos, quibus Deus hominem flagellat memoriter teneas, quatenus in omni Infirmitate et Tribulatione semper ante mentis oculos, quæ dicta sunt, habeas. In his namque meditando flagellum Dei gratanti animo tolerabis. Firmiter enim debemus credere, quod nullum peccatum sine vindicta relinquitur. Aut enim hic per pœnitentiam unusquisque peccatum suum delet (1), aut Dominus pie per suum flagellum purgat, aut post mortem igne purgatorii purgabitur; quod si his modis peccatum hominis non fuerit deletum, post hanc vitam in ignem descendet æternum. Hæc vero audiens et ad memoriam reducens, nequaquam debes de tua desperare salute, et (2) nequaquam cum desperatione dicere: « Multa sunt mala et innumerabilia peccata mea. » Scito pro certo quod nullus tantum potest peccare, quantum Dæi pietas valet dimittere, si tamen pœniteat peccans, et si ad illum se convertere studeat.

<sup>1</sup> Joan. ix, 3. — <sup>2</sup> Jerem. xvii, 18.

(1) Cod. *deleat*. — (2) *Deest et in cod.*



## CAPUT XIV.

*De Venia peccatorum speranda.*

Et quia sermo se intulit de venia peccatorum speranda, volo factum Theodosii imperatoris tibi ad memoriam reducere, per quod ad sperandam peccatorum Veniam mens tua sublevetur, et ad lacrymarum fluentia proferenda (1) cortuum compungatur. Cur desperabit aliquis peccatorum habere Veniam, si ad Deum ex toto corde convertatur, cum supradictus Imperator septem millia occidens, pueros et (2) matres, lamentando et se reum agnoscendo, Veniam infra paucos dies potuit promereri? Ut igitur manifeste cognoscere possit sanctitas tua, quo modo hæc gesta sunt, cur videlicet septem millia hominum occidens, et ista occasione se reum agnoverit, et quomodo se humiliaverit, et quomodo Veniam promeruerit, verba Historiæ Tripartitæ hic per ordinem sunt inserenda; per quæ verba in multis proficere, Domino auxiliante, virtutibus poteris; primum quidem in speranda Venia peccatorum, qui tantorum hominum sanguine reus existens, facile Veniam impetravit. Deinde considera humilitatem, quia cum Imperator esset, per prædicationem beati Ambrosii tantum se humiliavit, ut omnibus peccatoribus inferiorem se esse cognosceret; deinde lacrymis se dedit abundanter, quia cum in ecclesiam intravit, pavementum ipsius ecclesiæ lacrymis rigavit. Volo igitur, ut hoc tuæ charitati non incognitum sit, quia nemo simul in se omnia valet extinguere vitia. Nam dum quispiam passionem libidinis effugerit, in avaritiam currit (3), et cum ab avaritia declinaverit, invidiæ fovea illi paratur, et si invidiam vicerit, mox vitium furoris, et alios

(1) Cod. *perferenda*. — (2) Deest *et* in cod. — (3) Sic cod. in textu, at in marg. *vergit*.



plurimos laqueos ei apponit inimicus, per quos capere possit incautos. Non est utique facile hominibus vitare universas insidias hominis, sed mens in divino solatio vigilans, argumenta et machinationes antiqui hostis destruit. Theodosius namque imperator habuit passionem furoris, sed cum furore immensam crudelitatem commisit (1). Quare Theodosii pro tua utilitate, id est, ut in supradictis virtutibus ex ejus lectione proficias, factum necessarium est. Civitas Thessalonica (2) grandis est et populosa, in qua cum fuisset seditio magna, quidam ex iudicibus lapidati sunt, atque tracti per civitatem, et ad ultionem decollati. Ista enim de causa indignatus Theodosius, iracundiæ non refrenavit infirmitatem, sed jussit injuste gladios super evaginari, et una cum nocentibus innocentes interim; septem millia etiam hominum, sicut fertur, occisa sunt, iudicio non præcedente, sed tanquam animalia omnes quidem occisi sunt. Hujusmodi plateam plenam gemitibus audivit Ambrosius; et cum princeps Theodosius Mediolanum venisset, et solemniter in sanctum templum voluisset intrare, occurrit ei foras ad januas beatus Ambrosius, et ingredientem his sermonibus a templi ingressu prohibuit.

«Nescis, Imperator, perpetratæ nequitiae a te quanta sit magnitudo; nam post scandalum (3) tanti furoris, mens tua Veniam petiisse peccati non (4) cognoscitur, quam causam (5) prohibet potestas imperii. Decet tamen ut vincat ratio potestatem. Scienda quippe natura est, et ejus mortalitas, atque resolutio, et pulvis, ex quo facti atque redigendi sunt in eum homines, et non in flore purpureo confidendum, sed oportet considerare infirmitates cooperti corporis, et infirmitates coæqualium hominum. Non est confidendum in purpura, sed magis considerandum est, o princeps Imperator, quod (6) unus est Deus omnium rex, et omnium creator. Quibus igitur oculis Domini aspicias

(1) Cod. *permisit*. — (2) Id. *Theosolimita*. — (3) Id. *causam*. — (4) Deest *non* in cod. — (5) Forte legendum *quod sane*. — (6) Deest *quod* in cod.

templum? quibus pedibus palpabis sanctum ipsius pavementum? Quomodo manus extends (1), de quibus sanguis justus adhuc distillat? quomodo hujusmodi manibus sanctum suscipies Domini corpus? Qua præsumptione ori tuo porriges (2) poculum sanguinis Domini pretiosi, dum furore sermonum tantus sanguis injuste sit effusus? Recede ergo, recede, et ne (3) secundo peccato priorem nequitiam augmentes (4). Tu tandem suscipe vinculum, quo te Dominus omnium nunc ligavit. Est enim medicina maxima sanitatis cognitio peccati.» His quoque sermonibus imperator Theodosius obediens fuit, divinis eruditionibus nutritus, et aperte (5) utilia monita sacerdotum agnoscens, et deslens ad regalia remeavit. Cumque octo mensium continuata transissent tempora, appropinquavit Salvatoris nostri Jesu Christi nativitas. Imperator Theodosius assiduis lamentationibus in palatio residens, continuas lacrymas incessabiliter emittebat. Ingressus autem Rufinus magister singularem fiduciam apud Theodosium habens, vidit eum in lamentatione prostratum; accessit ut lacrymarum causas inquireret. At ille amarissime ingemiscens, et vehementius lacrymans: «Tu, inquit, Rufine, me deludis, et mea mala non sentis. Ego autem lamento et gemo calamitatem meam, quia servorum quidem, et mendicantium, et claudorum est templum Dei, et ipsi templum ingredientes, proprium Dominum licite exorant; mihi vero ingressus non est patens ad Deum; insuper et cæli mihi clausi sunt, qui animas suscipiunt justorum.» Hæc enim singula verba dicens, singultibus (6) verba singula irrumpebat. Rufinus respondit: «Vado, inquit, si tibi placet, et Pontifici precibus persuadebo, ut solvat vinculum, quo te ligavit.» Ait ei (7) Theodosius: «Non suadebis Ambrosium servum Dei. Novi enim decretum illius esse justum, neque

(1) Cod. *extendis*. — (2) Id. *porrigis*. — (3) Id. *in*. — (4) Id. *augmentasti*. — (5) Id. addit *sciens* quod videtur abundare. — (6) Id. *singultus*. — (7) Id. *enim*.

credas per imperialem potentiam, quod (1) legem possit prævaricari divinam. » Cumque Rufinus pluribus verbis niteretur, ut promitteret Ambrosium esse flectendum, Theodosius eum pergere cum festinatione præcepit. Ipse vero, spe data, post paulum secutus est eum, credens promissionibus ipsius. Porro mirandum! Ambrosius mox ut vidit Rufinum, dixit: « Imitatus es impudentium (2) canum vestigia, o Rufine, tantæ necis auctor existens; pudorem existentem detergens, non erubescis, nec metuis contra divinam imaginem latrare. » Cumque supplicaret Rufinus, et Theodosium imperatorem diceret esse venturum, superno zelo Ambrosius dixit: « Rufine, ego prædico quia ingredi Ecclesiam prohibebo. Si vero imperium in tyrannidis mutavit vocem (3), ego libenter suscipiam. » Hæc et alia plurima Rufinus audiens, nuntiavit Imperatori votum Antistitis, monens, ne forte de palatio procederet. Ait Imperator, hoc in media platea cognoscens: « Pergam, justas (4) et in faciem suscipiam contumelias. » Cumque ad sacra limina pervenisset, in sanctam quidem basilicam non præsumpsit intrare, sed veniens, et eum in salutorio inveniens, supplicavit ut ejus vincula dissolveret. At ille crudelem dicebat ejus esse præsentiam, et contra Deum venire Theodosium, ejusque calcare leges. Verum inquit Imperator: « Non insurgo adversus ecclesiasticas sanctiones, neque unquam ingredi limina sacra contendo. Sed te solvere vincula mea depono; Domini clementiam pro me exorare stude, nec mihi januas præcipias claudi, quas Dominus cunctis pœnitentiam agentibus aperuit. » Tunc ait Antistes: « Quas pœnitentias ostendisti post tantas iniquitates, et quibus medicaminibus incurabilia vulnera plagasque curasti? » Ait Imperator: « Tuum opus est et docere et medicamina temperare, meum vero est oblata suscipere. » Tunc sanctus Ambrosius dixit: « Quoniam cum furore tuo

(1) Cod. *ut, et deinde possis.* — (2) Id. *inprudendum.* — (3) Id. est *si imperium in tyrannidem commutatum, jam hoc nomen debet accipere.* —

(4) Cod. *male injustas.*

equam iudicium commisisti, et ratio non protulit sententiam, sed potius iracundia, scribe legem, quæ decreta furoris evacuet, ex qua sententia antequam executionem recipiat, nullis obstantibus prescriptionis litteris, triginta dies expectet; quibus transactis diebus, ratio causam removens injustitiæ, quæ cognoverit, in veritate disponat (1). In his enim diebus cognoscetur utrum justa sit sententia, quam protulisti an injusta. Si justa fuerit, permaneat; si autem injusta, destruat; numerus triginta dierum ad hoc examinandum sufficiet. » Hanc admonitionem imperator Theodosius libenti animo suscipiens, et optimam esse confitens, legem describi repente præcepit, et propria manu litteras confirmavit. Quo facto, vinculum ejus solvit Ambrosius. Quæ lex observatur; in tali namque tenore facta est illa descriptio, ut si quos Imperator morti damnasset, illis lex triginta dierum servaretur, et post triginta dies quod justum perhiberetur, hoc ageretur. Sic igitur sacratissimus Imperator ingredi limina præsumens ecclesiæ, protinus in pavimento jacens, Davidicam vocem proclamavit dicens: « Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum » verbum tuum<sup>1</sup>; » manibus capillos vellens, veniam a Deo impetrari posebat. Cumque tempus accederet, quo munus ad altare solebat offerre, surgens cum lacrymis ecclesiam ingressus est. Cum (2) vero obtulisset, ut solitus erat, inter cancellos stetit altaris. Reversus Ambrosius cum stare non quievit, sed differentiam locorum edocuit, et primo quæsit quid ibidem expectaret. Imperatore dicente: « Sustinere se sacrorum mysteriorum perceptionem, » per archidiaconum remandavit dicens: « O Imperator, interiora loca tantum sacerdotibus sunt collata, quæ cæteri nec ingredi, nec contingere permittuntur. Egrederere igitur, et hanc expectationem cum cæteris habeto communem. Purpura namque Imperatores, non Sacerdotes facit. » Tunc fidelissi-

<sup>1</sup> Psal. cxviii, 25.

(1) Cod. *disponit*. — (2) Id. *male cumque*. -

mus Imperator etiam hanc traditionem gratanti animo suscipiens, remandavit dicens : « Non audaciæ causa inter cancellos mansi, sed in Constantinopolitana urbe hanc consuetudinem esse cognovi, unde ago gratias pro hujusmodi medicina. Quam quia tali et tanta virtute et Præsul et Imperator clarebant ! Egonamque utriusque opus admiror (1) illius fiduciam, hujus autem obedientiam, id est, fiduciam sacerdotis, et obedientiam imperatoris ; illius zeli fervorem, hujusque fidei puritatem, id est zeli fervorem in sacerdote, fidei puritatem in rege. Igitur ex hoc opere, quod nunc est narratum, datur intelligi, quod potest nos excitare, o sanctissima deoque dicata Mater, in custodia multarum virtutum. Hæc igitur Theodosii christianissimi principis, et beatissimi pontificis contentio sancta provocat hominem ad sperandam Veniam peccatorum. Quam (2) maxima cura hanc contentionem tibi scribere studui. Provocat enim (3) charitatem, humilitatem, obedientiamque sectandam, quas virtutes in principio hujus admonitionis tuæ dilectioni commendare curavi. De quibus igitur virtutibus te in principio hujus exhortationis admonui, de ipsis te et in fine commoneo, quatenus bonum quod cæpisti, perseveranter perficias. Nam (4) utrumque cor lapideum ad lacrymas perfluendas (*sic*) incitat, et ad zeli fervorem. Deprecor vero dilectionem tuam, ut hunc actum, ac sanctissimam pœnitentiam piissimi principis, et zelum sanctissimi pontificis crebro legas, quia magnus profectus latet. Si itaque ea, quæ tuæ sanctitati scripsi, prudentissima Mater, perficere opere poteris, et prorsus ante omnia vitia repuleris, et quæ in hac admonitione narrantur bona custodire volueris, scito quod tuis viribus hæc non facies, sed illo aspirante et adjuvante, qui in Evangelio dicit : « Sine me nihil potestatis facere<sup>1</sup> ; » et non

<sup>1</sup> Joan. xv, 5.

(1) Cod. *admirans*. — (2) Id. *o quom*, et deinde *causa*. — (3) Id. *etiam*. — (4) Id. iterum *etiam*.

solum facere, sed nec etiam dicere vel cogitare aliquid boni valemus, nisi illo operante et donante, a quo omne bonum procedit. Audi quoque quod Dominus de hac causa per Jeremiam prophetam dicit : « Non gloriatur sapiens in » omni sapientia sua, et fortis in fortitudine sua, nec dives » in divitiis suis; sed in hoc gloriatur, qui gloriatur (1), » scire et nosse me<sup>4</sup>. » Per hæc enim verba omnis superbia ab animo auferetur, quia sapientia, et fortitudo, et potentia in nihilum reputantur; et ista est sola gloriatio, ut sciat et intelligat quod ipse Dominus sic facit et iudicium et justitiam in terra<sup>2</sup>. Ex isto enim loco apostolus Paulus sumpsit exemplum, quod ad Corinthios scripsit : « Fratres, qui gloriatur in Domino gloriatur<sup>3</sup>. » Ubi sunt ergo illi qui dicunt hominem arbitrio (2) regi? ubi sunt, qui dicunt quod a nobis bonum inchoare possumus? Nequaquam illis credere debemus, qui nec cogitare, quanto minus perficere valemus bonum, nisi ipso donante? Ergo si Dei gratia largiente, bonum opus peregeris, et ea quæ tuæ beatitudini scripsi, cuncta perfeceris, non tuis viribus ac meritis attribuas, sed illi, qui in te operatur et velle et perficere, atque bonam voluntatem<sup>4</sup>.

---

## CAPUT XV.

### *De criminalibus et incestuosis Peccatis.*

SCIENDUM est igitur unicuique, qui gehennam æternæ pœnæ quærit evadere, et cœlestis patriæ gloriam acquirere desiderat, quæ sint mortalia, et incestuosa, et criminalia

<sup>1</sup> Jerem. ix, 23. — <sup>2</sup> Psal. xcviij, 4. — <sup>3</sup> 1 Cor. i, 31. — <sup>4</sup> Philip. ii, 13.

(1) Cod. male pro *qui gloriatur*, habet solummodo *in*. — (2) Id. *arbitro*.

Peccata, pro quibus nemo evadere potest sempiternum supplicium, nisi per lavacrum regenerationis, quod est baptismatis sacramentum, aut post baptismum commissa per pœnitentiam expiaverit, aut libenter ex his in hac vita dignam vindictam receperit, quia non judicat Deus bis in idipsum<sup>1</sup>. Sunt autem hæc, quæ Paulus apostolus enumerat dicens: « Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur<sup>2</sup>. » Ait ad Galatas de Peccatis criminalibus: « Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio; » sive dicatur generaliter omne peccatum, sive omnis immunda pollutio; « Immunditia, » id est, verba turpia, vel plusquam necesse est libidinis; « Luxuria, » id est, irrefrenata concupiscentiæ prostitutio; « Idolorum servitus; » id est, aut mammona magis quam Deum diligere, aut avaritia, id est, temporalia facta nimis attendere; « Veneficia, » id est, qui venena noxia aut mortalia conficiunt, aut potiones ad partus necandos faciunt; « Inimicitia, » id est, qui corrupto vinculo Christianæ charitatis inimicus cuicumque efficitur, sive pro concupiscentia rerum suarum, sive pro invidia; « Contentiones, » id est, ubi voluptas sive pertinacia superbiæ fuerit magis quam ratio veritatis non requirit; « Æmulationes, quæ (1) invidiæ sunt, sicut in Libro Regum legitur æmula Annæ Fenenna<sup>3</sup>; sive æmulari imitari dicitur, id est, attendere vel sequi ut per Psalmistam dicitur: « Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua<sup>4</sup>; » id est, noli eum sequi vel attendere; hoc enim verbum et in bono potest accipi, sicut et apostolus Paulus ait: « Æmulamini charismata » meliora<sup>5</sup>. Iræ, » id est, irracionales animi commotiones; « Rixæ, » id est, contumeliosæ injuriæ (2) et opprobria verborum; « Dissensiones, » id est, discordiæ, sectæ, quæ a sequendo dictæ sunt; id est, quando relicta regula

<sup>1</sup> Job. xxxiii, 14. — <sup>2</sup> Galat. v, 21. — <sup>3</sup> 1 Reg. 1, 1, et seqq. — <sup>4</sup> Psal. xxxvi, 7. — <sup>5</sup> 1 Cor. xii, 31.

(1) Deest quæ in cod. — (2) Id. contumeliosas injurias.

veritatis sequuntur (1) errores hæreticorum, aut profanæ adinventiones falsorum magistrorum; « Invidiæ, » id est, quicumque alterius bonis aut prosperis contabescit et corrumpitur; « Homicidia, » id est, innocentium hominum occisiones; « Ebrietates, » id est, vini usque ad (2) mentis mutationem perceptio; « Commessiones, » id est, post famem exactam epularum diversarum usque ad gravitatem nimiam perceptio; « Et his similia, inquit Apostolus, » quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia » agunt regnum Dei non consequentur<sup>1</sup>. » Item ad Ephesios idem Apostolus scripsit dicens: « Fornicatio autem et » omnis immunditia nec nominetur in vobis sicut decet » sanctos, aut turpitude, aut stultiloquium, aut scurrilitas, » id est, verba jocularia, « quæ ad rem non pertinent. Hoc » autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut » immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non » habet hæreditatem in regno Christi et Dei<sup>2</sup>. » Item ad Corinthios: « An nescitis quoniam regnum Dei iniqui non » possidebunt? Nolite errare, fratres mei, quia neque » avari, neque ebriosi regnum Dei possidebunt<sup>3</sup>. » Avari sunt quidem illi qui aliena acquirere concupiscunt, sive qui injuste habita sua indigentibus non distribuunt. Rapaces sunt, qui aliena per vim tollunt. Adulteri sunt qui ad uxores alienas (5) accedunt. Masculorum concubitores sunt, qui incestuosissime in masculos suam libidinem explent, sicut Sodomitæ. Molles sunt, qui succumbunt masculis, id est, qui subjacent masculorum concubitoribus. Maledici sunt qui injuste et irrationabiliter in ira commoti ad blasphemias erumpunt, et qui aliis malum irrogare conantur, et si possunt, violentiam ingerere. Ebriosi sunt, qui vino dediti, præcipitantur ad insanias libidinum, dilabuntur et ad blasphemias, recedentes a

<sup>1</sup> Galat. v, 19-21. — <sup>2</sup> Ephes. v, 3-5. — <sup>3</sup> 1 Cor. vi, 9, 10.

(1) Verbum *sequuntur* hic passive accipias. — (2) Deest *ad* in cod. — (3) Cod. male addit per redundantiã *alterius*.



via veritatis, sicut sunt non servantes præcepta Decalogi, sicut sunt sacrilegi et violatores præceptorum. Hæc qui transgressus fuerit, pœnitentiam agat, et se ipsum in hoc mundo judicet, ne judicetur a Deo in die judicii (1).

## CAPUT XVI.

### *De mortalibus Criminibus.*

MORTALIA Crimina ideo, ni fallor, dici possunt, quia sicut Jacobus Apostolus ait : « Iniquitas parit peccatum, » peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem<sup>1</sup>; » non solum mortem corporis, verumetiam animæ, sicut in Pharaone actum est; ut ait de operantibus similia Apostolus ad Romanos : « Et sicut, inquit, non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, » repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, » plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; susurratores, injuriales, detractores, Deo odibiles, contumeliosos<sup>2</sup>, » id est, rixatores, « superbos, elates,

<sup>1</sup> Jacob. 1. — <sup>2</sup> Rom. 1, 28-30.

(1) Hæc quædam sequuntur in cod., quæ leguntur punctis subterpositis, quod significat, ut docti norunt, hæc esse delenda. Porro ita sequitur : « Sunt etiam et his similia Decalogi, id est, decem præcepta legis Moysi. Eorumquæ ad Deum pertinent, sacrilegi violatores sunt qui contra catholicam et apostolicam doctrinam, aut spiritalia injuste agunt. Hoc est quod pertinet ad eos, qui corrumpunt tria Decalogi præcepta prima quæ ad Deum pertinent. Sunt et quæ pertinent ad proximum, id est, « Diliges proximum tuum sicut te ipsum; Honora patrem tuum et matrem tuam : Non adulterabis : Non occides : Non furaberis : Non falsum testimonium dices : Non concupisces rem proximi tui. » De his si transgressi vel prævaricati, illam pœnitentiam subeant, in qua majorem in se quisque severitatem exercere valet, ut a se ipso in hoc judicatus, non judicetur in diè judicii a Deo. »

» inventores malorum, » et cætera omnia quæ in Epistola ipsa sequuntur, hæc enim animam inficiunt et separant a Deo.

---

## CAPUT XVII.

### *De Compunctione salvationis.*

COMPUNCTIO salvationis efficitur, cum, spiritu timoris Domini, peccatum damnationis ante oculos suos quisque ponens, et imaginem futuri sæculi in die iudicii recordatur, et inferni pœnas flammarum tenebrarumque, stridorem dentium et fletum impiorum, ubi « Veruis eorum non » moritur, et ignis non extinguitur<sup>1</sup>, » et, Spiritu sancto suggerente, peccata sua recognoscens, in se damnationes impiorum ex interiori cordis dolore recognoscit; pœnitentiæ lacrymas, incurvatus, et humiliatus atque prostratus coram Deo, fundit; et consilio sacerdotum per pœnitentiam Christi legibus subditur, et humiliatus subjacet consortio Sanctorum, et communiione corporis et sanguinis Christi separatus est decreto (1) sacerdotum; et actio pœnitentiæ tunc erit perfecta et acceptabilis, si ascenderit homo adversus se usque ad tribunal mentis suæ, et constituerit ante faciem, ne hoc fiat ei sicut comminatur Deus peccatori, atque ita constituto Dei iudicio, adsit ei accusatrix cogitatio, testis conscientia, et carnifex timor; deinde sanguis animæ confitentis in lacrymas profluat; postremo in conscientia sua se indignum iudicet communiione corporis et sanguinis Christi et societate Sanctorum; versetur ante oculos suos imagine futuri iudicii, ut ad ipsum non accedat absque virtutum munimine; cogitet

<sup>1</sup> Marc. ix, 43.

(1) Ibi in cod. legitur solum *a de...*; cætera sunt abrasa.

quam sit contremiscenda pœna, quam delectabilis percipientibus sit vita æterna; quia alii præcipitantur in mortem æternam, alii ad vitam æternam perducuntur.

## CAPUT XVIII.

### *De Perfectione Charitatis.*

QUISQUIS igitur in Charitatis Perfectione fundatus fuerit, necesse est ut ad illum sublimiorem Charitatis gradum conscendat, quem (1) nec cupido præmiorum superet, nec amoris magnitudo, quo filius indulgentissimum patrem aut matrem, vel amicum, aut conjugem recreatur affectu; qui nec (2) ejus verba, neque convicia, vel amoris formidet offensam; et qui (3) monitionibus (*sic*) non solum actibus, sed etiam verbis, pietate semper attentata (4) distendatur, ne erga se quantulumcumque minuatur (5) fervor illius dilectionis, ut frequenter poscat (6); cujus timoris magnificentiam unus Prophetarum expressit dicens: «Divitiæ salutis, et sapientiæ et scientiæ, timor Domini!» ipse thesaurus ejus. Non potuit timoris istius dignitatem ac meritum evidentius (7) exprimere, quam divitias salutis nostræ, quæ in vera sapientia Dei scientiaque consistunt (8), dicere, nisi a timore Domini non posse servari. Ad hoc igitur mecum non peccatores, sed Sancti, propheticis in-

<sup>1</sup> Isai. xxxiii, 6.

(1) Cod. *qui*, nec deinde adest verbum *superet*, quod propter sensus necessitatem addidimus. — (2) Id. *necdum*. — (3) Id. *atque*, et ante *formidet*. — (4) Id. *attonita*, probabiliter pro *attenta*, quanquam sonet male *attenta* ante verbum *distendatur*. — (5) Deest *minuatur* in cod., cujus aliter verba sunt inintelligibilia. — (6) Id est *ut frequenter poscat, ne*. — (7) Cod. *evidenter*. — (8) Id. *constituunt*.

vitantur eloquiis, Psalmista dicente : « Timete Dominum , » omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum<sup>1</sup>. » Qui enim hoc timore Deum metuit, perfectioni (1) ejus certus est nihil deesse, quia sapientiæ et scientiæ Dei thesaurus est. Multa ergo distantia est inter timorem, cui nihil deest, et illum imperfectum, qui principium sapientiæ nuncupatur : qui pœnam in se retinens, de perfectorum cordibus superveniente plenitudine Charitatis exiit. « Timor » non est in Charitate, sed perfecta Charitas foras mittit timorem<sup>2</sup>. » Et revera si principium sapientiæ in timore consistit, non nisi in Charitate et perfectione illa (2), in sese perfectæ dilectionis continet meritum. Non jam principium, sed thesaurus sapientiæ et scientiæ nuncupatur. Et idcirco duplex est gradus timoris, unus incipientium, id est, illorum scilicet, qui adhuc in timore et sub jugo sunt servili, de quo dicitur : « Et servus dominum suum timebit<sup>3</sup>; » et in Evangelio : « Jam non dicam vos servos, quia servus nescit » voluntatem domini sui<sup>4</sup>; » et illud : « Servus non manet » in domo in æternum<sup>5</sup>. » Inuit enim ut nos ab illo pœnali metu ad Charitatis plenissimam libertatem, tanquam (3) amici et filii, ad Dei fiduciam transeamus. Denique beatus apostolus Paulus servilem illum timoris gradum olim Charitatis Dominicæ virtute transcenderat; inferiora despiciens, majoribus se ditatum donis a Domino proficitur. « Non » enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis<sup>6</sup>. » Eos etiam qui perfecto dono (4) cœlestis patriæ dilectionis et sobrietatis flagrabant, quosque suos filios adoptio divina jam fecerat, hoc adhortatur eloquio : « Non enim accepistis spiritum » servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba Pater<sup>7</sup>. » De hoc

<sup>1</sup> Psal. xxxviii, 10. — <sup>2</sup> 1 Joan. iv, 18. — <sup>3</sup> Malach. i, 6. — <sup>4</sup> Joan. xv, 15. — <sup>5</sup> Ibid. 35. — <sup>6</sup> 2 Tim. i, 7. — <sup>7</sup> Rom. viii, 15.

(1) Cod. *perfectionis*. — (2) Id. *illum*. — (3) Id. *ut tanquam*. — (4) Id. *perfecta dona*.

etiam metu, cum illam septiformem Spiritûs sancti gratiam Propheta describeret, quam in hominem descendisse dixit, addidit (1) quod esset « Super eum Spiritus Domini, » Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis; et replevit eum « Spiritus terroris Domini<sup>1</sup>. » In quo illud diligentius intueendum est, quod non dixit : Requiescet super eum Spiritus timoris Domini, sicut de prioribus dixerat; sed : « Replevit eum Spiritus timoris Domini. » Tota enim ubertatis ejus magnitudo est, ut quem semel sua virtute possederit (2), non partim, sed totam ejus occupet mentem. Nec immerito illi nunquam excidet (3), cum hærens (4) Charitati non solum replet, sed etiam perpetua et inseparabili eum quem cæperit, possidet visitatione, et nullius lætitiæ temporalis vel voluptatum est oblectationibus imminutus (5), quæ nonnunquam illi, qui foras mittitur, timori evenire consuevit. Hinc igitur perfectionis forma atque exemplo virtutum repletus fuisse narratur, emittens illum servilem suppliciorum timorem, verus Dei Filius, « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus<sup>2</sup>. » Humana conditio, dum adversis vitiositatibus mentem conturbat, etiam ante pœnas gehennæ, per inordinatum animi appetitum, jam pœnas conscientiæ patitur. Omnia enim poterit homo fugere, præter cor suum : non enim potest a se quisquam recedere; quocumque enim abierit, reatûs sui conscientia illum non derelinquit, quamvis humana judicia subterfugiat. Omnis qui male agit, sibi tamen celari non potest. Num etsi aliis celat quod agit, ipse plene novit malum esse quod gessit. Duplex ergo fit (6) in eo judicium, quia et hic suo reatu punitur et pungitur, et illic perpetuali pœna damnatur. Hoc ergo significat « Abye-

<sup>1</sup> Isâi. xi, 2, 3. — <sup>2</sup> 1 Petr. ii, 22.

(1) Deest *addidit* in cod. — (2) Id. *possederat*. — (3) Id. *excederet*. — (4) Id. *cohærens*, et deinde *replens*. — (5) Id. *immunitus*. — (6) Id. *sit*.

» sus abyssum invocat<sup>1</sup>, » a (1) iudicio suæ conscientiæ ire ad iudicium suæ damnationis perpetuæ in voce cataractarum<sup>2</sup>, id est, in prædicationum voce. Dic mihi, post Apostolos qualis doctor fuerit Origenes inter Græcos, cujus septem millia sexcentos libros (2) beatissimus Hieronymus se legisse fatetur; talem vitam duxit beatissimus Origenes. Nam refert de eodem Ambrosius, quod vita ipsius viri doctissimi erat, quod panem, et sal, et aquam pro victu habebat, pro vestitu tunicam cilicinam usque ad pedes, nudoque pede incedens, ita ut oratio lectionem, et lectio orationem ejus susciperet.

---

## CAPUT XIX.

### *Quomodo Pollutio nocturna accidat.*

QUÆRITUR post illusionem, quæ per somnium accidere solet, utrum corpus Domini quilibet accipere valeat, vel sacerdos sacra mysteria valeat celebrare. Gregorius habet quidem: Testamentum Veteris Legis, sicut in superiori capitulo jam diximus, pollutum nisi aqua lotum usque ad vesperam intrare ecclesiam non concedere dicitur. Quod tamen aliter populus spiritualis intelligens sub eodem intellectu accipit quod præfati sumus; quia ille quasi per somnium illuditur, qui tentatur immunditia, et vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpam iniquæ cogitationis lacrymis abluat, et nisi prius tentationis signa recedant, se quasi reum ad vesperum cognoscat. Sed est in eadem illusionem discretio valde necessaria, quæ subtiliter pensari debeat. Ea quæ accidit (3) menti dormientis, aliquando ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate,

<sup>1</sup> Psal. XLII, 8. — <sup>2</sup> Ibid.

(1) Cod. *in.* — (2) Id. male addit *ejus.* — (3) Id. *et quæ.*

vel infirmitate advenit. Omni modo hæc illusio timenda est, quia hanc mens nesciens pertulit, sed magis de illa causa dolendum est, propter quam fuisset (1). Cum vero ultra modum gulæ appetitus in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula generantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere mysterium (2) sacerdotem in aliquo loco ipsa necessitas impellit (3). Nam si desunt alii, qui implere mysterium valent, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet; sed ab immolatione sancti mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debent, si dormientem mentem turpis imaginatio nimis concusserit. Nam sunt quidam, quibus ita plerumque imaginatio et illusio nascitur, ut eorum animus, etiam in somno corporis positus, turpibus imaginibus non sædetur (4). Quæritur unum: Ostenditur mens non tamen suo iudicio liberata, cum se, dormiente corpore, nihil meminisset iudicasse in vero (5); ex turpi enim cogitatione vigilantis, oritur illusio dormientis. Patet tunc animæ reatus suus (6), cum videt ex qua radice inquinatio illa processit, quia quod cogitavit sciens, pertulit nesciens; sed pensandum est verum an ipsa cogitatio in suggestionem, an in delectationem, vel quod majus est, aliquando in peccatum consensu ceciderit. Tribus enim modis impletur in homine peccatum, videlicet suggestionem, delectationem atque consensu; suggestio quidem fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum. Est necessaria magna discretio, ut inter suggestionem, et delectationem, atque consensum iudex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum in mentem suggerit, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnino perpetratum non est. Cum vero caro delectari cœ-

(1) Cod. *fecisset*. — (2) Id. addit absque sensu *pro eo quod*. — (3) Id. *expellit*. — (4) Id. *sædatur*. — (5) Sic cod. cuius sensum assequi non potui. — (6) Cod. *reatum suum*.

526 S. AUGUSTINI EPISCOPI APPENDIX. LIBER, ETC.  
perit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccatum seminatur, in delectatione radicalur, sed in consensu perficitur. Sæpe contingit hoc, quod malignus spiritus seminet (1) in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen anima eidem delectationi consentiat; et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus, voluptatibus carnis reluctans, in delectatione carnali aliquando ligatur invitus; per gratiam tamen illius liberatur, cui est honor et gloria in sæculorum sæcula. Amen.

(1) Cod. *seminat.*

FINIS TOMI CENTESIMI TRIGESIMI PRIMI *bis.*



---

# INDEX

TOMI CENTESIMI TRIGESIMI PRIMI *BIS*.

---

CLASSIS VI.

SERMONES INEDITI.

SUPPLEMENTUM II,

PARS II.

---

CLASSIS III.

SERMONES DE SANCTIS.

	<i>Pag.</i>
SERMO LXIII. In Cathedram sancti Petri apostoli.	3
— LXIV. In Natali sancti Vinceritii III.	5
— LXV. In Natali Martyris Quadrati.	8
— LXVII. In Natali Joannis Baptistæ III.	19
— LXVIII. In Natali Joannis Baptistæ IV.	24
— LXIX. In Natali sancti Joannis Baptistæ V.	28
— LXX. In Nativitate sancti Joannis Baptistæ VI.	32
— LXXI. In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli II.	37
— LXXII. In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli III.	41
— LXXIII. In Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli IV.	44
— LXXIV. De Lapsu Petri II.	47
— LXXVI. In Solemnitate Martyrum Machabæorum.	51
— LXXVII. In Natali Beati Laurentii Martyris I.	57
— LXXVIII. In Natali Beati Laurentii Martyris II.	60

SERMO LXXXIX. In Decollatione sancti Joannis Baptistæ I.	62
— LXXX. In Decollatione sancti Joannis Baptistæ II.	68
— LXXXI. In Natali sanctorum Martyrum Felicis et Adacti I.	72
— LXXXII. In Natali sanctorum Martyrum Felicis et Adacti II.	74
— LXXXIII. In Natali sancti Cypriani Martyris I.	76
— LXXXIV. In Natali sancti Andreae apostoli.	79
— LXXXV. In Natali sancti Stephani.	82
— LXXXVI. In Natali sanctorum Innocentium I.	85
— LXXXVII. In Natali sanctorum Innocentium II.	88
— LXXXVIII. In Natali sanctorum Cosmæ et Damiani.	91

## CLASSIS IV.

## SERMONES DE DIVERSIS.

— LXXXIX. De Trinitate.	94
— XC. Expositio Fidei.	96
— XCI. De Judicio extremo.	100
— XCII. De Tribulationibus et pressuris mundi.	103
— XCIII. De Pœnitentia, ad quam se omnis Christianus, si post Baptismum deliquerit, pro animæ suæ remedio convertat.	107
— XCIV. De Confessione.	112
— XCV. De Reconciliandis pœnitentibus I.	116
— XCVI. De Reconciliandis pœnitentibus II.	121
— XCVII. De Reconciliandis pœnitentibus III.	125
— XCVIII. Sermo sive Oratio de Spiritu sancto.	130

## TRACTATUS.

LIBER De Spirituali certamine.	137
— De Pugna vitiorum.	147
EPISTOLA De septem petitionibus in <i>Pater noster</i> .	158

## APPENDIX SERMONUM INEDITORUM.

## CLASSIS III.

## SERMONES DE SANCTIS.

SERMO XXXIV. In Cœna Domini I.	167
— XXXV. In Cœna Domini II.	175
— XXXVI. In Cœna Domini III.	179

## INDEX.

529

SERMO XXXVII. De Passione Domini I.	190
— XXXVIII. De Passione Domini II.	194
— XXXIX. De Passione Domini III.	198
— XL. De Passione Domini IV.	203
— XLI. De Passione Domini V.	209
— XLII. De Passione Domini VI.	218
— XLIII. De Passione Domini VII.	227
— XLIV. De Passione Domini VIII.	231
— XLV. De Passione Domini IX.	236
— XLVI. De Cruce.	244
— XLVII. In die Paschæ III, de Resurrectione Domini.	249
— XLVIII. In die Paschæ IV, de Resurrectione Domini.	254
— XLIX. In die Paschæ V.	258
— L. De Peregrino, feria secunda festi Paschæ.	262
— LI. In diebus Paschalibus I, de Resurrectione Domini.	266
— LII. In diebus Paschalibus II, de Resurrectione Domini.	270
— LIII. De Ascensione Domini III.	275
— LIV. De Ascensione Domini IV.	280
— LV. De Ascensione Domini V.	287
— LVI. De Ascensione Domini VI.	292
— LVII. De Ascensione Domini VIII.	305
— LVIII. De Pentecoste III, de Adventu Spiritûs sancti.	307
— LIX. De Pentecoste IV, de Adventu Spiritûs sancti.	313

## CLASSIS III.

## SERMONES DE SANCTIS.

— LX. De sancto Paulo primo Eremita.	319
— LXI. De Purificatione Virginis.	325 ✓
— LXII. De Annuntiatione beatæ Mariæ semper Virginis.	332
— LXIII. In Natali sancti Joannis Baptistæ I.	338
— LXIV. In Natali sancti Joannis Baptistæ II.	342
— LXV. In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli I.	347
— LXVI. In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli II.	352
— LXVII. In Natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli III.	357
— LXVIII. In Festo sancti Petri ad vincula.	360
— LXIX. In Natali sancti Laurentii I.	364
— LXX. In Natali sancti Laurentii II.	368
— LXXI. In festo Assumptionis Beatæ Mariæ virginis.	372

CXXXI *bis*.

31

SERMO LXXII.	In Festo sancti Andræ apostoli.	379
— LXXIII.	De sancto Nicolao pontifice.	383
— LXXIV.	De sancto Thoma apostolo.	390
— LXXV.	In Natali sancti Stephani proto-martyris.	395
— LXXVI.	In festo sancti Joannis evangelistæ.	402
— LXXVII.	In Natali Innocentium I.	410
— LXXVIII.	In Natali Innocentium II.	413
— LXXIX.	In festo sanctorum Innocentium III.	418
— LXXX.	De Communi Apostolorum.	425
— LXXXI.	De Communi Martyrum.	428
— LXXXII.	De Communi Confessorum, seu de Pœnitentia.	431

## CLASSIS IV.

## SERMONES DE DIVERSIS.

— LXXXIII.	Exhortatorius ad bene faciendum.	437
— LXXXIV.	De Mortuis et Consolatione remanentium.	439
— LXXXV.	De Morte.	444
— LXXXVI.	De Vita activa et contemplativa. Ad Presbyteros.	447
— LXXXVII.	Ad Sacerdotes.	449
— LXXXVIII.	Ad Virgines Monasterii sui.	452
— LXXXIX.	De Consecratione Ecclesiarum.	455

## TRACTATUS.

LIBER	De Numero.	459
—	De Compassione B. Mariæ virginis.	463
—	De Omnibus virtutibus, quem beatus Augustinus edidit ad matrem suam.	477
CAPUT	I. De Charitate.	479
—	II. De Humilitate.	480
—	III. De Obedientia.	482
—	IV. De Continentia gulæ.	484
—	V. De Continentia linguæ.	488
—	VI. De Continentia vestium.	491
—	VII. De Afflictionis corporis.	492
—	VIII. De Compunctione.	494

INDEX.

531

CAPUT IX. De Beatitudine compunctionis.	499
— X. De Oratione , et qualiter homo debeat orare.	500
— XI. De Pugna vitiorum adversus virtutes, et quomodo extir- panda sunt vitia et inserendæ virtutes.	502
— XII. De Studio legendi Scripturas.	504
— XIII. De Admonitione tribulationum et infirmitatum.	506
— XIV. De Venia peccatorum speranda.	510
— XV. De Criminalibus et incestuosis peccatis.	516
— XVI. De Mortalibus criminibus.	519
— XVII. De Compunctione salvationis.	520
— XVIII. De Perfectione charitatis.	521
— XIX. Quomodo pollutio nocturna accidat.	524

EXPLICIT INDEX.














BR

65

A5

1835

t.24

pars.2

Augustinus, Aurelius, Saint,

Bp. of Hippo

[Opera omnia]

PLEASE DO NOT REMOVE  
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

---

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

---

